IACOBI CVIACII IVRISCONSVLTI COMMENTARII,

✶

Ex libro XLI. Digestorum, ad Titulos VIII. De vsurpationibus & vsucapionibus.

Notæ ad IIII. Institutionum libros.

Notæ ad Vlpiani Titulos XXIX.

Interpretationes ad Iul. Pauli Receptarum Sententiarum libros V.

Libri IIII. Obseruationum & Emendationum.

Commentarij ex lib. IIII. Digestorum ad Titulos IIII. De in integrum restitutionibus.

Ex lib. XXVIII. ad Titulos V. De testamentis.

Ex lib. II. ad Titulos duos De pactis & De transactionibus.

LVGDVNI

Typis suis excudebat Ioannes Tornæsius Typographus Regius,

M. D. LIX.

Cum Priuilegio ad sexennium.

INDEX OPERVM.

INDEX RERVM NOTABILIVM QVÆ IN HOC CONTINENTVR OPERE.

*

A

Aggeni

Cassiodori locus. pag. 284. 312.f.1

D

* 5 *Maior*

Public

Si voluissemus omnia in indicem conferre, singuli nobis fuissent decerpendi versus, nec fuisset vllus indicis modus. ea re noluimus etiam legum quæ explicatæ vel emendatæ sunt descriptionẽ vllam facere. Qui sine indice libris vti nescit, is haudquaquam placet nobis: Nos quoque more magis hunc qualem qualem indicẽ fecimus, quàm quod eius generis hominibus satisfaciendum putaremus.

Errata quæ notanda in fine operis resederant.

Pagina 331. *Versu* 22. in re *ead. pag. vers.* 46. sine iudice. *pag.* 377. *vers.* 16. filia natæ. *ead. pag. vers.* 54. Extraneorũ tamen adoptione & in. *vers.* 56. morte aui in eius. *pag.* 407. *vers.* 32. in factũ. *vers.* 43. Pamphili manumittendi. *pag.* 408. *vers.* 33. vbi quæ. *vers.* 43. ex interuallo. *vers. penult.* fideiussórve. *pag.* 411. *vers.* 54. siue clausula. *pag.* 424. *vers.* 55. siue imperio.

Le Priuilege du Roy.

Henri. Par la grace de Dieu Roy de France, à tous noz Preuoſtz, Baillifz, Seneſchaulx de noſtre Royaume, ou leurs Lieutenants, Salut. Comme noſtre bien aimé Iehan de Tournes Libraire & Imprimeur demeurant en noſtre ville de Lyon, auroit recouuert vn liure intitulé *Jacobi Cuiacij Juriſconſulti opera omnia cùm antehac excuſſa tum etiam quæ nunc primùm in lucē prodeunt*, qu'il mettroit volontiers en lumiere: mais il craint apres y auoir exposé ſes fraiz, que les autres Libraires & Imprimeurs voulſiſſent faire imprimer ledict liure, & le fruſtrer de ſon labeur: nous requerant ſur-ce luy pouruoir.

NOVS à ces cauſes, voulans fauorablement traicter ledict expoſant, à iceluy auons permis & permettons d'imprimer & faire imprimer ledict liure, & iceluy vendre & debiter: & deffenſe faite à tous autres de ne imprimer vendre ou debiter ledict liure en quelque maniere que ce ſoit, ſans licence du ſuppliant, iuſques à ſix ans, à commencer du iour & datte de la premiere impreſſion, ſur peine de confiſcation dudict liure & d'amende arbitraire. SI VOVS mandons & à vn chaſcun de vous expreſſemēt enioingnons par ces preſentes, que de noſtre preſent Priuilege vous faciez iouyr & vſer ledict ſuppliant ſans ſouffrir luy eſtre faict mis ou donné aucun trouble ou empeſchement au contraire. Voulons en outre qu'en mettant par brief vn extrait de ce preſent Priuilege au commencement dudict liure, qu'il ſoit tenu pour ſignifié: tout ainſi que ſi ces preſentes leur auoient eſté ſignifiees. Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Villiers Coſteretz, le vingtdeuxieme iour de Mars, l'an de grace mil cinq cens cinquante huit, & de noſtre regne le douzieme.

Par le Roy, vous Monſieur le Cardinal de Sens, garde des Seaulx de France preſent.

De Vabres.

Acheué d'imprimer le vingtſixieſme d'Aouſt 1559.

IAC. CVIACIVS ARNALDO FERRERIO V. C. SENATVS PARISIENSIS PRAESIDI S.

*

VÆ de vſurpationibus & vſucapionibus ex veterum iuris auctorum libris à Iuſtiniano collecta ſunt, breuiter adhibitis commentarijs expoſui, in quibus non ex alijs interpretibus quid quiſque ſentiret, ſed quod mihi probaretur id potiſsimùm executus ſum, quo genere, vt opinor, veritas planius oſtenditur. Abſit verò moribus meis ea labes, vt à quo traditam iuris diſciplinam habeo, me non agnoſcam accepiſſe. Tu me, Arnal. Ferreri, quo tempore concurrentibus vndique innumeris auditoribus Toloſæ ius ciuile profitebaris, doctrina tua informaſti, & quantum in te fuit, exornatum inſtructumq́; reddidiſti, nec vmquam ipſe alium iuris præceptorem laudauero. Ingratus porrò ſim, ſi non exculti à te ſubactiq́;, vt ita dicam, ingenij primas tibi fruges reddidero. Accipies igitur hoc ab alumno diſciplinæ tuæ munus, in quo ingenij quando laus perparua continetur, id non expectabo dum laudetur: ſed quoniam ex beneuolo gratoq́; animo profectum eſt, vt libenter accipiatur abs te: ac denique rogabo te nonnumquam ſi otium erit, vt illud inſpicias, quo, veluti ex arboribus tuis decerptos in eo ſurculos poſsis agnoſcere.

Vale Biturigis, Kal. Mar. 1556.

IACOBI CVIACII I.C. AD TITVLVM D. DE VSVRPATIONIBVS ET VSVCAPIONIBVS COMMENTARIVS.

AD L. I.

A

QVI possidet, vel à domino possidet, vel à non domino. Qui à domino possidet, id est, qui à domino traditum accepit, iure gentium dominus est: neque verò vsucapere id potest quod accepit à domino. qui enim iure gentium dominus est, dominus iure ciuili amplius effici non potest. Qui à non domino possidet, iure gentium dominus non est: nam fieri iure gentium nullo modo potest, vt non dominus alium dominum faciat. Enimuerò iure ciuili is, qui à non domino traditum accepit, dominus efficitur, si vsuceperit: & hoc est quod ait l. traditionibus. C. de
B pactis. Traditionibus & vsucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur: traditionibus factis à domino ex iusta causa, & vsucapionibus si traditiones factæ sint à non domino: traditionibus iure gentium, vsucapionibus iure ciuili. Nudis autem pactis, vel nudo consensu nuda've conuentione dominium non mutatur. nam etsi verbi gratia consensu perfecta sit emptio, dominium tamen non mutatur, nisi & res tradita, & pretium adnumeratū sit. igitur qui emit, dominus non est: at qui ex causa emptionis à domino traditum accepit, est dominus. Dixerit aliquis, Cur non pactis, sed traditionibus dominia rerum transferuntur? An quia dominia rerum à naturali possessione cœperunt. l. j. §. tit. prox? quod probabile est. Rursus dixerit aliquis, vsucapionem pugnare cum iure gentium, quòd
C ea dominium inuito auferat. Est sanè ita. pugnat enim hac in re ius ciuile cum naturali æquitate, sed tamen hoc fit bono publico, vt ait Caius in hac l. j. Vsucapio damno est dominis, bono est Reipublicæ, cui ea quæ sunt salutaria, iusta & legitima præ ceteris habentur. Ait Caius,

Bono publico vsucapio introducta est.] Est autem introducta iure ciuili, id est, lege XII. tabularum. Sequitur,

Ne scilicet quarundam rerum.] Iustin. ait, ne rerum dominia incerta essent. Si enim vsucapionem sustuleris, futurum est, vti ne quisquam quod diutissimè possederit, suum esse audeat affirmare: denique, vt de possessionibus suis incertus quisque semper animi pendeat.

AD L. II.

D DATVR vsurpationis definitio prius quàm vsucapionis, quod & ipsius tituli inscriptio exigebat. Ait,

Vsurpatio est vsucapionis interruptio.] Quod vtendo adquiro, id dominus non vtendo quadamtenus amittit. Retro quod vsu retinet dominus, id ipse vsu adquirere non possum. Vsu adquirere, est vsucapere. Vsu retinere, vsurpare: atque ita vsucapere & vsurpare contrariè relata sunt, & hac voce illa interpellatur. l. naturaliter. j. l. nam satis. §. j. l. si stillicidij. in fi. l. si in partem. l. aquam. §. quemad. seruit. amit. Vt autem vsucapionis, ita & vsurpationis verbum est ex XII. tab. & primus quidem Appius Claudius proximè post XII. tabulas de vsurpationibus scripsit, vt auctor est Pompon. in l. ij. §. de orig. iu. De vsurpationibus etiam aliquid ex Q. Mucio Aul. Gellius annotauit in lib. 3. cap. 2. in hanc ferè sententiam: Vxor aut est in vsu, aut in mancipio. Quæ in vsu
E est, anno vsucapitur, nisi ex XII. tab. trinoctium abfuerit vsurpandi causa, id est, interrumpendæ vsucapionis causa: Quæ verò Kal. Ian. apud virum causa matrimonij esse cœpit, si ante diem IIII. Kal. Ian. sequentes, hoc est, si IIII. Kal. Ian. vsurpatum ierit, trinoctium implere non potest: quoniam tertiæ noctis sex horæ alterius anni sunt, qui incipit ex Kal. ideoq; vsurpata non est, quinimmò ipso vsu iam vxor facta est.

Oratores autem.] Oratoribus vſurpare eſt frequenter vti: Iuriſconſultis vſurpare eſt interrumpere poſſeſsionem. quod vtique fit, etiam ſi quis frequenter non vtatur: etſi ex agro tantùm ſurculum defringat, vt M. Tullius ait in III. de Orat. A

AD L. III.

VSVCAPIO ſic dicitur vt mortis cauſa capio. Capio eſt adquiſitio: Capere eſt in ſuum dominium capere. l. aliud. l. cepiſſe. ῑ. de verb. ſign. l. prætoris. ſ. de dam. inf. Vſu igitur capere eſt per vſum adquirere, vſu ſuum facere. vſus autem eſt poſſeſsio, quę opinione domini poſsidetur, & ex diuerſo poſſeſsio eſt vſus. l. quæſtio. ῑ. de verb. ſign. & ita poſſeſsionem ab Aelio Gallo definiri Sex. Pompeius ſcribit. Ergo vſucapere eſt per poſſeſsionem adquirere, quod & poſſeſsione capere dicunt. l. emptor fundi. l. qui fundum. §. ſeruus. ῑ. pro empt. l. non ſolùm. §. ſi dominus. l. quamuis. ῑ. hoc tit. & interdum vſucapio ipſa vſus ſimpliciter ſeu poſſeſsio dicitur. l. deniq;. & l. ſeq. l. cùm miles. l. ait prætor. ſ. ex quib. cauſ. maio. l. deducta. §. ante diem. in fi. ſ. ad S.C. Trebel. ex quo apparet Vſucapio ſcribi oportere: nec enim ſic dicitur vſucapio, vt pignoris capio, licet Cato apud Gellium contrà ſentiat. Ait Modeſtinus, B

Vſucapio eſt adiectio dominij.] Oſtendi in notis ad Vlpianum legendum eſſe, *adeptio dominij*. In Iſidoro etiam libro 5. Etymol. vulgò malè legitur *ademptio* pro *adeptio*. Accurſius autem malè tentat hoc in loco dicere vſucapionem, non adeptionem eſſe, ſed adeptionis cauſam: nec ſimile illud eſt quod de traditione affert: nam traditio meri eſt facti, neque adquiſitionem ſonat vt vſucapio. Quod etiam tradit Acc. ex l iij. §. ex plurimis. ſ. tit. prox. ſi vſucapio ſit adeptio dominij, fore vt contra ſententiam illius §. dominium pluribus ex cauſis adquiratur: quippe cùm ex pluribus cauſis nonnumquam vſucapiamus, ab eo nos ita explicabimus, ſi conſtituamus vnam tantùm eſſe & proximam vſucapionis cauſam, poſſeſsionem. Eius poſſeſsionis fieri poſſe vt ſit multiplex titulus, at titulum poſſeſsionis eſſe cauſam, poſſeſsionem vſucapionis. Poſſeſsionis plures cauſas eſſe poſſe, vſucapionis non niſi vnam eſſe cauſam, dominij non niſi vnum titulum. Ex quo illud efficitur, præter poſſeſsionem, eum, qui vſucepit, nullum alium domini ſui auctorem laudare poſſe: quod etiam leges XII. tab. indicant, in quibus ita eſt, *Annum rei mobilis, biennium rei immobilis, æuum rei furtiuæ auctoritatem eſſe.* C

Per continuationem poſſeſsionis.] His verbis excluditur vſurpatio.

Temporis lege definiti.] Vt Vlp. in fragm. ſic Modeſtinum ſcripſiſſe reor, *Anni vel biennij:* Tribonianum, *Temporis lege definiti.* D

AD L. IIII.

LEX iſta ſumpta eſt ex lib. 54. ad edictum. Ex eodem libro eſt l. ij. ſ. in qua de vſurpatione tractatur. Cùm igitur Paulus priore loco de vſurpatione tractaſſet, rectè ſubintulit,

Sequitur de vſucapione dicere.] Ex quo apparet rectiùs ita titulum inſcribi, *De vſurpationibus & vſucapionibus.* Prior namq; eſt vſurpationis quàm vſucapionis tractatio.

Paterfamilias.] Addatur, *vel materfamilias.*

Filiusfamilias & maximè miles.] Filiusfam. vſucapere non poteſt niſi caſtrenſia, addantur etiam quaſi caſtrenſia. Credo Tribonianum adieciſſe, *& maximè*. nam aduenticia etiam paganus hodie vſucapere poteſt, quia & poſsidere ea ſibique habere poteſt, profecticia verò vſucapere non poteſt. E

Pupillus.] Pupillus cuiuſcumq; ætatis ſit, tutore auctore & vſucapere & poſsidere poteſt. Ergo infans tutore auctore poſsidere & vſucapere poteſt, idq; vtilitatis cauſa receptum eſt. l. quamuis. §. infans. ſ. tit. prox. qua in re iura noſtra infanti plus fauent quàm furioſo: nam furioſus ne curatore quidem auctore poſsidere & vſucapere poteſt. Similiter infanti filio per tutorem petitur edictalis bon. poſſeſsio. & ideò ſi ea petita, ſtatim infans deceſſerit, auiæ maternæ obſtat, quæ S. C. Tertylliani beneficium implorat. per curatorem furioſi decretalis tantummodo bon. poſſeſsio petitur, & ideo furioſus auiæ maternæ non obſtat, niſi etiam ſanitate recepta edictalem bon. poſſeſsionem petierit. l. ij. §. ſi quis ex liberis. §. ſed ſi infanti. ſ. ad S.C. Tertyllia. per tutorem infanti adquiritur hereditas. l. potuit. C. de iu. delib. non etiam furioſo per curatorem: furioſo enim hereditas non defertur. Pupillus proximus infanti, id eſt, qui ſeptennium non ita dudum exceſſerit, tutore auctore hereditatem adire & ſtipulari poteſt: quæ omnia propter vtilitatem pupillorum fauorabiliter ſunt recepta. §. pupillus. de inut. ſtipul. l. pupillus. ſ. de adq. hered. In furioſo ſecus eſt. l. furioſus. l. ſi quis alicui. l. more. l. ſi per epiſtolam. eod. tit. l. in negotijs. de diuerſ. reg. iu. Reſtat igitur, vt deterior ſit condicio furioſorum quàm infantium, aut eorum qui infantibus proximi ſunt. Cur ita? An quia furioſo mens penitus adempta eſt, infans mente non caret, ſed nondum quicquam per ætatem ſcire poteſt? eadem namque ratione iura fauent ſpadonibus magis, quàm caſtratis. Etenim his abeſt ea pars corporis, quæ ad generandum eſt neceſſaria, illis non item, ſed gignendi vis in illis aut morbo aut aliquo vitio impedita eſt. In infantibus magis natura ſpectatur, quàm imbecillitas ætatis: æquè in ſpadonibus natura & conſuetudo magis, quàm temporale vitium. F G

Et animũ poſsidendi.] Vtputa ſi non ſit infans, etſi pubertati ſit proximior quàm infantiæ.

Sed hæc perſona.] Hæc perſona, id eſt furioſus ita demum vſucapere poteſt, ſi ex ea cauſa poſsideat, ex qua vſucapio ſequitur, id eſt, ex cauſa peculiari: nam hæc vna & ſola eſt cauſa, ex qua ignorantes vſucapimus. l. ſi ſeruo. l. ſi emptam. ῑ. hoc tit. idq; iure ſingulari fieri ait l. peregrè. §. quæſtum.

A tum.ſ.tit.prox.nam iure ciuili in vſucapionibus & poſſeſsionibus ſcientia exigitur.

Seruus.] Filiusfa.pro herede ſibi poſsidere poteſt ex cauſa caſtrẽſi,vel quaſi caſtrenſi:patri pro herede poſsidere nõ poteſt, quia nec ante quàm iuſſerit pater, exiſtit heres,nec poſtea quàm iuſſerit pater,nomen heredis retinet:idemq; in ſeruo dicendum eſt. ſeruus pro emptore,pro donato,& ex omni cauſa domino poſsidere poteſt,pro herede non item,ſibi nullo modo.

Si defuncti non fuerunt.] Defunctus & heres, duę res quaſi cognatæ cõiunctæq; ſunt. Quia igitur dicit, Si defuncti non fuerunt, quod inde ſequitur,vſucapi poſſunt, ſic accipiendum eſt, vt ab herede vſucapi poſsint. Sed quo titulo ab herede vſucapi poſsint, videamus. An pro herede? Minimè verò, quandoquidem defuncti non fuerunt,hoc eſt, in hereditate inuenti non fuerunt, & ideo non hereditati,ſed ipſis rebus accepto feruntur. An igitur pro ſuo? Et l.2. j. pro ſuo, dicit pro
B ſuo vſucapi partum ancillæ hereditariæ: fructuſq; rei hereditariæ, quæ lex eiuſdem auctoris eſt, & ex eodem libro. Ancillam igitur pro herede poſsidemus, Partum ex ancilla conceptum, poſt aditam hereditatem pro ſuo, Fundum pro herede,fructus fundi productos poſt aditam hereditatem, pro ſuo. Vſucapio neceſſaria eſt in partu ancillæ,quoniam partus ancillæ vt fructuarij,ita ſtatim pleno iure bonæ fidei poſſeſſoris non fit.l.in pecudum. ſ.de vſur. obtinuit enim contra Scæuolam & Manilium Bruti ſententia, partum ancillæ in fructu non eſſe.l.vetus.ſ.de vſufr. ex qua etiam id efficitur,vt in ancillæ aut hereditatis fideicommiſſo partus ab herede non retineantur, qui ſi in fructu aut reditu eſſent,vtiq;,niſi facta eſſet mora fideicommiſſo,retinerẽtur ab herede.l.in fideicommiſſariam.l.mulier.§.ſed enim.l.deducta.§.hereditatẽ.D.ad S.C.Treb.Attamen Paulus lib.14.reſponſorum ita reſpondit,vt appareat nihil eum hac in re diſcriminis conſtituere, inter partus & fructus:
C non quòd exiſtimaret partus eſſe in fructu vel reditu, quando idem ipſe Paulus lib.III. ſenten.ancillę vſufructu legato, partũ eius ad vſufructuarium nõ pertinere pronuntiauerit, ſed quia id multo æquius eſſe ratus eſt, vt exemplo fructuum & partus ab herede retineantur.l.14.ſ.de vſur.l.24.ſ.ad leg.Falcid.idq; in l.14. illa verba indicant, *De reditu ſolo.* quia enim de reditu ſolo deducendo teſtator ſenſit, partus autem non ſunt in reditu, ideo partus reſtituendi eſſe videntur. ſed aliter tamen Paulus reſpondit,cui & Neratius ſuffragatur lib.I. reſponſorum. Sed de partu ancillæ hactenus. In fructibus vſucapio neceſſaria eſt, ſi per ſe naſcantur:nam ij fructus qui per ſe naſcuntur, bonæ fidei poſſeſſoris non ſunt,vt oſtendi in tit.de rer.diuiſ.Inſtit.lib.II. In fœtu etiam pecorum, qui ſummiſſus gregem reficit & retinet, neceſſaria eſt vſucapio. vt argu.eſt l.deducta.§.hereditatem. Quidam hæc verba, *Si defuncti non fuerunt*, ſic eſſe accipienda tradunt, ſi nati viuo teſtatore in dominio eius
D non fuerunt. Ceterum non de fructibus tantùm & aliis acceſsionibus, ſed etiam de fundo,de ancilla,de grege, ceteriſq; omnibus rebus idem dici poteſt: quare magis eſſe puto,vt verba illa ſic accipiantur,ſi in hereditate inuenti non fuerint: & ex eo quidem certè dubitatio naſcitur,quòd in hereditate inuenti nõ fuerunt. Eadem verò ratione fructus earum rerum,quæ nobis traditæ ſunt,vſucapi poſſunt,licet eorum nulla traditio interuenerit: quãdoquidem pro traditis habentur,cùm ſint cauſæ rerum traditarum: at certè nullo alio titulo vſucapiuntur quàm pro ſuo.

Lex Atinia.] Hoc videtur addidiſſe lex Atinia XII. Tabulis, niſi in poteſtatem eius cui ſubrepta eſt,reuertatur.

Labeo.] Si res peculiaris ſerui mei ſubrepta ſit me ignorante, deinde ſeruus eam nanctus ſit, me etiam,vt fit,ignorãte:nam qui furtum ignorat,vix fit vt id etiã non ignoret rem in ſerui poteſta-
E tem rediiſſe. Si igitur res peculiaris me ignorante ſubrepta ſit,ac deinde in ſerui mei poteſtatem redierit,vitium furti ſoluitur,quoniam videatur ea res in meam poteſtatem rediiſſe & in peculio eſſe, atque à me poſsideri incipit.l.interdum. §.ſi res.j.de furt. & hæc quidem fuit Labeonis ſententia. Adiicit Paulus, *Commodius dicitur etiam ſi ſciero*,id eſt,ſi hæc tota res geſta ſit me ſciente,ſi ſubrepta ſit me ſciente,ac ſi me ſciente in poteſtatẽ ſerui redierit, *rediiſſe eam in meam poteſtatem. Nec enim ſufficere ſi eam rem quam ſciente me ſeruus perdidit,me ignorante ſeruus apprehendat.* Cùm enim furtũ factum eſſe ſcio, nõ aliàs videtur ea res in meam poteſtatẽ rediiſſe,quàm ſi me ſciente ſeruus facultatẽ eius nanctus ſit:& quidem hæc omnia vera ſunt,ſi rem eam eſſe in peculio volui. Nam ſi nolui,hoc amplius exigitur,vt ego facultatẽ eius apprehenderim. Summa igitur hæc eſt,Res peculiares furto ſubreptas vſucapi poſſe, ſi in poteſtatem ſerui redierint, ſiue ſciente ea ſiue ignorante domino geſta ſint. quo-
F niam ſeruus in rebus peculiaribus loco domini eſt, atque ideo etiam ſeruus ordinarius ſerui vicarij dominus eſſe dicitur.l.ſi ſeruus meus.ſ.de pecul.l.ſuos.in fi.ſ.de legat. lib.III. Res autem quas iam amplius nolit peculiares eſſe dominus,nõ aliter furti vitio liberari,quàm ſi in ipſius domini poteſtatem redierint:nam & rem meam in procuratoris poteſtatem redire non ſufficit.l.ſi rem.j.hoc tit.

Ideóque & ſi ſeruus.] Si ſeruus rem domini ſubripuerit ignorãte domino,deinde eandem loco ſuo repoſuerit, in poteſtatem domini rediiſſe videtur: quòd ſi ſciente domino ſubrepta ſit, exigimus vt rediiſſe ſciat in ſuam poteſtatem: quam diſtinctionem & in ſuperiore caſu admiſimus, & admittitur in caſu §. proxi. Quid autem eſt, ſi rem domino ſubreptam ſeruus non ſuo loco reponat, ſed peculiari deinde nomine teneat? Reſpondet ex ſententia Pomponij, non videri in poteſtatem reuerſam, niſi dominus eam in peculio eſſe velit: quoniam neceſſe eſt omnino
G rem in priſtinum ſtatum reduci. Ex quo efficitur non omnia, quæ poſsidemus, in poteſtatem noſtram rediiſſe. Quæ procurator apprehendit, ipſi poſsidemus, non tamen videntur in poteſtatem rediiſſe. Quæ ſeruus domino ſurripit, quæ peculiari nomine tenet, ipſi poſsidemus: non tamen ea in manu & poteſtate noſtra ſunt: Hæc de re dominica. Quid fiet ſi rem peculiarem ſeruus attrectet furandi animo? Rei dominicæ cõdicio mutatur,etiam ſi ſeruus eá retineat: Nam &

serui fugitiui condicio statim commutatur. Rei peculiaris condicio non mutatur, si seruus eam retineat: est namq; seruus in ea re domini loco. sed si alij tradiderit, furtiua efficitur. l. interdum. §. si res. ꝟ. de furt. Argumentari contra quis posit in hunc modum, Furtũ nihil aliud est quàm possessionis interuersio. l. 1. §. Scæuola. ꝟ. si quis testa. lib. esse iuss. fuer. Rerum quæ subreptę sunt à seruo, quandiu is eas retinet, possessionem non amittimus. l. rem. s. tit. prox. Ergo earum furtum non fit. Sed quemadmodum in seruo fugitiuo quem certò constat sui furtum non facere, sui possessionem non interuertere id receptum est, vt, quod ad vsucapionem attinet, condicio eius quasi furtum sui fecerit mutetur. l. 1. C. de seru. fugi. l. ancilla. ꝟ. de furt. vsque adeò vt nec longi temporis exceptio possessori prosit, ita si res dominicæ à seruo surreptæ fuerint, in ea causa sunt, vt & si propriè furtiuæ non sint antequam alij traditę sint, quasi furtiuæ tamen vsucapi non possint: vt est proditum in hoc §. de seruo fugitiuo. ratio traditur in d. l. 1. ne seruorum fuga suis dominis damnosa fiat: quæ aptari etiam ad res dominicas potest, videlicet ne serui contrectatio fraudulosa suis dominis damnosa sit. Eadem in procuratore interuenit ratio l. si rem. ꝟ. nam & si procuratore rem furtiuam apprehendente, res furtiua esse desinat, propterea quòd per procuratorem possessio adquiritur: ne tamen ea res domino captiosa sit, receptum est, vt ne furti vitio soluta esse videatur. Secuti sumus in interpretatione huius §. Florentinam scripturam, & verò postea semper sequemur, aut vbi non sequemur, id monebimus. A B

Rem mihi subripuerit.] Subripere est loco mouere. l. 3. §. si rẽ. s. tit. prox. Furtũ emendare est loco reponere, & ideo rectè sequitur, *Deinde eandem loco suo reponat.*

Vendideris.] Et tradideris. opponitur l. 1. §. si rem. s. depos. sed quæ in eod. §. ab Accursio adnotata postremo loco est solutio, verissima est. C

Si pupilli.] Si res pupilli subrepta est, sufficit eam redire in potestatem tutoris, quia tutor loco domini est. Domini, id est, pupilli: vsque adeo, vt nec serui pupilli in eum torqueri possint. l. 2. C. de quæstio. Sin autem redeat in potestatem pupilli, scientiam tutoris exigimus. Eadem seruantur in curatore furiosi. In curatore adolescentis non idem forsitan seruabitur: Nam adolescens intellectus capax est. Quid autẽ fiet si tutor ipse rem pupilli surripuerit? Tunc omnino necesse est, vt res in potestatem pupilli redeat. l. qui fundum. §. si tutor. ꝟ. tit. prox. l. tutor. ꝟ. de furt. Ex iis autem omnibus colligitur, pupilli rem furto surreptã, si furtiua esse desierit, vsucapi posse. Idem colligitur ex l. 2. s. de eo qui pro tut. vel cur. neg. gess. Ceterum ea l. 2. frustra dicere videtur, *nec ea vsucapta est*, quippe quia idem iuris est. cùm ea res vsucapta est. l. apud Celsum. §. si quis nõ tutor. ꝟ. de do. excep. Equidem ego existimarim in §. si quis non tutor, *non & vsucapta sit*, sed, *nec vsucapta sit*, esse legendum. Nam quæ tandem erit actio illa rescissoria, quæ pupillo in eum competat, qui vsuceperit? tum verò dicere potius debuit, Etiam si vsucapta sit, vt illũ quoq; casum includeret, Si vsucapta nõ sit. Animaduerti crebro hos articulos, *&*, *nec*, errore librariorum commutari: & proferam hac de re quattuor exempla, In l. bona. §. quod filius. ꝟ. de capt. & postlim. vulgo legitur, *& si viuo patre decesserit*, legendum credo, *nec si viuo patre*, idq; apertum fit ex l. penul. s. de suis & leg. her. l. proponebatur. §. vlt. ꝟ. de castr. pec. Rursus in l. qui fundum. §. coheres. s. ad leg. falcid. puto legendum, *nec semis pupilli legatus exhaustus esset.* Nam si pars quoq; pupilli legatis exhausta est, quid opus est ex integro contributis legatis legis Falcidiæ rationem iniri? cùm enim sit in legatis ab extraneo relictis habita ratio legis falcidiæ, quid restat aliud, quàm vt similis ratio in legatis à pupillo relictis, habeatur? Pręterea quorsum ait lex, licet pupillo substitutus heres existat, hoc obseruari? Enimuero ideo potius hoc obseruatur quòd pupillo heres existat: sed nisi me fallo, ita dixit, ideo quia si exhausta sit pupilli pars, coheredis substituti non item, hæc ratio contributionem excludit. ex diuerso tamen contributionem non excludit, si pupilli pars integra, coheredis exhausta sit. d. l. qui fundum. §. qui filium. sed perinde fit contributio, ac si ex vulgari substitutione heres extitisset. Item in l. 6. C. de his qui sibi adscr. in test. auctoribus libris scriptis emẽdandum censeo, *nec suis litteris*: vt sit sensus, Cum proponas nec generaliter dominum nec specialiter subscripsisse. Generalis enim subscriptio sufficit ad cõsequendam libertatem. Postremò l. fructus. §. si vir. solu. matr. sic esse corrigendam censeo, *Nec fundum fructuosiorem fecerit*, ex l. vlt. de fundo dot. Sed vt ad rem propositam redeamus, Quod diximus rem pupilli vsucapi posse, obstat ei l. bonæ fidei. s. de adq. re. do. l. si cõmunem fundum. s. quemadm. ser. amit. Equidem fateor eas res, quæ ciuili, aut gentium iure pupilli factæ sunt, quamdiu is in tutela fuerit, vsucapi non posse. l. bonæ fidei. l. si cõmunem. Res à pupillo bona fide possessas vsucapi non posse, id verò pernego, neq; si pupillo subreptæ fuerint, aliter eas vsucapi posse, quàm si in ipsius potestatem redierint. Ergo in ista quæstione dominum pro bonæ fidei possessore accipimus: & hoc probat l. serui. §. vlt. ꝟ. de furt. l. certè. §. Iulianus. ꝟ. de precario. in omnibus denique causis bonæ fidei possessor est pro domino. Et ita hic §. accipiendus est: reliquæ etiam omnes leges in quibus de vsucapiendis pupilli rebus tractatur, sic accipiendæ sunt, quod neq; nouum est neq; absurdum: nam in hoc titulo sæpe ita species propositas accipimus, vt ipse suis locis demonstrabo. D E F

Heres qui in ius.] Iamdiu torquet hæc quæstio Doctores nostros, contentionis & gloriæ cupidiores, quàm veritatis, An partus ancillæ furtiuæ vsucapi possit. de qua hæc ipse habeo. Si ancilla prægnans subrepta fuerit, vel si apud furem aut furis heredem conceperit, etiam si apud bonæ fidei possessorem pariat, partus vsucapi non potest. l. si ego. §. partus. s. de public. in rem act. l. qui vas. §. si ancilla. ꝟ. de fur. atque ita fit vt ea res furti vitio laboret, cuius nomine furti agi non potest: nec enim si ancilla furtiua apud bonæ fidei possessorem pepererit, partus nomine is qui ancillam subripuit, furti actione conueniri potest, videlicet quia partum non contrectauit, G

A nec ideo quia grauidam ancillam contrectauit, partum videtur contrectâsse, qui ex Stoicorum sententia, quam nostri auctores probasse videntur, ante quàm edatur, homo aut animal non est, sed matris veluti quædam portio & spes quædam animalis. Quid autem est si apud bonæ fidei possessorem ancilla furtiua conceperit? Et placet partum pro suo vsucapi posse. dicto §. si ancilla. l. si matrem. C. pro empt. videlicet si edatur eo tempore, quo furtiuam esse matrem ignorat. & hæc est Iuliani sententia in l. non solum. in princip. ℱ. hoc titu. quæ recitatur in l. si ego. §. partus. D. de public. in rem act. Est tamen §. partus. valde in illo loco deprauatus, *Quo experiar*, & nisi fallor legendum est, *Quo & pariat:* nam Iulianus, cuius auctoritate vtitur, tempus editionis dumtaxat inspicit, & in Publiciano iudicio eo tempore, quo agitur, bonam fidem non desiderari certum est. l. eum qui §. penult. & §. vlt. D. eod. tit. Necesse est igitur vt editionis tempore furtiuam esse matrem emptor

B ignoret: atq; hoc etiam ostendit §. prox.

Pro libertate sua.] Videtur autem hic species quædam emptionis contrahi. l. qui ob pactionem. l. seruus domino. ℱ. pro empt.

Non putant.] Videlicet si ante editionē sciam esse furtiuā, alioqui partum vsucapere possum. d. l. qui ob pactionem: quod etiam explicatur ita in versic. si antequam pariat.

Emptor.] Emptoris nomine superiores continentur, quia sunt emptorum loco.

Quòd si iam cùm vsucaperet.] Post editionē: neq; obstat l. iusto. §. etsi possessionis. ℱ. quoniam non loquitur de ancilla furtiua. obseruanda est etiam distinctio l. si ancillam. ℱ. pro suo.

nec contra est l. 9. et 10. ff. pro emptore: nam et hanc [illegible] nem sequuntur in [illegible] [illegible] qui [illegible] obstat. ex l. 33. [illegible] et l. 11. ff. de Publiciana.

Lana.] Quæ dicta sunt de partu, eadem prorsus in fœtu locum non habent, fœtus aut partus editi apud furem, vel furis heredem, vsucapi non possunt: partus editi apud bonæ fidei possessorem

C vsucapi possunt: fœtus editi apud eundem, ab eo vsucapi non possunt, propterea quòd statim ei adquiruntur, sunt enim in fructu, & hoc probat l. bonæ fidei. §. vlt. ℱ. de adq. re. do. siquidē ita legamus, vti est ferè in scriptis quibusq; libris, *Etiam si prægnantes venierint quæ subreptæ sunt.* Igitur quæ ratio est lactis & lanæ, eadem & fœtus: & hoc quidem huic §. adiiciendum est.

Idem in agnis.] Agni si nati sint apud furem, vsucapi non possunt: si apud bonæ fidei possessorem, eius efficiuntur consumptione. Verùm obstat l. qui vas. §. si ancilla. ℱ. de furt. Dico deesse negationem, atq; ita legendum, *Non idem & in pecudibus seruandum est & in fœtu earum, quod in partu.* Nam & subiicitur statim differentia, & differentiæ ratio his verbis, *Ex furtiuis equis nati*, & quæ sequuntur: neq; verò dicit Ex furtiuis equis concepti. Explicādus hic nobis esset §. Scæuola. l. si aliena. ℱ. sed volo suam cuiq; capiti interpretationem adnectere.

D Substantiam.] Id est, materiā, vt in l. 1. & l. in vēditionibus. ℱ. de cōtrah. emp. l. Iulianus. §. si quis rem. ad exhib. Non distinguit Paulus, vtrùm sciens an ignorās fecerit, neq; ego distinguendum puto.

Si rem pignori.] Idem traditur in l. si rem. ℱ. tit. prox. Obstant l. vlt. ℱ. hoc titul. l. cùm sit. C. pro empt. Ego sic statuo: furtum rei pignoratæ debitor facit duobus modis: vno, si tenenti creditori pignus auferat: altero, si non tenente creditore ipse pignus alij vendiderit & tradiderit. Hoc modo si factum sit furtum, res vsucapi non potest, quia postea quàm admissum est furtum, nō rediit ea res in domini potestatem. d. l. cùm sit. Illo casu, id est, si prius surripuerit eam rem debitor, deinde vendiderit, ab emptore vsucapi potest: quoniam posteaquam furtum factum est, res in potestate debitoris fuit. & hoc iste §. ostendit, & l. si rem. ℱ. tit. prox. Dixi ab emptore vsucapi posse ex l. si rem. quæ cùm posita sit sub tit. pro emptore, sic proculdubio accipiēda est, vt possit pignus ab emptore vsucapi. Ex

E quo apparet in hac quæstione tractari de re aliena, quæ à bonæ fidei possessore pignori obligata est. Et si enim res aliena pignori non sit, inter ipsos tamen qui contraxerunt, rata est pignoris cōuentio: & creditor licet frustra in dominum agat hypothecaria, non tamen inutiliter experiatur cum debitore vel alio quouis, cùm etiam debitori in creditorem isto casu actio pignoraticia cōpetat. l. si rem alienam. §. pen. l. si pignore. §. si prædo. ℱ. de pign. act. Restat autē ex his, quæ proposuimus, vt pignus à debitore subreptum vsucapi possit, hypotheca non item. Sed huic conclusioni obstat l. vlt. ℱ. hoc tit. quæ de pignore loquitur, & exigere id videtur, vt redierit pignus in potestatem creditoris: quòd si est ita, pugnabit secum Paulus, qui hoc in loco pignus affirmat vsucapi posse, neq; illud exigit, vt redierit in potestatem creditoris. Illud iam quidem est, fuitq; semper extra omnem controuersiam, pignus vsucapi posse, quod in creditoris potestatem rediisset. De pignore non reuerso in potestatem

F creditoris, dubitatum est, vt ait l. si rem. ℱ. tit. prox. Equidem dubitatum fuisse reor inter Cassianos & Proculianos. Cassiani, quemadmodū traditur in hoc §. vsucapionē admittebant: Proculiani dissentiebant. Paulus verò in l. vlt. ℱ. hoc tit. scribens notas ad Labeonem, qui Proculianæ sectæ princeps fuit, id tantùm quod erat exploratius notauit: de re controuersa nihil dixit. Non tamen id notando quod exploratius est, fidem sententiæ Cassij derogat. Fuit enim ea mens Paulo, vt non sublatis principiis sectæ Labeonis, ostenderet interdum accidere, vt furtiua res vsucapi posset, etiam si in potestatem domini non rediisset. Verùm non dixit pignus creditori subreptum vsucapi aliter non posse, quàm si in potestatē creditoris rediisset: sed pignus quod in potestam creditoris rediit, vsucapi posse. hoc certum erat, illud cōtrouersum & absurdum. Labeoni videbatur, vt simul & res furtiua fieret ac desineret: Sed tamen post multas cōtrouersias obtinuit pignus à debitore subreptū vsucapi posse,

G etiam si nondum id in potestatē creditoris peruenisset: atq; ab eodem furtum fieri, furtumq; emendari. Etiam illud notandum est, non quæri hoc in ea l. vlt. an à debitore vsucapi possit, sed generaliter an vsucapi possit. Certò enim constat à debitore vsucapi posse: quādoquidem furti vitium initio vsucapionis, non initæ vsucapioni obstat. l. bonæ fidei. ℱ. de adq. re. do. Cœpit autem vsucapere debitor, & verò per creditorem vsucepit.

Quamuis cum eo.] Interdum accidit vt ea res quasi furtiua vsucapi non possit, cuius nomine furti agi non potest, vt ostendi in §.heres: Ex diuerso vt eius rei quasi furtiuæ non impediatur vsucapio, cuius nomine furti agi potest, vt in hac specie, & l.cum æs.§.1.ȷ̃.de furt. Ergo debitor vitium quidem rei purgat, non tamen seipsum, furti enim tenetur. A

Quod puto rectius dici.] Rectior est Casſij quàm Labeonis aut Proculi sententia.

Si tu me ui.] Dixit de rebus furtiuis, nunc de vi possessis: de lege Attinia, nunc de lege Plautia & Iulia.

Vacuam possessionem.] Vacua possessio est, primùm quia tu eam non apprehendisti, nec tibi ea nudo animo adquiri potuit, deinde quia ipse animo possidere desij. Nam animo possidere, non est, sic animum instituere, vt quis fingat se possidere: Animo possidere, est ea mente eaq; opinione esse, vt quis se solum putet possidere, atque ideo qui vi deiectus est, fieri non potest vt animo non desierit possidere.l.clam.in fin.s̃.tit.prox.l.1.§.siue autem.ȷ̃.vnde vi & de vi arm. In hac igitur specie possessio vacat. B

Licet à non domino.] A non domino vi possidet, qui vi nõ dominum deiecit.l.1.§.qui à me.ȷ̃.Vnde vi & de vi arm.l.si duo.ȷ̃.vti possid.l.ei à quo.ȷ̃.hoc tit. Ergo res vi possidetur, non tantùm si dominus, sed etsi malæ fidei possessor vi deiectus sit. Idemq; mox dicendum ait bonæ fidei possessore deiecto, quamuis deiector ideo id fecerit, quòd sciret rem alienam esse.

Idem dicendum.] Vt scilicet fundus vsucapi non possit. quoniam vi possidet is qui expulit. & expulsor eum quidem ideo vsucapere non potest, quia mala fide possidet, alij, quia vi possessus est. Pro herede autem possidebat, qui heredem se putabat.l.pro herede.s̃.de pet.hered.§.pro herede. Instit. de interdict. Quæ sequuntur, *si fundum alienum bona fide possidentem quis sciens esse alienum expulerit, vsucapere non potest*, absunt à Norico & Florentino libro. & rectè, vt opinor: sunt enim superuacua. C

Quando interdicto.] *Quando*, pro *quandoquidem* Casſius existimat si dominus rem suam subripuerit, videri eam in domini potestatem peruenisse. §.si rem pignori.s̃.non idem Casſius in re vi possessa existimauit. Causa hæc est, quoniam id tantùm videtur in potestatem venisse, cuius possessio auelli non potest. §.tunc.s̃.competit autem hoc casu interdictum Vnde vi. Dixerit aliquis, competit etiam creditori, si debitor pignus subripuerit incerti condictio, id est, possessionis.l.si pignore.s̃.de pign.act. Sed hoc interest inter condictionem furtiuam, incerti, & interdictum Vnde vi: quod interdictum possessionem ciuilem auellit: Condictio naturalem, non ciuilem. hæc actio non efficit, vt dominus desinat possidere, illa contrà efficit, vt possidere desinat. D

Si uiam.] Omnes res aut mobiles sunt, aut mouentes, aut immobiles, aut incorporales. §.cùm autem. C.de rei vxo.act.l.2.& 3.C.de quadr. præscr.l quam Tuberonis.§.in peculio.s̃. de pecul. Res mobiles ac mouentes furto subripi possunt: Res immobiles vi possideri, non furto subripi: Res incorporales, vtputa seruitutes, nec vi possideri, nec furto subripi possunt. Ex quo sequitur id, quod in hoc §.traditur, viam non vtendo amitti, etiam si quis de ea quodammodo detrusus sit, quia nec possidetur via, neque de ea quis mero scilicet subtiliq; iure deiicitur. Verum autem non est quod Acc.annotauit, interdicto Vnde vi ei succurri, qui de via deiectus quodammodo fuerit, ex l.si plures.§.deiectum.& l.prox.ȷ̃.Vnde vi & de vi arm. nam interdictum de fructuario tãtùm loquitur, qui prohibitus est vti frui, quoniam fundum fructuarius naturaliter possidet: deiicitur autem is etiam qui naturaliter possidet.l.1.§.deiicitur.ȷ̃. Vnde vi & de vi arm. idemque est in vsu & habitatione.l.3.§.item si nõ vsusfr.ȷ̃.eod.tit.l.Atilius.s̃.de donat. Datur autem fructuario interdictum. Vti possidetis. Ad seruitutes prædiorum interdictum Vnde vi non pertinet, sed neque Vti possidetis. Hæc tantùm interdicta veluti possessoria, seruitutum causa introducta sunt, De itinere actuq; priuato, De aqua quotidiana & æstiua, De riuis, De fonte, De cloacis.l.quotiens.s̃.de seruit.l.vlt.s̃.quemadmod.seruit.amit.l.2.§.vlt.ȷ̃.de superfic. E

Id est, mero iure.] Modò *id est*, pro *scilicet*, vt in l.sunt qui in id.ȷ̃.de re iud. aliàs est διασαφητικὸν, aut παραδειγματικόν.

Detruditur.] Hoc olim verbo vsi sunt Prætores in interdicto Vnde vi. M.Tul. pro Cæcinna. Detrusum dices? nam eo verbo antea Prætores hoc interdicto vti solebant.

Vacuam possessionem.] Bene vacuam: secus enim est si possessionem inuaseris. F

Libertatem.] Dixit Paulus in §.si viam, amitti viam non vtendo: idem est in ceteris seruitutibus rusticorum prædiorum. Amittebantur autem olim biennio, hodie x.vel xx.annis.l.pen. C.de seruit.& aqua. harum verò seruitutum libertas non vsucapitur, nec enim eorum libertas vsucapi potest, quæ non vtendo amittuntur, vt Paulus sentit lib.1 sent.tit.de seruit. Rursus ea quorum libertas vsucapitur, non omnimodo amittuntur non vtendo. Vsucapitur verò vrbanarum seruitutum libertas: nec sanè possunt eæ non vtendo amitti, nisi vsucapiatur libertas.l.5.l.6.s̃.de seruit. vrb. præd.l.si quis alia.§.vlti.quemadmod.seruit.amit. Ergo rusticorum prædiorum seruitutes non vtendo amittuntur, vrbanorum prædiorum seruitutes vsucapione libertatis. In his facto eius est opus, qui seruit: in illis eius cui seruitur, cessatio sufficit. Est etiam hæc differentia inter vsucapionem libertatis, & amisſionem quæ fit non vtendo: Tempus quo vsus venditor non est, emptori computatur.l.si quis alia.§ 1.s̃ quemadmod.ser.amit. Tempus quo venditor possedit ædes, emptori non imputatur in vsucapienda libertate.l.si ædes.§.libertas.s̃.de ser.vrb. præd. Quam differentiam Accursij comites assecuti non sunt, ab Constantino autem euidenter his verbis expressa est, lib.11. Epitomarum, εἰς τὸ κλέπτεσθαι ἐλευθερίαν τῆς δουλείας, τῶν αὐτῶν ἀπαιτουμένων παρ' ὅλον τὸν νόμιμον καιρόν. εἰς δὲ τὸ G

ἀπολέσαι

A ἀπολέσαι δὲ τῆς ἀχρηστίας ἀρκούμεθα τὸ μηδὲ χρήσασθαι καὶ μόνον παρ' ὅλον τὸν τοῦ νόμου καιρὸν, κἂν οὐ περιεργαζόμεθα, εἴτε εἷς εἴτε πλείους εἰσὶν οἱ μὴ χρησάμενοι. Nunc videndum eſt, an ipſæ ſeruitutes vſucapi poſsint. Ruſticorum prædiorum ſeruitutes vſucapi non poſſunt, vel quia poſsideri non poſſunt, vel quia naturâ intermiſsionem habent. l. 14. ſ. de ſeruit. l. cum vſusfructus. ſ. de vſufr. leg. Vrbanorum autem prædiorum ſeruitutes vſucapi olim potuerunt, ideo quia tales ſunt, vt continuam habeant poſſeſſionem. l. ſeruitutes quæ in ſuperficie. ſ. de ſer. vrb. Lex tamen Scribonia earum vſucapionem ſuſtulit, vt in hoc §. traditur, qui non pertinet, niſi ad vrbanorum prædiorum ſeruitutes: nam de vſucapione libertatis tractat, quæ in vrbanis duntaxat ſeruitutibus locum obtinet. Igitur hoc totum concludi ſic licet, Nec ruſticorum, nec vrbanorum prædiorum ſeruitutes vſucapi poſſunt. Ruſticorum vſucapioni ratio iuris obſtat, Vrbanorum lex Scribonia. Eſt autem etiam moribus recepta lex Scri-
B bonia. l. ſi aliena. §. 1. ĵ. hoc tit. & hoc eſt quod in lege. 14. ſ. de ſeruit. cùm oſtendiſſet rationem hoc non pati, vt ruſticorum prædiorũ ſeruitutes vſucapi poſſent, Paulus ait. Idem & in ſeruitutibus prædiorum vrbanorũ obſeruatur: non illa ſcilicet ratione, ſed lege Scribonia & more maiorum. Denique mixto iure fit, vti ne vrbanorum prediorum ſeruitutes vſucapi poſsint. quod enim lege fit, moribus cõprobata, mixto iure fit. Arguméto eſt actio ex lege Cornelia de iniurijs, quam Paulus lib. 5. ſent. eſſe mixto iure introductam ait. item illa iuris definitio de quæſtione ſerui in dominum nõ habenda, quam vetere S. C. Cornelius Tacitus lib. 2. more maiorum, M. Tullius pro Deiotaro munitam ait. Sed ne longiùs à re propoſita diſcedamus, explicãda nobis eſt l. ſi quis diuturno. ſ. ſi ſeruit. vind. ex qua Doctores id effici putant, vſucapi poſſe ſeruitutes, quod eis minimè concedendum eſt. Lex ait ſeruitutes diuturno vſu & longa quaſi poſſeſsione adquiri, quod etiam indicat l. foramẽ.
C ſ. de ſer. vrb. l. 1. §. vlt. ſ. de aqua & aquæ plu. arc. l. apparet. §. pen. de itin. actuq; pri. l. 1. & 2. C. de ſeruit. & aqua. neq; ipſe repugno. ſed vitioſa eſt collectio, Seruitus diuturno vſu adquiritur, ergo ſeruitus vſucapitur. nam aliud eſt vſucapere, longè aliud vſu diuturno ſiue longo tempore adquirere. Vectigalia, tributaria, ſtipendiaria prædia vſucapi non poſſunt, longo tempore adquiri poſſunt. l. cùm ſponſus. §. in vectigalibus. ſ. de publ. in rem act. l. ſi finita. §. ſi de vectigalibus. ſ. de dam. inf. Vectigalia ſunt ciuitatum, prædia emphyteuticaria. Tributaria, ſtipendiaria ſunt prouincialia prædia, de quibus ipſe in §. in vectigalib. illa verba, *Et in alijs prædijs*, eſſe accipienda reor. Vſucapio poſſeſsionem exigit: Longi temporis adquiſitio quaſi poſſeſsione contenta eſt. Illa directam actionem parit, hæc vtilem. Illa ſine titulo non procedit, in hac de titulo docere non eſt neceſſe. Hoc duntaxat exigimus, vt ne is, qui ſeruitutem ſibi adſerit, vtili in rem actione, ea per longum tempus vſus ſit, aut vi
D aut clàm, aut precario: nã his tribus modis ſeruitus mala fide poſsidetur. l. Pomp. §. 1. ſ. tit. prox. non tamen id exigimus omnimodo, vt ſciente domino is eo iure vtatur. l. vlt. C. de præſcr. lon. temp. ideo enim Imperator in l. 2. C. de ſeruit. & aqua, refert Martialem ſciente domino aquam duxiſſe, vt intelligeremus clàm ab eo minimè aquam deductã eſſe, vt in l. 5. §. ſed & ſeruitus. ĵ. quod vi aut clàm. poſsit tamen aqua rectè ignorante domino deduci, modò ſi celandi animum is non habuerit qui ducit. Hæc igitur tria vitia ſi abſint, poterit longo tempore ſeruitus adquiri, quod tamen ipſo iure non fiet, ſed Prætoris tuitione: non directo iudicio, ſed vtili. At quoniam res admonet, videndum nunc eſt, quæ ſit longi temporis definitio: de quo ne plura ſcribam, id cuſtodiendum eſſe cenſeo, quod Accurſius tradidit, quod & illa verba ſuadent, *Exemplo rerum immobilium* in l. 2. C. de ſeruit. & aqua. Adnotandum tamen eſt eam legem ad prouincialia, non ad Italica prædia pertinere. Ita ve-
E rò etiam longum tempus Paulus definiuit in lib. 5. ſent. tit. de vſucapione, & tit. de effectu ſentent. ſed in l. 1. §. vlt. & l. 2. & l. vlt. ſ. de aqua & aquæ plu. arc. & in l. hoc iure. §. Ductus. ĵ. de aqua quot. & eſt. in adquirendis ſeruitutibus infinitum tempus deſiderari videtur. Quid dicendum eſt? Tractatur in eis locis de aqua. Aquæ ductui auctoritatem dat, non tantùm diuturnus vſus, vtputa ſiquis ita ſe aquam duxiſſe contendat x. aut xx. annis nõ vi, non clàm, non precario, ſed etſi id non contendat, vetuſtas, id eſt, infinita memoria, aquæductui auctoritatem dabit: quod & in aqua publica ſeruandum eſt. l. ſi manifeſtè. C. de ſer. & aqua. l. 4. C. de aquæduc. & conſuetudo igitur longi temporis & vetuſtas vicem iure conſtitutæ ſeruitutis obtinet. ſed vetuſtas etiam, vt ait l. 2. ſ. de aqua & aquę plu. arc. vim legis obtinet. Seruitutes imponuntur à dominis. l. de pupillo. §. ſextus. de no. op. nunc. Leges dicũtur ab ijs qui agros conſtituunt. l. quod principis. de aqua & aquæ plu. Hygenus lib. 2. de li-
F mit. conſti. Diuiſi, inquit, & aſsignati agri, leges accipiunt ab his qui veteranos deducunt, & ita propriam obſeruationem eorum lex data præſtat in ijs agris. Per ſeruitutem prædium prædio ſeruit ciuiliter: per legem, per vetuſtatem naturaliter, non ſecus ac per locorum naturam, quam Iulius Frontinus & Siculus Flaccus ſupercilium appellant. Hæc igitur huius diſputationis ſumma ſit: Seruitutes ruſticorum prædiorum non vtendo amittuntur: Seruitutes vrbanorum prædiorum non vtendo non amittuntur. Harum libertas vſucapitur: Illarum libertas non vſucapitur. Hæ vſucapi olim poterant, ex lege Scribonia, nunc non poſſunt: Illæ nec poſſunt, ne vmquam potuerunt vſucapi. Seruitutes omnes longo tempore quaſi adquiruntur. Denique ſeruitutes vſucapione legitima non adquiruntur: vſucapione tamen Iuſtiniana omnimodo adquiruntur. Fœda eſt negligentia, cùm quid conſtitueris, id præterire, quod cum eo maximè quod conſtitueris, pugnare videatur. Igitur
G cùm ita cõſtitutum ſit ſeruitutes ruſticorum prædiorum vſucapi non poſſe, videamus quemadmodum interpretari nos oporteat, quod his verbis Paulus ſcribit lib. 1. ſent. *Seruitus hauriendæ aquæ vel deducendæ biennio omiſſa, intercidit, & biennio vſurpata recipitur.* & quod Aggenus in lib. de limit. agr. dum ait, *Iter non qua ad culturas peruenitur capitur vſu, ſed id quod in vſu biennio fuit.* Et quod ad Paulum quidem attinet, is non vſucapi aquam biennio, ſed vſurpari dicit. i. vſu retineri, ſic enim id verbum

bum accipi oportere ostendimus in l.2.§.Sententia igitur Pauli hæc est, Aquam non vtendo amit- A
ti, si is cui debetur, ea biennio non vtatur: quòd si ea biennio vtatur: id est, si vsurpauerit eam, cuius
scilicet vsu se aliquo tempore abstinuerat, non iam amitti, sed cùm inibi esset, quodammodo recipi
vel retineri. Quod autem Aggenus ait Iter biennio vsucapi, sanè alienum à vero est, si biennio per
se iter vsucapi intelligamus, at cum prædio tamen cui debetur iter, & biennio iter vsucapi constat. l.
si aliena. §.1.ff. atq; ita tenere Aggeni sententia potest: prædium enim quando vsucapitur, cum sua
causa, & condicione & qualitate vsucapitur. At, vt ex libris scriptis didicimus, sic apud Aggenum le-
gendum est: *Iter enim non quia ad culturas perueniatur, capitur vsu, id est, quod in vsu, biennio fuit.* Ea
etiam hoc in loco explicare quæ de finium latitudine Aggenus ex lege Mamilia tradit, non alienũ
esse iudico. Fines vnius gradus latitudinem secundum legem x i i. tab. & legem Mamiliam habent,
& ideo in l. 3. ff. de term. mo. Qui terminos, inquit, statutos extra suum gradum finesq; mouerint. B
Est autem is gradus non simplex, sed geometricus. Gradus simplex pedes habet duos semis, vel, vt
ex Iuliano Ascalonita architecto Constantinus scribit lib. 2. epitom. τὸ βῆμα ἔχει πόδας τρεῖς. Simili-
ter gradus geometricus, id est, passus siue ὀργυιὰ pedes habet quinque, vel, vt alijs placet, pedes sex.
atque ideo Aggenus ait lege Mamilia quinque vel sex pedum latitudinem præscribi. Intra eam lati-
tudinem non est vsucapio, vti cautum est in x i i. sed neque intra eam latitudinem est præscriptio,
id est, diuturni vsus adquisitio ex constitutione. l. quinque pedum. C. fin. regund. sic enim præ-
scriptionem accipi sæpissimè, ostendi in titul. de vsucap. lib. 2. Institut. est tamen intra id spatium
x x x. annorum præscriptio. l. vlt. C. eod. tit. atque ita ipse de hac quinque vel sex pedum quæstione
iudicandum censeo.

Libertatem seruitutum.] Seruitutum vrbanarum, quod iam supra demonstraui, & ex sub- C
iecto exemplo satis liquet.

Lex Scribonia.] Crediderim plebiscitum esse. Meminit M. Tullius L. Scribonij Trib. pleb.
in Bruto & in epist. ad Att.

AD L. NATVRALITER.

NATVRALITER.] id est re ipsa, non fictione. Eodem sensu naturaliter possidere, &
naturaliter obligari dicimus: hoc enim verbo factum demonstratur.

Res eripitur.] Eripere est de manibus auferre per raptum. Deijcimur itaque è rebus soli, Eri-
piuntur res mobiles.

Quo casu non aduersus eum.] Non ei tãtùm vtilis est vsurpatio qui eripit, sed etiam omni- D
bus: sic enim articulum, *Aduersus*, accipiendum esse hoc in loco, in Notis ad Vlpianum ostendi, tit.
20. sic, vt mihi P. Faber indicauit, & in l.1. ff. de iu. fisci. aduersus leges commissum factum esse, id est,
secundum leges, vt in Vlpiano aduersus leges testari.

Ac ne illud quidem interest.] Puto hæc verba ad eum pertinere, qui vsurpauerit. Dixit ni-
hil interesse, dominus sit is, qui vsurpauerit, nec ne: modò nihil interesse dicit, vtrùm dominus bo-
na fide, an mala vsurpauerit: nam etsi mala fide vsurpauerit, omnibus vsurpatio hæc prodest. Titu-
lus Pro suo, non potest esse malæ fidei, l. si ancillam. ff. pro suo. His igitur verbis, Pro suo, significatur
bonæ fidei possessio. Illis, Ex lucratiua causa, malæ fidei: nam vt est in l. non solum. §. quod vulgò. ff.
hoc tit. & l.2. ff. pro herede & l.1. ff. de furt. qui mala fide possidet, lucrifaciendi causa possidet, videli-
cet vt id quod possidet, vsu suum faciat. Igitur an ex lucratiua causa, id est, an quasi alienam. Volunt E
quidam sic interpretari, Pro suo, id est, ex causa non lucratiua: quod non debet fieri: nam & qui pro
legato, aut pro donato possidet, pro suo possidet. l. 1. ff. pro suo. item non est cur hoc debuerit scri-
bere, nihil referre, vtrùm vsurpator pro emptore, an pro donato rem possideat, cùm nulla huius
causæ ab illa separandæ iam subesset ratio. Quidam alij verba hæc referunt ad eum, cuius possessio
interpellata est, quos etiam ego rectè interpretari non existimo. nam quo tandem cumq; modo is
possideat, certum est eo pacto naturaliter possessionem interrumpi, nec potest, vlla in contrarium
dubitationis aut distinctionis induci ratio. De illo sanè dubitari potuit, an vsurpatio ab eo facta qui
rem alienam esse non ignorat, vero domino prosit: Caius autem interesse nihil ait, pro suo quisque
possideat, an ex lucratiua causa, id est, nihil referre, vtrùm bona vsurpator an mala fide possideat.

AD L. IN VSVCAPIONIBVS. F

Momentum in iure ciuili horam significat: nec verò vllum considerari minus momentum po-
test: quis enim exactè possit momentorum omnium rationem subducere? atque ita momentum
accipi, probat l.3. §. minorem. §. de minorib. & Ant. Goueanus in lib. Var. lect. animaduertit. In vsu-
capionibus ergo tempora non ab hora ad horam, sed totum postremum diem computamus, non
diuidimus diem momentis, sed totum diem computamus: Denique totum diem extremum pro
momento temporis accipimus, vt qui illum diem attigerit, eum vsucepisse dicamus. Ergo à die in
diem, non ab hora in horam fit computatio temporum cui sententiæ congruit l. in vsucapione. ff. de
diuers. temp. præsc. Sic & in lege Aelia Sentia, & in lege Iulia & Papia, & in alijs plerisque causis, tem
pora supputari solent, idq; fit ciuiliter, id est, fictione iuris. Naturaliter enim ad momenta temporũ G
annus numeratur, quæ computatio etiam in legibus nonnunquam obseruatur, vt in l.5. ff. de obl.
& act. item in l.3. §. minorem. ff. de minor. cuius. §. verba à nemine adhuc emendata, sic meo iudi-
cio restituenda sunt: *Minorem autem x x v. annis natu, videndum an etiam die natalis sui adhuc dicimus
ante horam qua natus est, vt si captus sit restituatur.* in libro Flor. corruptè legitur, *diem*, pro *die*.

AD L.

AD L. IDEOQVE.

A Qui autem bissexto cœpit vsucapere,siue priore,siue posteriore,pridie v I. Kal.Mart.post sextam horam noctis,à qua dies Romano more incipit,vsucapionem implet:at in quæstione.§.minorem non ante videtur non esse minor x x v.annis,quàm si bissexto natus etiam diem v I.Kal.Mart.compleuerit: nec refert siue priore siue posteriore die natus sit:nam id biduum pro vno die computatur.cuius sentētiæ in §.minorem auctor laudatur Celsus. Id verò Celsus scripsit in l.cum bissextum.ↄ̄.de verb.sign.in qua tamen non de die tantùm,sed & de mense intercalari agitur.Ceterum mensis intercalaris sublatus est ab Iulio Cæsare, vt Suet. Tranquillus scribit, qui non ex x x I x. vel vt alij scribūt,ex x x I I. aut x x I I I. sed x x v I I I. diebus constabat:ideoq; cùm ante Iulium Cæsarem non cōstaret annus nisi c c c L v. diebus,incidēte intercalari mēse,annus dies habebat c c c L x x x I I I.

B Eius verò mensis initium erat pridie Kal. Mart.vt ex Qu.Mucio Celsus refert.Nunc ex instituto Iulij Cæsaris,annus dies habet c c c L x v. l. Cùm heres.§.Stichus.s̄.de statulīb. l.ita vulneratus. §.æstimatio.s̄.ad leg.Aquil.l.anniculus.ↄ̄.de verb.sig. & quarto quoque anno ad v I. Kal. Mart.dies vnus intercalatur.Is autem intercalaris dies si medio vsucapionis tempore incidat,legitimum tempus augeri constat:quod & in actionibus,quæ certo tempore finiuntur obseruari indicat l. 2.ↄ̄. de diuers. temp.præscr.& in ætatis quæstione non est ambiguum:At in definitione dierum x x x. iudicato faciendo,&in postremo eius legis exemplo,puto diem intercalarem in x x x.diebus numerari,quod ex Hugolino rectè Accursius interpretatur.

AD L. LABEO.

C Ignorantes.] Ergo & infantes,& furiosi, quod iam quidem in l.4. s̄. dixeram, sed iterum repetendum esse censui, ne quis ad eos proximam sententiam existimaret pertinere, quod etiam ad municipes transfertur, & captiuos. Et omnino etiam à proxima sententia excipienda est peculiaris causa, vt sit hic sensus, si non posit dominus suo nomine vsucapere, nec seruum etiam posse nomine domini.

AD L. VSVCAPIONEM.

Maximè.] *Maximè*, additum videtur à Triboniano, propterea quòd seruitutes,etsi iure legitimo non vsucapiantur,ex constitutione tamen Iustiniani vsucapiuntur.Eandem etiam eum particulam addidisse ad l.4.§.1.supra ostendimus.

D Sacris sanctis.] Addatur, *religiosis*. §.sed aliquando.de vsuc.Inst.l.4. s̄. de mor.inf.& ideo nec sepulchrum,nec forum sepulchri vsucapi potest,quod M.Tullius ait in x I I. tab.contineri.

Publicis populi Romani.] Sic ait Publicis P. Romani,vt nos in notis ad Vlpianum tit. 20. Seruus publicus P. Romani parte dimidia testamenti faciendi habet ius, legendum esse admonuimus. quod in hac Biturigum schola, cùm de quibusdam iuris articulis quidam disputationem instituisset,ita eleuabat,vt absurdam esse locutionem diceret,nimirum id per se publici verbo adnuēte satis,non animaduertens alia iuris auctores P. Romani,alia ciuitatum publica facere:id etiā non intelligens,natum ex notis eum errorem quibus & Prætorem & P.Romanum significare solemus: atque ideo Victorinus Afer. P R. quotiens, inquit, Prætorem significare vultis, nolite interpungere, ne fiat populus Romanus.

E

AD L. SI ALIENA.

In vsucapionibus ab initio bona fides exigitur. Ceterùm hac in re distat emptio à ceteris contractibus.Nam in emptione duobus temporibus bona fides exigitur,emptionis,& traditionis.l.sed etsi res.§.vlt.s̄.de pub.in rem act.In stipulationibus,traditionis tantummodo tempus exigitur. l. si is qui pro emptore.§.vlt.l.iusto.§.etsi possesionis.ↄ̄.hoc tit.Differentiæ causa hæc est, quòd salua fide scientes rem alienā emere non possumus,stipulari autem possumus. Sed huic definitioni obstat lex nostra, nisi hoc Vlpianum sentire dicamus, non tantùm emptionis, sed etiam traditionis tēpus spectari,quod Accursio placet,mihiq; verisimum videtur.Semper enim inter omnes constitit,spectari tempus emptionis oportere,quia scilicet syncera fides non patitur,vt rem alienam sciens quis

F emat. Sed id solùm in emptione tempus sufficere Proculiani existimauerunt, & in stipulationibus possesionis. Obtinuit tamen Sabinianorum sententia, qui vtrumq; tempus in emptione spectandum esse censebant:& huius controuersiæ vestigium quoddam à me inferius explicabitur in l. qui fundum.§.qui bona,pro emptore.

Hoc iure utimur.] Post legem Scriboniam.

Nusquam.]Neq; in Italia,neq; in prouincijs.Imponi non tantùm in Italia poterant,sed etiam in prouincijs.l.3. C. de ser.& aqua:etenim prouinciales non quidem ex iure Quiritiū,sed in bonis, siue ex iure Naturali, prædiorum erant domini: & ob eam quoque rem in prouinciali solo nuntiatio noui operis locum obtinebat. l. in prouinciali.s̄. de no. op. nunt. Nusquam verò seruitutes vsucapi poterant.

G Longo tempore capi.] Scripserat Vlpianus *vsucapi*: quod ita Tribonianus immutauit, *longo tempore capi*, propter transformationem Iustiniani:qua in re meritò reprehendi potest,cùm olim longo tempore quasi seruitutes adquirere licuerit, & nunc etiam seruitutes omnimodo longa consuetudine adquirantur ex constitutione Iustiniani.

Cum ædificijs.] Cum fundis etiā seruitutes vsucapi possunt,vt dictum est in l.sequitur.§.vlt.

Pariátque

Pariátque apud furis heredem.] Frustra hoc Marcellus adijcit si conceptus etiam apud furem, & editus apud bonæ fidei possessorem, vsucapi non potest: Dixit igitur, pariatque apud furis heredem: quoniam si apud bonæ fidei emptorem pariat, iuuencus emptori statim adquiritur, & ab alio vsucapi potest. A

Scæuola autem.] Non Q. Mucium, sed. Q. Ceruidium intelligit, qui fuit ex eadem gente. Qu. Mucius partum ancillæ in fructu esse opinabatur, vt M. Tullius scribit lib. 1. de Finibus. Qu. Ceruidius gentilis sui opinionem sequitur, & ideo nullum discrimen facit inter fœtum & partum. Refert autem Vlpianus Scæuolæ & Marcelli sententiam, quid ipse sentiat non dicit. credo veriorem esse Marcelli sententiam. Idem ostendemus accidisse Vlpiano in l. si is qui pro emptore. ff. cùm eò peruenerimus.

Nec enim.] Ex hoc loco sumpta est l. partum. ff. de verb. sign. vti ex inscriptione apparet. B

Ceterùm.] Ceterùm pro alioquin: cuius reciprocum alioquin, pro ceterùm sæpe in Pādectis, quod etiam, vt Charisius scribit in Sallustij histor. lib. 4. Asper annotauit.

Nec si apud bonæ fidei.] Quod vtique falsum est, si dicamus ancillæ partum esse in fructu, & bonæ fidei emptori statim adquiri: poterit enim ab alio vsucapi: at certè cùm id hodie receptum sit, in fructu partum non esse, hoc etiam verum est, partum conceptum apud furem, vel furis heredem, editumq; apud bonæ fidei emptorem, vsucapi non posse. ceterùm falsum est non posse vsucapi iuuencum conceptum apud furem, & editum apud bonæ fidei possessorem. nam etsi ab emptore vsucapi non possit, propterea quòd ei statim adquiritur, ab alio tamen vsucapi potest. Putabat ergo Scæuola partum apud furem editum, vel apud bonæ fidei emptorem, vsucapi: & per omnia partum negabat esse rei furtiuæ partem, nec fœtum à partu separabat. Marcello idem iudicium nō fuit, cuius sententiam sequimur, de qua nos, in l. sequitur, satis multa disseruimus. C

AD L. NEQVE SERVVS.

Accursius peculij causam excipit: & rectè, vt dicemus in l. si is qui pro emptore. Neq; igitur seruus nomine domini, neq; per seruum dominus qui apud hostes est, suo nomine possidet.

AD L. SI AB EO.

Is qui emit à domino cui bonorum alienatio interdicta non est, vsucapere non potest: quia traditione dominium adquirit. Is etiam qui sciens emit à domino, qui alienandi ius non habet, quia mala fide emit, vsucapere non potest: vtputa si à furioso sciens emit, si à prodigo cui bonis interdictum sit, si ab herede quem Prætor vetuit deminuere, vt in specie l. si creditores. ff. de priuil. cred. & l. qui fundum. §. qui sciens. ff. pro emp. l. si sciens. s. de cont. empt. D

AD L. PIGNORI.

Qui pro suo possidet, vsucapere potest. Qui pro alieno, aut pro possessore possidet, vsucapere non potest. Pro alieno possidet creditor, colonus, inquilinus, ἐμφυτεύτης: Pro possessore, prædo. Adhæc Accur. notat, neq; creditori vtilem esse xxx. annorum præscriptionem, videlicet si debitor in rem experiatur, quod puto rectè dici. non tamen id probo quod Acc. deinde notat, ius luendi pignoris præscriptione xxx. annorum excludi, qua in re sequitur Bulgarum: Rogerius tamen dialogum scripsit de præscriptionibus, in quo id fortiter defendit, Ius luendi pignoris præscriptione xxx. vel xl. annorum non tolli, quæ sententia mihi probabilior videtur. nam quod dicitur omne ius tolli præscriptione xl. annorum. l. omnes. C. de præscript. xxx. anno. de actionis non de luitionis iure accipiendum est. Pigneraticia autem actio præscriptione tolli non potest, antequam nata sit. atqui non nascitur ante quàm debitor pignus repignorauerit: nec enim rectè quis dixerit eo pigneraticiam actionem tolli, quòd cùm potuerit pignus debitor luere, & sibi gignere pigneraticiam actionem, ei tamen per xxx. vel xl. annos id nunquam in mentem venerit. nam si filiofa. eò non obstat præscriptio, quòd non egerit, cùm id à patre facilè impetrare posset. l. 1. §. vlt. C. de anna. exc. multominus eo debitori obstabit, quòd pecuniam non soluerit. Expeditior enim plerumq; agendi quàm soluendi facultas est. Præterea si creditoris possessio debitori ad præscriptionē prodest. l. cùm notissimi. §. sed cùm illud. C. de præsc. xxx. ann. absurdum est dicere præscriptionem ei etiam nocere, quominus cum creditore actione pigneraticia experiatur. Et quidem huic sententiæ non obstat d. l. cùm notissimi. §. eod. nec enim hoc lex dicit, ius liberandi pignoris præscriptione tolli, sed hypothecariam actionem, quam posterior contra priorem creditorem habet, longissimi temporis præscriptione tolli. Item non obstat l. nec creditores. & l. vlt. C. de pign. act. Loquuntur enim de nata iam actione pigneraticia, eamq; longo tempore tolli negant: vbi eam rectè Ioannes & Græcus interpres longissimo tempore tolli confirmant. E F

Bona fide.] Ignorans, alioqui pro possessore possidet. l. nec vllam. §. 1. s. de pet. her.

Si mandauero.] Per procuratorem possessio nobis adquiritur, si ea mente & cogitatione acceperit, vt nobis adquireret l. quod meo. s. tit. prox. Quòd si rem sibi habeat, possessio nobis nō adquiritur. l. 1. §. per procuratorem. s. tit. prox. & ideo tunc sibi procurator ipse vsucapere potest, quamuis, inquit, possit videri non pro suo possidere, videlicet cùm eius rei nomine mandati actione teneatur. nec tamen certè, ideo minus pro suo possidet, quòd mandati iudicio teneatur. G

AD L. ID TEMPVS.

In vsucapione non coniunguntur tempora inter emptorem & venditorem. l. si ædes. §. libertas. s. de

A §.de ser.vrb.præd. In longi temporis possessione inter emptorem & venditorem tempora coniunguntur, ex rescripto Seueri & Antonini.§.inter venditorem.de vsucap. quod Iustinianus ad vsucapionem etiam triennij traxit in tit.de vsucap. transfor.vt planè non suo loco in Institutionibus hæc verba posita esse videantur: *Quod nostra constitutio similiter & in vsucapionibus obseruari constituit, vt tempora continuentur*, quemadmodum ipse ad ea in tit.de vsucap.adnotaui.Ex his apparet hāc legem non de vsucapione, sed de longa possessione accipi oportere. Ita verò demum inter emptorem & venditorem tempora coniunguntur, si vterq; bona fide rem acceperit. Nam auctoris,id est,venditoris vitiosa possessio,bonæ fidei emptori nō prodest,sed neq; etiam nocet,vt id per se nō vsucapiat emptor,quod venditor nō potuit. Proinde in accessione addimus,vt ea ita demum emptor vtatur, si nec vi,nec clàm,nec precario venditor possederit.l.Pomp.§.1.§.tit.prox.& ex diuerso,iusta vendi-
B toris possessio,emptoris vitiosæ possessioni non prodest. Quòd si medio tempore alius possederit, interrupta est possessionis cōtinuatio: qua in re sunt similes emptores successoribus.d.l.Pōp.§.quęsitum.l.possessio.j.hoc tit.Aliàs verò magnum inter eos discrimē est.nam defuncti mala fides,bonæ fidei successori nocet:contrà bona fides defuncti, malæ fidei successori prodest, quod tam in vitia, quàm in virtutes defuncti succedat,& eadē esse persona existimetur.In eadem verò persona hoc receptū est,vt mala fides obstet initio,nō item iam cœptæ vsucapioni.Quæ dicuntur de emptore,trahuntur etiā ad donatarium,& legatarium,& fideicōmissarium,& ceteros, præter vniuersi iuris successores,nā in hac quæstione nō separantur lucratiuæ causæ à non lucratiuis. Præterea non tantùm emptor venditoris,sed etiā venditor emptoris accessione vtitur.l.si duobus.j.de diuers.temp.prescr. l.Pomp.§.præterea.§.tit.prox.ceterùm in specie.§.si liber.l.Pomp.ideo liber homo, aut dominus,
C venditoris accessione non vtuntur, quoniam alius medio tempore possedit:eius verò,cui adquisita fuerit possessio,ideo accessione non vtuntur,quia causam ab eo nullam habent. In specie autem §. si is qui precario.l.Pomp.ideo manente precario,is qui precario concessit,accessione nō vtitur,quia ei tantùm accessio prodest,qui possidet.l.pen.§.1.j.de diuers.temp.prescr.d.l.Pomp.§.vlt.Is autē qui precario concessit, durante precario aut non possidet, aut de eo saltem dubitatur an possideat.l.& habet.§.eum qui.j.de preca.At precario dissoluto, accessioni proculdubio locus est: precaria enim possessio iusta est: ea quæ vi aut clàm possessa est,iniusta est,atq; ideo etiam ex ea nō datur accessio. Et vt quæ in hac quæstione de accessionibus possessionum obscuriora sunt,pro nostra parte attingamus,&,si fieri potest,aperiamus etiam & illustremus,hoc quoq; notandum esse censeo ex l.pen. §.item adiiciendum.j.de diuers.temp. præscr.continuari tempora inter emptorem & venditorem,
D etiam si per procuratores emptio venditioq; perfecta fuerit. Ceterùm ita in eo §.legendum esse, *Et quod apud eum cui vendendum mandauit*, aut sanè,vt in P.Flor.sæpe accidit, *Qui*, sic accipiendum est, vt valeat, *cui*. Erit igitur hæc eius §.sententia,Emptori accessionem dari cum eo quod apud procuratorem fuit,cui mandatum erat vt venderet: sed tamen possessionem interrumpi,si porrò idem is alij mandauerit,nisi id fiat ex domini voluntate.

Nam si postea.] Post traditionem.l.penul.§.penul.j.de diuers.temp.præscript. ergo id solum tempus emptori proficit,quod fuit ante venditionem & traditionem,licet venditionis tēpore venditor non possederit: quod & in herede ita seruatur,vt ei tempus accedat, quod ante mortem defuncti fuit,quamuis tempore mortis eam rem defunctus non possederit:& hoc ostendit l.Pomp.§. non autem.§.tit.prox.secundum Flor.scripturam.

E Quodammodo quasi.] Duas notas apposuit,vt ostenderet heredem propriè non esse, vt in l.iurisgentium.§.adeo.§.de pact.§.hoc quoque.per quas pers.nob.adquir.sed tamen vt heres, ita & legatarius accessione defuncti vtitur:heredis etiam accessione legatarius vtitur. Hoc verò inter legatarium & heredem interest,quod mala fides defuncti nocet heredi,non legatario.

AD L. SI IS QVI PRO EMPTORE.

Dicturus sum hoc in loco de iure singulari vsucapionis, exemplo ad l.ius singulare.§.de legib. aptissimo & cōuenientissimo.Est verò hæc iuris istius definitio,Ea quę serui peculiari nomine nanciscuntur,etiam ignorantes dominos vsucapere. Iure enim ciuili,scientia in vsucapionibus exigitur, sed iure singulari vtimur,vtilitatis rerum causa.l.peregre.§.quæsitum.§.tit.prox.l.iusto.§.nondum.j.
F hoc tit.Et quidem ex hac definitione quattuor eliciuntur, Vt infantes vsucapiant, Vt furiosi vsucapiant, qua de re diximus in l.sequitur.§.Vt si hereditarius seruus possidere incipiat, eodem modo iacente hereditate per seruum heredi augeatur hereditas,vt quę nondum aditæ hereditatis tempus vsucapioni procedat.l.1.§.item adquirimus.§.tit.prox.l.qui à seruo.ad fin.j.de oblig.& act.l.pe.j.de capt.& postlim.l.iusto.§.nondum.j.hoc tit.quod nos latius exponemus in l.præscriptio.§.vlt.j.hoc tit.Vt ad eum qui captus est ab hostibus,eorum quæ serui post captiuitatem peculiari nomine comprehenderunt, vsucapio pertineat.l.in bello.§.facti.l.pen.j.de cap.& postl.l.ait prætor.§.hi plane.§. ex quib.caus.ma. Non tantùm autem si redierit,iure postliminij possessio rei peculiaris reuerso domino prodest,sed etsi ibi decesserit,ad successores eius pertinet, inducta fictione legis Corneliæ.& hæc fuit Iuliani sentētia, ex qua id efficitur, quamdiu is est apud hostes,in suspenso vsucapionē esse:
G nam si reuertatur, ei, si ibi moriatur, heredibus prodest, & æquè patet fictio postliminij, ac fictio legis Corneliæ. Marcellus negat esse in suspenso: reuerso enim non prodesse vsucapionem, heredibus prodesse. Itaque Marcellus licet Corneliam sine vlla hæsitatione induceret, non tamen postliminio reuerso, plus iuris dabat, quàm si per se, cùm ad hostes peruenit,possedisset: atque ita pleniùs legis Corneliæ quàm postliminij fictionem accipiebat. sed Iuliani sententiā sequendum est, vt Tryph

vt Tryphoninus ait in d.l.in bello.§.facti. id est,sequi oportet. Quid ergo dicemus de his quæ ante captiuitaté aliquis per se,aut per seruum possidere cœpit? Si per se vsucapere cœperit, vsucapio interrumpitur:quia possidere desinit,nec ipsi reuerso iure postliminij medium tempus ad vsucapioné prodest.l.deniq;.ff.ex quib.caus.ma. si tamen ibi decesserit, heredi eius per legem Corneliam prodest:& in eo dissentire auctores non videntur. Quòd si per seruum ante captiuitaté possidere cœperit,Marcellus reuerso non prodesse,Iulianus prodesse putat.Iuliani sententia sequenda est.Heredi autem prodesse vsucapionem Marcellus non negabat, idq; probatur. De illo nunc vidēdum est, quid fiat,si seruus non ex causa peculij rem post captiuitatem domini comparauerit? Et placet eam vsucapi non posse,& ideo nec ei ante quàm reuertatur,nec eo apud hostes mortuo,heredibus ante aditam hereditatem possessionem incipere:si tamen filiusfa. patre degente apud hostes,rem nō ex peculij causa comparauerit,ipsum sibi per legem Corneliam possedisse & vsucepisse videri.l.iusto.§. vlt.ff.hoc tit.cui simile quiddam est in l.in bello.§.1.ff.de capt.& postlim. A B

Si is qui pro emptore.] Quærit primùm,an si per se ante captiuitatem possederit,heredi eius lex Cornelia prosit,vt medio tempore videatur vsucepisse.

Nam interrumpitur.] Hæc est dubitandi ratio.

Et si ipsi.] Subijcit autem verum esse,quòd interrupta & interpellata fuerit possessio,postliminium ei reuerso non prodesse,vt vsucepisse videatur:& sanè verissimum etiam id est, sed eo tamen moueri non debemus, quominus heredi legem Corneliam prodesse contendamus, id quod ab Marcello factum est confidenter.Quid autem fiet si per seruum post captiuitatem ex causa peculiari possederit?& hac de re agitur in prox.vers.

Iulianus ait.] In l.bona.§.quæ peculiari.ff.de capt.& postlim. C

Dubitari.] Iulianus tamen ad heredes fictionem legis pertinere existimabat. Reprehenditur Iulianus à Marcello,non quòd in hoc casu dubitarit,sed quòd in suspenso vsucapionem esse dixerit. Nec enim est in suspenso,quoniam si reuertatur,postliminium ei non prodest,vt per seruum vsucepisse videatur.Nam si tunc,vt & Iuliano videtur, postliminium ei non prodest, cùm per se ante captiuitatem possidere cœpit,cur etiam non dicemus cessare postliminium,si seruus ex causa peculiari post captiuitatem possidere cœperit? Cur postliminio reuersus plus iuris habeat in eo, quod seruus post captiuitatem possedit, quàm in eo quod ipse per se ante captiuitatem possedit? Marcellus etiam existimat ei non prodesse postliminium, qui per seruum ante captiuitatem possidere cœpit. nullo igitur casu existimat postliminium prodesse: heredibus autem omni casu legem Corneliam prodesse,quia scilicet cùm is moritur apud hostes,iure singulari possessio quęsita hereditati videtur, quæ vicem personæ obtinet:cùm reuertitur, medio tempore nulla persona extitit, cui adquisita interim possessio videatur: nam captiuus quidem ipse pro nullo habetur. Marcellus itaque omnibus ijs casibus fictionem legis pleniùs accipiebat, quàm fictionem postliminij. Sed Iuliani sententia obseruatur. D

Marcellus.] Hic notas in Iulianum scripsit.Crediderim & Mauricianum scripsisse ex l.iurisgētium.ff.de pact.& l.sed etsi quid.§.quid ergo.ff.de vsufr.

Pleniùs.] Ideo pleniùs, quia fictionem postliminij non prodesse Marcellus ait, fictionem verò legis prodesse affirmat.

Quemadmodum.] Hac ratione Marcellus contendit fictionem postliminij non prodesse.

Nam hereditatem.] Hac verò ratione contendit fictionem legis prodesse. E

Locum non habere.] Legendum omnimodò est *locum habere*, atque ita legi aliàs, Acc. noster annotauit, nec verò si ea quæ nos iam ante proposuimus diligenter expendantur, id quisquam diffiteri iure potest.

Si seruus quem possidebam.] Ostendi in l.sequitur. ff. seruum fugitiuum à domino possideri,nec inter furtiuas res annumerari:Id verò ita procedit,si ab alio seruus fugitiuus non possideatur. Etenim si alius fugitiui possessionem apprehenderit,possessio domini esse desinit.l.1.§. per seruum.ff.tit.prox.quod & in rebus domini locum obtinet, à seruo quātum in eo fuit subreptis & interuersis.Est &alius casus,quo dominus fugitiui serui possessionem amittit,de quo in hoc §.agitur, videlicet si pro libero se gerat,& iudicium liberale subire sit paratus: vbi id etiam exigitur, vt se diu pro libero gesserit.l.3.§.si seruus ff.tit.prox.quo in loco Spartaci fugitiuorum ducis exemplo Iurisconsultus vtitur,ex quo etiam dictum est bellum Spartacum. His verò duobus casibus exceptis,fugitiui à domino possidentur, & ideo rectè Paulus lib.1111. senten. scribit, in numero seruorum ex lege Caninia fugitiuos computari. F

Si quis bona fide.] Bona fides exigitur non tantùm ab initio adeptæ, sed etiam ab initio recuperatæ possessionis,sed hoc in quibusdam falsum est,vt dicemus in l.iusto.§.etsi possessionis.ff.

Quia concessum.] Exposui hanc rationem in l.si aliena.ff.

AD L. SERVI.

Creditor propriè non possidet, quoniam animo & cogitatione domini rem non tenet l. sciendum.§.creditor.ff.qui satisd.cog.l.si seruus depositus.§.1.ff.de noxal.act.l.quæcumque.ff. de Public. in rem act.l.pignori.ff. hoc tit. & nec vsucapere pignus, nec Publiciana, aut noxali actione experiri potest. Iusta tamen est creditoris possessio: possidet enim naturaliter, & firmissimo pignoris iure, & quasi possessor conuenitur ad exhibendum, & in rem actione. Debitor autem per creditorem in hoc tantùm possidet,vt vsucapiat.l.qui pignoris.l.1.§.per seruum.ff.tit.prox. quod in hac l. manifestò traditur. G

Vt

A Vt addici.] Flor. liber habet. *Vt adici.* Adici autem accipio pro adiici & accedere, quod confirmat l. de accessionibus §. 1. ǰ. de diuers. temp. præscr. Creditor itaq; cui ego rẽ obligaui, vtitur accessione possessionis meæ aduersus extraneum vindicantẽ, non etiam aduersus me: me tamen vindicantẽ vi pignoris superaturus est. At is cui creditor meus rem pignori acceptã obligauit, etiã aduersus me temporis mei, & creditoris accessione vtitur: quia ego ei sum extranei loco. Itaq; vnus me superat pignoris iure, alter accessionis iure. sed hoc ita, si pecunia soluta nondũ fuerit. pecunia enim soluta ego vtrumq; superaturus sum. tãdiu enim secundi creditoris pignus manet, quamdiu & primi. l. 1. C. si pignus pign. da. sit: at primi creditoris pignus solutione tollitur, ergo & secundi.

AD L. SI PER ERROREM.

B Longo tempore capere.] Quo titulo? pro adiudicato: ex quo etiã actio Publiciana cõpetit.

AD L. QVAMVIS.

Quamuis aduersus.] Res fisci vsucapi non possunt. l. vbi lex. in fi. ǰ. hoc tit. fiscus est principis. Res igitur fisci, sunt res propriæ & priuatæ principis, & ideo in §. res. de vsucap. Res, inquit, fisci nostri, & in l. 2. C. Commu. de vsucap. fisci mei.

Si tamen ex bonis.] Flo. *tamen ex bonis*: lego, *tamen si bonis*: quod d. §. res, confirmat: alioqui frustra inferius additur, Ex iisdem bonis.

Bonis uacantibus.] Bona vacantia sunt eorum bona quibus post mortem successor nullus existit: hæc, fisco caducis legibus deferuntur, vt ipse in fragm. Vlp. ostendi, tit. 28. satis, vt arbitror, feliciter emendata l. ergo. s̃. de fideicom. lib.

C Diutina possessione.] Olim vsucapione, hodie diutina possessione, siue Iustiniana vsucapione bonorum vacantium, necdum fisco nuntiatorum dominium adquiritur. Vsucapione opus est, etiam si nuntiandi potestas expirauerit, quia possessor non est dominus. Expirat autem nuntiatio quadriennio, quod quidem ex quo re ipsa bona vacarunt, non ex quo ea vacare homines intellexerunt, computatur. l. 1. §. diuus. ǰ. de iu. fisci. l. intra. ǰ. de diuers. temp. præsc. l. quia autem. §. certè si vacantia. s̃. si quis om. ca. test. l. 1. C. de quadr. præscr. Ergo in causa vacantium bonorum, aduersus fiscũ quadriennij præscriptio datur. In causa verò commissi, quinquennij. l. 2. C. de vect. & com. quod sic rectè Constantinus interpretatur lib. 11. Epitom. πενταετίας παραδραμούσης οὐκέτι ζητεῖ ὁ δημόσιος τὸ κλεπτοτελωνηθὲν τέλος, ἤτοι τὸ κομμέρκιον, vbi pro κομμέρκιον malim κόμμισον. Ceterùm exceptis his

D causis in quibus minora tempora custodiri specialiter constitutum est, in omnibus causis ex quibus nuntiatio fit ad fiscum, xx. annorum præscriptio seruatur. l. in omnibus. ǰ. de diuers. temp. præsc. l. 2. ǰ. de req. vel abs. dam. l. 1. §. præscriptio. ǰ. de iu. fisci. & hæc præscriptio tantum abest vt tollatur à l. omnes. C. de præsc. xxx. ann. vt ab ea potius nominatim confirmentur omnes præscriptiones, quæ legibus aut constitutionibus definitæ sunt. In eis tamen actionibus, quæ legibus aut constitutionibus tempora certa non acceperunt, siue priuatæ sint siue fiscales, ait lex xl. annorum præscriptionem custodiri oportere, excepto casu l. comperit eod. tit.

AD L. SI HOMINEM.

Vt venditoris possessio emptori, sic resoluta venditione, aut redhibitione facta, emptoris vendi-

E tori prodest: quod fuit à nobis etiam demonstratum in l. id tempus. s̃.

Quoniam.] Credo legendum, *Quamquam*: idq; l. Pom. §. præterea. s̃. tit. prox. ostendit. Quamquã igitur propriè venditio dici non potest, ex persona tamen emptoris poterit venditor accessione vti. Est in eadem voce error in multis aliis Pandectarum locis, quos, me rem vtilem facturum arbitror, si indicauero. In l. in summa. §. sed agere. s̃. de cond. indeb. lego, *Quamquam non contrahendi animo dederim*, vt hic sensus sit: Ea quæ dantur condicionis implendæ causa, ab herede scripto omissa hereditate quasi ob rem data re non secuta condici, quamuis ea heres contrahendi animo non dederit, vti fit in articulis ob rem dati tractatus. Item in l. pater. §. 1. ǰ. de capt. & postlim. re. vbi Florentiæ, *Quoniam verum est*, in aliis codicibus, *Quod verum est.* vel *Quod non verum est*, sed legendum opinor, *Quamquam verum est*, hoc sensu: Non videtur ex lege Cornelia pupilli apud ho-

F stes mortui hereditas deferri substituto, quandoquidem lex Cornelia, de captiuis loquitur, qui testamenti factionem habuerint, sed tamen quia pupilli captiui legitima ex lege Cornelia proximo agnato defertur, quamquam non habuerit impubes testamenti factionem, quod in causa intestati frustra spectatur. l. bona. in princ. ǰ. eod. titul. non erit alienum & in causa testamenti pupillo captiuo facti à patre, qui iam ante captiuitatem filij in ciuitate decesserit, Prætorem subsequi voluntatem patris, & vtiles actiones dare substituto. Sic in l. si pater. 3. s̃. de vulg. & pupil. substit. arbitror legi debere, *Quamquam etsi ambo*, id est, si prior pater ac deinde filius in ciuitate decessisset. quòd si legas, *Quoniam etsi ambo*, certè superiori sententiæ ratio hæc aptari propriè nullo modo potest. Credo etiam in l. Marcellus. ǰ. de fideiuss. legendum esse in hunc modum, *Quamuis mandati actio non competit.* fideiussor, inquit, tenetur, quamuis mandati actionem is non habeat. & ei quidem legi

G frustra opponitur l. is cui. de verb. oblig. nam l. Marcellus ait, *obligato*, quod verbum diligenter expendendum est, vt in l. si à reo. §. si à furioso. eod. tit. iure obligato. Igitur pro pupillo, furioso, prodigo iure obligatis, vtputa ex delicto vel quasi ex contractu, fideiussor tenetur, quamuis mandati actio ei non competat: Pro eis verò non obligatis, vtputa si stipulanti promiserint, fideiussor non obligatur. Sed de his satis.

AD L. POSSESSIO. A

De huius legis sententia diximus in l.id tempus.Dixit autem Atticorum more possessionem possidere,vt stipulationem stipulari in l.3.§.stipulationem.ĵ.iudic.solui.l.in insulam.§.vltim.š.sol.matr. obligationem obligari in l.creditor.š.de pig.

AD L. EI A QVO.

Ei à quo.] Hoc est ei cuius fundum.fundum igitur quem cœpi vsucapere,domino locaui,nulla locatio est.rei enim suæ locatio,emptio, depositum, precariū, commodatum, pignus non valet: & ideo vsucapio interpellatur, quia per conductorem non retineo possessionem,neq; hoc casu interest vtrùm sciens an ignorans rem suam esse, eam à possessore conduxerit, quia semper verum est nullam conductionem esse: nisi solius possessionis gratia conduxerit:quo casu existimarim vtilem B conductionem esse & vsucapionem non interpellari.l.si aliquam rem.š. tit. prox. Ergo rei suæ, id est,proprietatis,conductio,precarium,emptio non valet: possessionis rei suæ conductio valet,nec non precarium,atq; emptio.sed siue res ipsa,id est, proprietas domino rei vendatur, siue possessio, & tradatur,perspicuū est vsucapionem venditoris interrumpi, cùm tamen si possessio conducatur, aut precario accipiatur,vsucapio nō interrūpatur.De pignore dicemus in l.nō solū.§.si rem tuam.ĵ.

Longi temporis præscriptio.] Præscriptio,modo longi temporis adquisitionem significat. vt in tit.de vsucap.lib.11.Instit.ostendi:aliàs plerumq; significat exceptionem quamlibet.

AD L. HERES.

Heres,& iacens hereditas,in implenda vsucapione vicem personæ defuncti sustinent. C

AD L. EVM QVI ÆDES.

Si quis aliena tigna suis ædibus iniunxerit,vel si ex alienis cæmentis domum ædificauerit, vel si alienas tegulas aut columnas in ædificium coniecerit, vel si ex alienis tabulis nauem aut armarium fabricauerit, singulæ res non possidentur, non vsucapiuntur, etiam si corpus ipsum possideatur, & vsucapiatur.& ideo eædem ipsæ res dissolutæ à prioribus dominis vindicari possunt, quod Iauolenus Priscus in hac lege manifestis rationibus demonstrat.

Possessionem temporis immobilium rerum omnium.] Sic Flor. sed malo, *Possessione temporis immobilium rerum dominium mutet.*

Si autem columna.] De euictione agitur ex stipulatione duplæ re euicta. ideoq; si pars fundi D euincatur,de euictione agitur,quoniam quælibet pars fundi,fundus est.l.1.š.de euict.Diuersum est si pars animalis euincatur:nam animalis pars animal non est.l.si dictum.§.in stipulatione. eod.titu. quòd si distractis ædibus columna euincatur, actione ad exhibendum vel de tigno iniuncto ideo de euictione non agitur,quia columna pars non est ædium.l.naue.eod.tit.Vt igitur de euictione fit actio quotiens aliquid ex re vendita euincitur, necesse est id quod euincitur partem esse, & totius nomen accipere posse.Loquimur autem de actione ex stipulatu:nam actionē ex empto competere hoc in loco rectè Iauolenus ait.In l.Naue,agi de stipulatione ex eis quæ præcedunt & sequuntur legibus intelligi potest,eodemq; modo inter se conciliantur l.venditor & l.si prægnans.eod.tit.

Nam quemadmodum.] Vt eas quamdiu ædificium manet,ab ædificio separatas non possides, ita nec eas possedisse videris,etiam si eis cohærentibus in ædificio, deponantur ædes, quæ res eas continent. E

Nec penes te.] Penes te non fuerunt,id est,non possedisti.Penes te est quod quodam modo possidetur,id est,iure dominij vel bona fide.l. penes.ĵ. de verb. signifi.Hæc igitur Iauoleni est sententia, Res mobiles quæ cohærent ædificio, nec possideri ædificio manente, nec ædificio sublato possessas videri eo tempore quo in ædificio fuerunt.

AD L. VBI LEX.

Vbi lex.] Lex XII.tab.lex Atinia,lex Mamilia,lex Plautia & Iulia de vi, lex Scribonia, lex Iulia repetundarum,lex Iulia de fundo dotali.

Interdum.] Vitium aut reale est,aut personale. Quod defunctus ob rei vitium vsucapere non F potuit,heres nonnumquam vsucapere potest.Quod defunctus ob suum vitium vsucapere non potuit,heres numquam vsucapere potest.

AD L. SINE POSSESSIONE.

Sine possessione ciuili.nec enim possessio naturalis sufficit.

AD L. NVMQVAM.

Vsucapio efficere non potest, vt ne solo cedat superficies. Superficiem dicimus id omne quod factum est super solum, siue ædificatum, siue satum, aut plantatum sit: & ideo vitis superficies est vineæ,seges arui.l.certo.š. de ser.rust.præd. Dicimus etiam superficium,atq; ita ipse legendum opinor apud Caium lib.11. Institut. *si aliquis,* inquit, *in agro nostro arbores aut vineas vel plantas quascumque posuerit, similiter superficium solo cedat*, vbi tamen alij codices *superficij*, alij *supersitum* ha- G bent. Sic in P. Flor. in l.1.ĵ. de superfic. *Nam si conduxit superficium, ex conducto:* vbi tamen hi, quorum beneficio & opera Pandectæ Florētinæ luci redditæ sunt,miror cur pro *superficium* maluerint *superficiem* scribere,præsertim cùm illam vocem integram reliquerint in l.si lapidicinis.š. de iu.dot.

id enim

A id enim certè nō licebat. Animaduerti simili errore eos in l.29.ad finem.§.de statulib.cùm Florentiæ scriptum esset, *Cum ceteris an quoque pecuniam Victori restituere debere*, quomodo etiā legitur adhuc in libris manu scriptis, pro *An*, scripsisse, *Eam*, eosdemq; illam vocem in l.si totam an partem.§.de adq. her. integram retinuisse: *si totam an partem*, id est, si totam eam partem, antiquo loquendi more ab Sex. Pompeio adnotato: cuius rei cognitio plurimum ad eius legis explicationem facit. sic & in l.si fideicommissorum.§. Vt in possess. leg. *Nihil me per em lædi oportere*, habent Pandectæ Florentinæ: vt iam planè liceat nobis vsurpare, id quod Victorinus Afer in hunc modum scribit: Libri legum etiam si ex frequenti transcriptione aliquid mutarunt, tamen retinent antiquitatem, quod ego, etsi pluribus aliis exemplis planum facere possum, ne tamen in eorum vitium incidam, qui rei propositæ rationem non habent, id commodiori loco & tempori reseruabo.

B

AD L. CELSVS.

Pro suo.] Titulus Pro suo adhæret omnibus aliis, & ideo hæc verba, *Pro suo*, sic accipienda sunt, vt omnes titulos comprehendant: quod ea etiam quæ sequuntur, indicant. Ceterùm vera est Celsi sententia, si quis rem quam, verbi gratia, non accepit quasi debitam ex testamento, sed alia quauis ratione adeptus est, sibi legatam esse opinetur. nam si res mihi tradatur quasi debita ex testamento, quamuis legatum non præcesserit, eius tamen rei si non pro legato, saltem pro suo, aut pro soluto vsucapio procedit.l.3.l.4.ȷ̈. pro suo. sed & pro legato quis rectè contendet, hac in specie vsucapionem procedere. hæc enim opinio probabilis est, cùm ipse dominus debere se putans, bona fide accipienti tradit. & in summa si traditio interueniat ex falsa causa, error falsæ causæ vsucapionē parit, quia probabilis est: si traditio non interueniat, error falsæ causæ vsucapionem non parit, quia hic error probabilis non est. Sed hac in re distat emptio à ceteris negotiis. Nam ex aliis causis traditione facta pro soluto vsucapio procedit, etiam si falsæ causæ fuerint: at si quis rem quasi debitam ex causa venditionis tradat, nec pro soluto quidē vsucapio procedere potest, quia non solutionis tantùm in hoc cōtractu, sed etiam emptionis tempore bona fides exigitur, vti dictum est in l. si aliena. §. Emptionis verò tempore non adfuit bona fides, cùm emptio nulla præcesserit, & hæc quidē nos alijs in locis inferius etiam tractabimus, ideo nunc breuiores sumus.

C

AD L. SI SERVO.

Res tradita sit.] Rectè supplet Acc. Ex causa peculiari, vt & in l.si is qui pro emptore.§. quòd
D si seruus.§. Hac verò de re tractatum est in l.sequitur.§.

AD L. CVM SOLVS.

Neque ullam aliam.] Quandoquidem tibi ego tradidi non quasi debitam ex meo contractu vel quasi ex contractu, sed quasi tuam. Nullam ergo aliam habes posidendi causam, quàm pro herede: at posidere pro herede non potes quod à vero herede possessum est, & quod non quasi à defuncto accepisti, sed à vero herede, cùm is te falsò existimaret, pro parte heredem esse. At si cùm de eo incidisset controuersia, an ex parte heres esses, transegerimus, vsucapies pro transacto, quia tunc à me ius, & posidendi causam habes.l.ex causa.C.pro empt.

E

AD L. RERVM MIXTVRA.

Vno spiritu.] Id est τῇ συμφυΐᾳ, & ideo id etiam à Plutarcho συμφυὲς appellatur ἐν τοῖς γαμικοῖς παραγγέλμασι.

Quod συνημμένον uocatur.] Id latinè Aul.Gel. Adiunctum, siue Connexum interpretatur lib. XVI. cap. VIII. Vitruuius Coniunctum lib. V. cap. IIII. Seneca lib. XVII. epist. Compositum, Paulus Cohærens in l.in rem.§.de rei vindic. & Pomponius in hac lege.

Labeo.] Labeo in libris nostris est Antistius Labeo, princeps Proculianæ sectæ. hic libros πιθανῶν scripsit, & eos qui Posteriores dicuntur, vt ex indice Iurisconsultorum apparet. πιθανῶν, id est, probabilium. Posteriores libri sunt, qui post mortem eius editi sunt, vt scribit Gellius lib. XIII. cap. X. Scripsit etiam ad edictum Prætoris vrbani, & Prætoris peregrini l.si quis affirmauerit. §. hæc de
F dolo.§. de dolo.l. Labeo.ȷ̈.de verb.sign. & ad XII. tab. vt idem Gellius testatur lib.I. cap. XII. Epistolarum libros eum scripsisse nusquam legi. Credo legendum hoc in loco, *Iabolenus*, non *Labeo*: in quibus nominibus erratur sæpissimè. Iabolenus dixerat lib. IX. epistolarum, id est, in l.eum qui ædes.§.eum qui ædes pro emptore vsucapit, singulas res non vsucapere: Idem tamen, quemadmodum hoc in loco traditur, eodem, vt opinor, epistolarum libro, scripsit cœptam cuiusq; rei vsucapionem nō interrumpi, etiam si res ædificio postea iniungatur. faciliùs enim absolui, quàm inchoari vsucapionem, & ita non omni quo desinimus posidere modo vsucapionem interrumpi. Mixtura enim, & morte, & furore, & captiuitate in causa peculiari, etsi desinamus posidere, vsucapio non interrumpitur. Nec verò quicquam in hac specie interest, vtrùm quo tempore res mobiles ædificio iunguntur x. dies, an longius tempus supersit.

G Quid ergo in his.] Gemma quidē ipsa vindicari non potest à domino, quoniam cedit anulo, sed agi ad exhibēdum potest.l.gemma.§.ad exhib. atq; ita fit vt quod posidetur, dominus à possessore vindicare non posit. nam cùm vtrumq; integrum permaneat, neq; mixtura cōfusum aut quodāmodo extinctum sit, vtrumq; etiā posidetur & vsucapitur. sed ideo vindicari gemma nō potest, quia cedit anulo. idemq; est, si aurum gēmæ cedat: item si sigillū candelabro applumbetur, aut si em

blemata quæ ſunt exempticia, phialis aut lancibus iungantur, quæ omnes ſpecies nihil ad rerum A
mixturam pertinent:nec enim res ita miſcentur aut implicantur, ſed mobiles permanent, & ſunt duo corpora *ἡνωμένα.*

Singulæ res.] Singulas res vocat *ἡνωμένα* Cohærentes *συνημμένα.* Grex igitur neq; vt *ἡνωμένον,* neq; vt *συνημμένον* corpus vſucapitur, ſed ſingula gregis capita per ſe poſsidētur & vſucapiuntur. Vnde conſequēs eſt ea quoq; mixtura vſucapionem nō interrūpi: idemq; eſt in armēto, equitio, polia.

Maneat;non idem tamen.] Sic Flor. ſed legendum opinor, *Maneat idem non tamen.*

AD L. NVMQVAM.

Initio uenditionis.] Non in ipſa vēditione ſtatim. Errat in iure is qui initio venditionis à pupillo factæ, aut poſtea tutorem adhiberi ſatis eſſe exiſtimat, & ideo non vſucapit: nam error iuris B
vſucapioni obſtat. l. 4. ſ. de iur. & fac. ign. l. ſi fur. §. 1. ȷ. hoc tit.

Mobilium.] Videnda ſunt quæ de hoc §. in Tribonianum ſcripſimus in fragm. Vlp. tit. 19.

Seruus licet.] Seruum qui in libertate moratur deſino poſsidere, videlicet ſi ea interueniant quæ tradidimus in l. ſi is qui pro emptore. Si quid igitur adquirat, eius poſſeſsionem neq; ſibi, quia ſeruus eſt, neq; alij adquirit, quia à nemine poſsidetur. ſed ſi nomine alicuius nanciſcatur poſſeſsionem, ei adquiret, cuius nomine nactus fuerit, quaſi negotiorum geſtor, per quem poſſeſsionē adquiri poſſe conſtat. l. communis. § vlt. ſ. tit. prox. l. ſi ego. ſ. de neg. geſt.

Si ſeruus meus.] Furore poſſeſsionis cauſa non mutatur vel interrumpitur, ſed neq; vſucapio interrumpitur. l. ſequitur. §. furioſus. ſ. l. iuſto. §. pe. ȷ. & huc etiam pertinet §. prox.

In colono & inquilino.] Colonus eſt in agro; Inquilinus in ædificio. Appianus lib. 11. bel. C
ciuil. *ἰγκυιλίνους ᾧ ῥήματι καλοῦσιν τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις.* Hic etiā incola dicitur in l. 1. C. de ſal. mon.

Vacuum.] Vſucapio à defuncto cœpta ante aditam hereditatem, vel poſt aditam hereditatem, ante apprehenſam poſſeſsionem completur. l. cœptam. ȷ. hoc tit. l. qui cum. §. vlt. ȷ. tit. prox. l. cùm miles. ſ. ex quib. cau. ma. & hoc quidem fit iure ſingulari. nam iure ciuili hereditas poſſeſsionem rerū non habet, atq; ideo rectè id tempus quo aut non aditur, aut non apprehenditur hereditas, vacuū tempus appellatur, quia vacat poſſeſsio, nec ea ratione interim fieri hereditati furtum poteſt. l. 1. §. Scæuola. ȷ. ſi quis teſta. lib.

Vſu eum capturum.] Adijcit. Acc. rectè, *pro emptore*, plus enim valet res, quā opinio heredis. D

AD L. SI FVR.

A domino.] Domino, id eſt, bonæ fidei poſſeſſore. Incipiet igitur pro ſuo poſsidere & vſucapere. l. quamuis. ȷ. de fur. Dominus in hac quæſtione & pro bonæ fidei poſſeſſore accipitur paſsim.

Si quis id quod.] Hinc colligo plus errorē iuris valere, quàm rem ipſam & veritatem. Res tamen ipſa nonnumquam plus valet, quàm error facti. l. 2. §. ſi ſub condicione. ȷ. pro empt.

Incertam.] Pars pro diuiſo certa eſt. Pars pro indiuiſo incerta eſt. Illa cerni & demonſtrari poteſt, hæc non itē. Sed quod ad quantitatē attinet, pars pro indiuiſo, aliàs eſt certa, aliàs incerta. Certa, ſi ſciatur quota ſit, puta tertia, vel quarta: Incerta, ſi neſciatur. Illa poſsideri poteſt, hæc non item. l. locus. l. 3. §. incertam. ſ. tit. prox. ideoq; illa vſucapi poteſt, hæc non poteſt.

Mera ſubtilitate.] Ipſo iure. Igitur qui ſcit partem aliquam fundi eſſe alienā, vſucapere nō poteſt, ſi quota pars aliena ſit, ignoret: at ſi vel partē pro diuiſo ſciat eſſe alienā, vel pro indiuiſo partem certā, reliquas partes poſsidere & vſucapere poteſt. l. ſi quis fundū. ſ. tit. prox. l. emptor. ȷ. pro empt. E

AD L. NON SOLVM.

Non ſolùm.] Quæ ad hūc locum pertinent in l. ſequitur. expoſui mus.

Quòd uulgò.] Veterum definitio hæc eſt, Neminem ſibi ipſum poſſeſsionis cauſam mutare poſſe: quæ ſic accipienda eſt, vt qui animo domini & corpore incūbit poſſeſsioni, ſi hoc ſolùm ſtatuat, ſe ex alia cauſa poſsidere, nihil agat. l. 3. §. illud quoq;. l. qui bona. §. vlt. l. quod meo. ſ. tit. prox. l. vlt. ſ. Si pars hered pet. quod & in poſſeſsione naturali locū obtinet. Poſſeſsio ciuilis animo domini, Naturalis non animo domini, ſed alio quodam iure: Illa pro ſuo, hæc pro alieno poſsidetur. Etiā F
illud admonitione dignum eſt in tit. de adq. poſ. ferè ſemper animū, domini animum ſignificare, & ciuilem poſſeſsionem. Bene autem in definitione veterū, Sibi ipſum: nam dimiſſa poſſeſsione prima, poteſt quis eiuſdē rei denuò ex aliā cauſa nanciſci poſſeſsionem. d. l. qui bona. vt ſi is qui pro poſſeſſore vel pro emptore poſsidet rem alienam, precario dominum rogauerit, incipit precario poſsidere. tūc enim ipſe ſibi ſolus non mutat cauſam poſſeſsionis, ſed priori poſſeſsione dimiſſa, precariā à domino accipit. l. certè. §. Iulianus. l. vlt. ȷ. de precar. Idem eſt ſi fur, aut is qui rem alienam emit, litis æſtimationē ſubierit, vel ſi dominus eandem ei rem donauerit. l. ſi fur. in pr. ſ. hoc tit. l. 2. §. vlt. l. qui cum herede. ȷ. tit. prox. Sunt & alia exempla in hoc §.

Id que per hæc probari.] Id verò contrarijs exemplis probat.

Pro herede.] Vel pro bonorum poſſeſſore. G

Cùm hæc igitur.] Superioribus caſibus is qui ciuilem poſſeſsionem habet, cauſam poſſeſsionis mutat. Si verò is qui apud me depoſuit vel commodauit, mihi rem eam vendiderit aut donauerit, non mutatur ciuilis poſſeſsionis cauſa, quia ciuiliter ipſe non poſsidebam. Quia tamen poſsidebam naturaliter, in ciuilē naturalis vertitur. l. communi. §. neq;. ſ. commu. diuid. l. 2. §. quod vulgo. &

A go & §.filium.ɉ.pro herede.l.1.§.si inter.ɉ.pro donato.Veterum autē definitio non tantùm ad ciuilem,sed etiam ad naturalē possessionem pertinet:vt ecce in specie l.cùm nemo.C.de adq.poss.colonus qui de fundo vendendo cogitauit,quam ob causam olim fuit actio furti,auctore Gellio lib.xi. cap.vlt. non potuit sibi mutare causam possessionis, & ideo in possessionis quæstione locator erit superior.Ad hæc etiam pertinet l.ad probationem.C.de loca.vbi tamen pro *Iure*,arbitror legēdum *Ipse*. Secunda autem Accursii ad eam legem interpretatio verissima est.quoniam dominus ignorās conduxit,atque ea re cœpit pro alieno possidere,nec ante pro suo possidere incipit,quàm in quæstione proprietatis superior euaserit, & in quæstione possessionis vincetur. Summa autem totius quæstionis hæc est, Quod pro meo possideo, ipse solus efficere non possum vt quasi ex alia causa pro meo possideā:Quod pro alieno possideo, ipse solus efficere non possum, vt pro meo possideā.
B Deniq; ciuilem aut naturalem, in aliam ciuilem aut naturalem, naturalē in ciuilem, vel contrà ipse mihi solus mutare non possum. Extrinsecus verò noua accedente causa possum: quia si noua causa accedat,iam ipse mihi solus non videor possessionem mutare.

Venientes existimauerit.] Obstat l.3.§.si quis autem.ɉ.Vnde vi & de vi arm.l.metum.§.1.§.de eo quod met.ca.Multum sanè interest,vtrùm quis conspexerit,an audierit.nam si quis metu venientium perterritus fugerit, nemo dubitat eum vi deiectum videri, videlicet si possessionem illi occupauerint.l.1.§.idem Labeo.ɉ.Vnde vi & de vi arm. Sed etsi quis conspectu armatorum hominum perterritus, qui eò ad vim faciendam veniebant, profugerit, vi deiectus videtur, etiam si eorum nemo possessionem apprehenderit, & ita Labeoni visum est d. §. idem Labeo.in eadem sententia esse Iulianum puto in hoc §.sed tamen ipse pro, *Existimauerit*, in eo legendum esse opinor,
C *Extimuerit*. Si dominus, inquit, fundi homines armatos venientes ad vim faciendam exstimuerit, atque ita profugerit.M.Tul.pro Cæcinna.At verò hoc quidem iam vetus est, & maiorum exemplo multis in rebus vsitatum,quum ad vim faciendam veniretur,si quos armatos quamuis procul conspexissent, vt statim testificati discederent, optimè sponsionem facere possent, ni aduersus edictum Prætoris vis facta esset. & paulò pòst. Si fuisset in loco & ex eo metu permotus fugisset, quum armatos vidisset,diceres'ne esse deiectum?Opinor.Hæc M. Tullius.Sed si quis profugerit visis armatis hominibus,qui aliò tendebant,vi deiectus non videtur.d.l.3.§.si quis autem.Quòd si non conspexerit armatos, sed existimauerit vel audierit homines cogi,armari, venire, etiam si res ita se habeat,non tamen,etiam si profugerit, aliàs vi deiectus videtur, quàm si possessio ab eis apprehensa fuerit.d.l.3.§.proinde.d.l.metum.Multum ergo interest,vtrùm audierit an conspexerit. Hoc casu,vi
D deiectus videtur,modò si ad eum illi tendebant,etiam si possessionem non occupauerint.Illo non aliter quàm si venerint,& possessionem occupauerint. Magis enim nos oculi, quàm aures mouent & perterrefaciūt.Illa autem quæ vi occupata sunt,vsucapi non possunt. Quæ vi occupata non sunt, quamuis dominus ex eis vi deiectus videatur,vsucapi possunt.

A quo fundum petere.] Petere, id est, vindicare. In hoc igitur casu pro cessione, in proximo pro solutione vsucapiam,nam ex obligatione personali solui res dicitur. Quòd si nulla sit personalis obligatio,cedi res dicitur,non solui. Ex causa igitur cessionis factæ à domino,licet dominiū non transferatur, vsu tamen capio sequitur.

Qui pignori.] Debitor per creditorem,depositor per depositarium,commodator per commodatarium, locator per conductorem possidet, atque etiam vsucapit. Vsucapio tamen inter-
E pellatur,si creditor,depositarius,commodatarius,conductor alij rem vendiderit & tradiderit, idq; hic §. ostendit,& l.3.§.quòd si seruus.§.titul. proxim. quòd si rem alij obligauerit, commodauerit, d posuerit,locauerit,placet non interpellari vsucapionem.l.qui vniuersas. §.vlt.§. eod. tit.idemque Iustinianus constituit in l. vltim. C.de adquir.posses. si colonus desidia aut dolo possessionem dereliquerit,aut alij prodiderit vt eam alius ingrederetur:quo in loco prodere idem est,quod deserere & proijcere.

Perseuerabit.] Etiam si rem alij creditor tradiderit,vt rectè Accur.explicat.

Ignoranti tuam esse.] Idem est si scienti,sed id dixit,quod plerumq; fit,vt in §.1.de inut.stip. Quem viuere credebat.Pignore igitur dato ei qui pignoris est dominus, siue is scierit, siue ignorauerit rem suam esse,vsucapio interrumpitur. Idemq; dicendum est in deposito, & commodato. Vt
F enim in specie superioris §.hi nihil inter se distant,ita in hac specie nulla est inter eos differentia.De precario,emptione,conductione diximus in l.ei à quo.§.

Nihilominus vsucapiam.] Quia possidere non desino,& hypotheca,cùm nulla sit,non poterit etiam à creditore possessio vindicari.

Quia seruus domini.] Quia creditor non desinit possidere.

Ac si eam creditor.] Ac si pignus debitori restituisset.

Faciliùs obtinebitur.] Creditor pignoris possessionem habet non solùm si tradita ei fuerit, verùm etiam si precario cōcessa aut locata debitori fuerit.Quid ergo fiet,si seruus debitoris pignus ei precario concessum subripiat?Et putat Iulianus faciliùs obtineri, vt non interrumpatur vsucapio quia tunc possessionem ipse debitor habet.Sanè faciliùs quàm illo casu,aut quàm in conductione:
G nam si precariò rogauerit,ipse debitor possidere videtur,si conduxerit,creditor.Quòd si vtrumque interuenerit,etiam creditor possidere intelligitur.Nam quotiès vtrumq; interuenit,precarij rogatio non in hoc interponitur &c.l.si quis ante.§.tit.prox.sed tunc quidem tamdiu conductor in possessione erit, quam diu locator volet.eius enim voluntate locatio rescindetur. Ita igitur conductio fit in hoc vt merces detur.Precarium detentionis vt quandoq; volet locator conductio rescindatur.

AD L. SI SERVVS.

A

Insciente domino.] Sic videtur dixisse *Insciente*, vt in capitulo quinto legis Mamiliæ: *Qui termini hac lege statuti erunt, ne quis quem eorum eijcito, ne've loco moueto insciens dolo malo: si quis aduersus ea fecerit, is in terminos quos eiecerit loco've mouerit, insciens dolo malo.* sic enim habet Gentiani Herueti liber, P. Gallandij libro plerisque in locis emendatior. Si igitur seruus sciente domino rem peculiarem vendiderit, emptor vsucapere potest. nam si ignorante domino vēdiderit, vsucapioni obstat lex XII.tab. & lex Atinia. Sic verò *In*, articulus erit προσθετικός.

AD L. SI HOMO.

Rei hereditariæ furtum non fit, ideoq; ob eam rem quæ iacente hereditate aut nondum apprehensa, possessione mota atq; interuersa est, heres furti actionem non habet. l. in eo quod. §. de adq. re. do. Veteres contrà sentiebant, vt M. Tullius lib. VII. epist. scribit. sed illa sententia præualuit: proinde res ea vsucapi potest. At si homo cuius vsusfructus legatus est, subreptus sit ante apprehensam possessionem hereditatis, fortasse vsucapi homo non potest, quoniam furti actio fructuario competit, si eo tempore sit subreptus homo, cùm ipse fructuarius vti & frui potest. Nulla enim est vsucapio eius rei, cuius nomine furti agi potest. Enimuero furtiua plerumq; non est ea res, cuius nomine furti agi potest. & ex diuerso nonnumquam furtiua est ea res, cuius nomine furti agi non potest. vt ostendi in l. sequitur. §. & ideo ad inhibendā vsucapionē, non id exigimus, furti actionem dari: satis namq; est rē furtiuā esse. Plane in proposita specie, Iulianus non dixit ideo vsucapi seruū non posse, quod eius nomine furti actio cōpetat: sed vsucapi seruū nō posse, cuius nomine furti agi potest: fuit enim furtiuus seruus, atq; ita fit eius rei furtum, quæ nondum ab herede possessa est: videlicet si eo tempore subrepta fuerit, quo iam vsusfructus fructuario competebat, vtputa post aditam hereditatem. l. hereditariæ. & l. prox. ff. de furt. quamuis necdum vti frui cœperit. & ita etiam idem Iulianus putat, fieri creditori furtum hypotheca nuda conuentione obligata, etiam si numquam is eam possederit & tenuerit. l. in actione. §. vlt. ff. de furt. B C

Sed etiam heres.] Quia tunc heres per fructuarium possidet.

AD L. POTEST.

Non facile videtur quisquam sine furto rei alienæ mobilis possessionem nancisci posse. Sed hoc vt summoueat Gaius, *Potest*, inquit, *pluribus modis accidere*: & quæ sequuntur, in Institutionibus etiā Iustiniani tradita & à nobis exposita. D

AD L. FVRTVM.

Fundi quoque.] Et hoc quidem expeditius procedere, quàm in rebus mobilibus, vt earum possessio sine furto apprehendatur, Iustinianus ait in tit. de vsucap.

AD L. QVAM REM.

Veterum.] Massurij Sabini, Aulo Gellio auctore lib. XI. Veterum auctorum appellatione in libris nostris ij continentur, Brutus, Manilius, Sabinus, Labeo. §. furtum. de oblig. quæ ex del. nasc. l. veteribus. §. de pac. l. vetus. §. de vsufr. l. sæpe, sub fin. ff. de ver. sig.

E

AD L. SI SOLVM.

Maxima insulæ pars est solum. l. qui res. §. aream. ff. de solut. Huic superficies naturali iure cedit, omneq; ius & conditionem eius sequitur. l. numquam superficies. §. hoc tit.

AD L. COEPTAM.

Hoc autem constitutum est singulari iure, vt ostendimus in l. numquam. §. vacuum. §. hoc tit. contra tenorem iuris ciuilis.

AD L. SI REM.

Procurator.] Cui hoc mandatum sit. F

Adipisci nos.] Etiam ignorantes.

Captiosum.] Captiosum, damnosum vt ostendi in l. sequitur. §. Desinit ergo furtiua esse res, nondum tamen vsucapi potest, ne aliter si constituamus, in captionem aliquam dominus incidat.

AD L. CVM VIR.

Lex Iulia inhibet alienationem & vsucapionem fundi dotalis, Lex Atinia rei furtiuæ. Si tamen mortua in matrimonio muliere dos lucro mariti cesserit, vel si domino fur heres extiterit, alienatio confirmatur & vsucapio procedit. l. pe. §. de fundo dot. Huic sententiæ opponitur l. quæ ab initio & l. pe. ff. de diuers. re. iur. Respondeo eam esse regulam Catonis. quæ ad legata dumtaxat institutionesq; pertinet. Item opponitur l. si seruo. §. Qui & à quib. Respondeo libertatem alieno seruo relictam ab initio prorsus inutilē esse. l. si alienum. §. de her. inst. ideoq; si seruus alienus, quē tu manumisisti, tuus efficiatur, vtputa quia domino serui eius heres extitisti, manumissione noua opus est, vt seruo libertas cōpetat. Ex diuerso, si dominus heres extraneo manumissori extiterit, subsequi debet heres defuncti voluntatem, in cuius ipse vicem succedit. l. filium. §. de lib. ca. l. si ab eo. C. eod. nec G

noua

A nova opus est manumissione. Quod enim defunctus fecit, & probasse aut fecisse videtur heres. Quod verò fecit heres, ei non æquè is assensus videtur, cuius ipse postea in hereditatem successit. At rei alienæ venditio ab initio mométum aliquod habuit.l.rem alienam.s̄.de contr.empt. & ideo faciliùs omnimodo confirmatur.

AD L. HERES.

Si modò ipsi possessio.] Nam in emptione vtroq; tempore bona fides exigitur.

Patrem.] Hoc in loco videndum est, cuius bona fides spectetur in vsucapionibus. Si seruus emat peculiari nomine, serui mens quærenda est. etenim si fide mala emat, vsucapio non procedit, etiam si rem alienam esse dominus ignoret. Sed si emat bona fide, vsucapio ritè procedit, etiam si B posteà dominus alienam rem esse intellexerit. Si tamen quo tempore bona fide seruus emit, rem dominus alienam esse sciat, vsucapio nō procedit. Quid autem fiet, si seruus nomine domini emat? Et placet mentem domini eo tēpore spectari, quo primùm scierit seruum emisse.l.2.§.si seruus tuus. §.Celsus.§.Pomp.§.si seruus meus.j̄.tit.prox.etenim si eo tempore sciat rem alienam esse, vsucapio non procedit, etiam si seruus eam bona fide comparauerit. At si nesciat, vsucapio procedit, dummodo bona etiam fide ipse seruus emerit. alioquin vitiosa est possessio. Vtroque casu igitur vtriusque bona fides exigitur, idemq; in filiofamil.& patre dicendum esse, hic §.ostendit. Sed in peculiaribus causis, serui potius aut filij spectatur existimatio, quàm patris vel domini. In dominicis vel paternis, domini vel patris potius, quàm serui vel filij. In illis ignoranti, in his nō nisi scienti adquiritur. Serui aut filij semper bona fides exigitur: Patris vel domini non semper.

C

AD L. IVSTO.

Iusto errore.] Errore facti.

Mihi quærere non existimo.] Et ideo vsucapio necessaria est.

Rémque meam fieri.] Et ideo vsucapio necessaria non est.

Et si possessionis.] Bona fides exigitur non tantùm initio adeptæ, sed etiam initio recuperatæ possessionis, sicut diximus in l.si is qui pro emptore.s̄.in hoc §.duo casus proponuntur, quibus initio secundæ possessionis bona fides non exigitur.

Inspici placet.] In omnibus negotiis excepta venditione, vti dictum est in l.si aliena.s̄.

Non enim ideo minus.] Quia enim bona fide matrem prægnantem accepit, & partum si-D mul videtur accepisse.

Quod alienam.] Secus est si furtiuam esse matrem ante editionem cognouerit.

Idem in seruo.] Seruum bona fide possidebam, ante vsucapionē captus est ab hostibus, atq; adeò interrupta est serui possessio. Prius quàm rediisset, alienum esse cognoui: Si deinde redierit, proculdubio vsucapietur, quia postliminij fictio facit, vt ne denuo nancisci possessionem eius videar. Prior etiam casus fictione sustinetur.

Seruus hereditarius.] Accursius ne pugnare videatur l.proxim. seruum ait possedisse ante mortem domini. Mihi aliter videtur. nam lex ait seruum hereditarium rem comparasse: At hereditarius is ante mortem domini non est. Tum verò quia si seruus ante mortem domini possedit, ipse dominus possedisse intelligitur, vt iam non multum abesse casus hic à sequenti videatur. E sed de hac re in l.prox.viderimus.

Cùm bona fides.] Cùm ignorans rem alienam acceperit, quamuis adhuc se putet esse filiumfa.possedisse sibi & vsucepisse videtur.

Non leui præsumptione.] Hoc summè notãdum est:nam ita qui existimat, is vt argumentis & coniecturis grauibus ducatur, necesse est. Leui coniectura si moueatur, nihil ad vsucapionem ea res prodest.l.quod vulgo.j̄.pro empt. Ceterùm excepto casu hoc probabilis ignorantiæ, is demum vsucapere pro emptore potest, qui rè vera emit:Ex aliis causis vnusquisq; etiam si eà causa nō præcesserit quam præcessisse possessor existimat:vt dictum est in l.Celsus.s̄.

Vt enim vsusfructus.] Vsusfructus, id est, libertas vsusfructus, vt in l.si ædes.§.libertas.s̄.de ser.vrb.præd.seruitus, id est, libertas seruitutis. Ideo autem libertas vsusfructus non vsucapitur, quia F non vtendo vsusfructus amittitur, & vt Paulus ait lib.1.sent.tit.de seruit.ea vsucapi non possunt, quæ non vtendo amittuntur. Ceterùm seruitus etiam vsusfructus vsucapi non potest:nam neque prædij seruitus, nec hereditas, neq; ius vllum incorporale vsucapi potest.

Vtilitate suadente.] Hoc etiam iure singulari fit. Flo.codex habet, *Relictum*, malim *Receptum*, vt est in aliis codicibus.

Tenere.] Tenere, possidere.

Possessum foret.] A patre scilicet. Cetera quę ad hunc §.pertinent, assumi possunt ex his, quæ ad l.si is qui pro emptore, annotauimus. Nulla pars est iuris ciuilis in quam ipse non paratissimos habeam huic similes commentarios, nunquam tamen committam, vti de vna eademq; re in pluribus locis non necessariò tractasse videamur.

G

AD L. PRÆSCRIPTIO.

Obtinenda.] Ad tenenda ea loca.l.2.§.1.j̄.Ne quid in loc.publ.

Iurisgentium. Hoc exposui lib.11. Instit.

Posuerat.] Sic Flor. & in l. quod in litore.s̄.de adq.re.do. Alij codices, *Deposuerat*. quod non placet.

placet. Quod autem sequitur, *vel dereliquerat.* Interpretis esse opinor, nõ Papiniani. Cetera sic lego, *Aedificio alterius postea eodem loco extructo, occupanti dat. exc. opponat.* A

Vel si quis quod in fluminis.] Ius piscandi in portu fluminibusq; omnibus commune est. Ius piscandi in diuerticulo fluminis, propriũ vnius esse potest, & hoc quidem fit, aut permissu principis, aut longa consuetudine. l. si quisquam. ꝭ. de diuers. temp. praescr. Vbi Pluribus annis, id est, longo tempore, de quo saepe in eo tit. agitur. Vulgò autem cum illa valde ista lex pugnare creditur: qua de re quid sentiam paucis explicabo. Marcianus lib. 3. Instit. docet eum qui aedificat in litore, soli dominum esse quamdiu aedificium manet, l. in tantum. §. de rer. diuis. Idem Marcianus eod. lib. in l. si quisquam. eum, qui in fluminis publici diuerticulo longo tempore piscatus sit, alterum eodem iure vti prohibere per longae consuetudinis exceptionem. Quod sic accipiendum est, si non desierit piscari, si eo adhuc iure vtatur. Ex diuerso enim, sicut aedificio diruto locus ad pristinam causam reuertitur: ita si desinat piscari, alterum eodem iure quin vtatur, prohibere non poterit. & hoc Pap. in hac lege sentit. Ponit enim initio regulam, tum eam duobus exemplis illustrat. posterius autem vt priori simile sit, eum qui quondam piscabatur necesse est vt nunc non piscari, atque ita ius prohibendi amisisse faciamus. haec sententia fuit Ioannis interpretis antiquissimi, quae mihi videtur esse verissima. B

Quemadmodum etenim.] Non negat hereditate iacente compleri vsucapionem à defuncto coeptam, sed procedere negat vsucapionem, si seruus hereditarius peculij nomine rem possidere coeperit: quod pugnat cum eo quod proposuimus in l. si is qui pro emptore. & l. iusto. §. nondum. §. vbi etiam vnam Accursij sententiam refutauimus. Idem, aliter haec verba *Peculij nomine,* sic accipit in hoc §. vt non ex causa peculij rem possederit, sed rem aliquam tenere coeperit, quasi datam in peculium, cùm tamen ei concessum non esset peculium: Credo substitueret etiam libenter, si liceret, haec verba, *Domini nomine,* pro illis *Peculij nomine,* sed probare id ego neque possum nec debeo. An verò ita rectiùs dicemus, respondisse Papinianum de Iure ciuili, verùm iure singulari receptum esse, vt à defuncto coepta vsucapio hereditate iacente procedat: item vt si seruus hereditarius peculij nomine possidere coeperit hereditate iacente, procedat vsucapio? l. iusto. §. nondum. §. Sic videtur. C

AD L. PRO SOLVTO.

Titulo Pro soluto quando locus existat, ostendi in l. non solùm. §. si mihi Titius. §.

AD L. SI EMPTAM. D

Receptum est.] Et in peculiaribus etiam rebus id contra ius receptum est, propter vtilitatem rerum, vt in l. sequitur. & l. si is qui pro emptore. §. demonstraui.

AD L. SI EXISTIMANS.

Tibi tradam.] Quòd si non tradam, error falsae causae tibi nullo modo prodest. §. error. de vsucap. l. Celsus. §. hoc tit. l. 1. ꝭ. pro donat. l. 2. & 3. ꝭ. pro leg. l. nemo. ꝭ. pro derel. Est error iuris, error facti, error falsae causae. Iuris error vsucapionem impedit: facti error vsucapionem parit. Error falsae causae vsucapionem non parit, nisi si quis quasi ex ea causa traditum acceperit.

Nisi actio.] Sic Flor. pro *Auctio,* vt in fragm. Vlpian. titulo XXII. annotaui. E

Nec pro soluto.] Ex omnibus aliis causis pro soluto vsucapio procedit. Pro soluto non vsucapit, qui re vera non emit. & huius differentiae rationem in l. Celsus, exposuimus, & idem Paulus in l. 2. ꝭ. tit. prox. etiam tradidit.

AD L. VLTIMAM.

Sed simulatque in meam.] Haec vti accipienda sint, ostendi in l. sequitur. §. hoc tit. nam hodie necesse non est, venire pignus in potestatem creditoris.

AD TIT. PRO EMPTORE. F

AD L. I.

LITIS aestimatio est veluti quaedam emptio, & ideo qui litis, id est, eius rei de qua lis est, obtulit aestimationem, pro emptore possidet atq; vsucapit.

AD L. II.

Quo contrahitur.] Spectari autem id tempus non potest, si nulla emptio interuenerit. Necesse est igitur venditionem re vera contrahi, nec satis est quasi ex ea causa rem tradi: quod in superiore titulo exposuimus. l. Celsus. & l. pen.

Separata.] Possesio bonam fidem non exigit, vsucapio bonam fidem exigit. Non omnis qui possidet, etiam vsucapit. Non omnis qui vsucapit, & possidet. Nonnumquam enim singulari iure fit, vt nemine possidente vsucapio procedat. G

Si sub condicione.] Qui emit sub cõdicione, & ea pendente accepit, vsucapere interim non potest,

A potest, quoniam non est perfecta emptio.l.4.§.de in diem addict.idem est si falsò condicionem extitisse,aut à se rem emptam esse putet.Nam error falsæ causæ non parit vsucapionem.Quid si condicionem ignoret extitisse? Sabinus ait plus esse in re,quàm in existimatione mentis, nõ secus atq; cùm ignorãs aliquis emit à domino.l.regula.§.qui ignorans.§.de iur.& fac.ignor. sed hoc casu affectionem emptoris habet,illo non item. In vtroq; tamen plus valet substantia, id est,res ipsa, quàm opinio. idemq; dici potest si quod defunctus emit,heres ignorãs quasi ex alia causa accipiat.l.numquam.§.vlt.§.tit.prox.hoc tamẽ casu ignorat rem emptam.Illis autem casibus,à se rem emptam esse scit.Hæc est sententia Pauli,cuius tamen oratio valde concisa est.

Sabinus ait.] Aut in diem venditus fundus addicitur,quod fieri solet in auctionibus, aut lege commissoria vænit. Si fundus lege commissoria væneat,Paulus tradit puram venditionẽ esse,quod
B & Vlp.sequitur.l.1.§.de le.com.& ideo vsucapionem procedere,contra Sabinum.sic enim hic §.accipiendus est. De in diem addictione in proximo §.tractatur.

Si conuentio est.] Hoc autem Paulus probare videtur: sed concisione verborum obscurus est,& ab eis Philosophis,qui nihil affirmant,eruditus,vt videtur.

Si in diem addictio.] Si fundus in diem addicatur, putat Iulianus emptionem esse puram, & vsucapionem procedere, & fructus emptoris effici, verùm sub condicione resolui emptionem. denique fructus cum re etiam vsucapta restitui resoluta emptione.l.item quod dictum.l.imp.§.de in diem addi. Quòd si non resoluatur emptio,vel si res interim pereat,fructus & accessiones emptorem lucrari. Et hæc quidem fuit Iuliani sententia.

Alij & hanc.] Ex his est Vlpianus.Vtitur enim ea distinctione quæ traditur in l.2.§.de in diem
C addic. Solet Paulus cùm Vlpianum reprehendit,Vlpiani nomen supprimere, vt in l.lecta.§.de reb. cred. Quidam dicebat,is est Vlpianus, qui auctore Lampridio,vnà cum Paulo assessor fuit splendidissimi Papiniani. Puto etiam in l.Paulus 2.§.vlt.§.de bo.lib.tacitè notari Vlpianum, cui aliud iudicium fuit in l.12.eod.tit.

Pro emptore.] Hoc singulare est in emptione, nam in ceteris contractibus error falsæ causæ, ex qua traditio secuta est,vsucapionem parit.

Vsu te non capturum.] Nec pro emptore,nec pro soluto, nec pro suo, vt tractatum est in l. Celsus.§.tit.prox.

Rem quam eius.] Non rem pupilli propriam: hanc enim si ex auctione emerit, statim do minus efficitur.nam se auctore,pupilli rem tutor ex auctione cõparare potest.l.cùm ipse.C.de contr.
D empt.idq; vtilitatis causâ receptum est,vt qui pro alio auctionem facit,ipse sibi possit emere.

Si propiùs habeat emptorem.] Non est ea res pupillo fraudi, si propius se habeat emptorem,id est,si eius res tutor ex auctione emat.

Et si minoris.] In auctionibus addictio fit ei, qui aliorum licitationi adiiciendo rem plurimo mercatus sit.sed si tutor aut minoris quàm res sit addixerit,vel si ipse minoris emerit, tutelæ iudicio tenetur.

Plerique putant.] Quamuis à se ipso emisse videatur.

Ignorantis.] Credo legendum, *Ignorans.* Illo casu sciens emit, hoc ignorans. Quòd si sciens hoc casu emat,nihil agit,vel etiam si ritè inchoata vsucapione rem intelligat,ad dominum pertinere.l.atqui.§.si cum me.§.de neg.gest. Ita verò & quidam scripti codices habẽt.denique nihil interest
E vtrùm scientis an ignorantis domini negotia gerat.Emit autem hoc casu non ex auctione.

Si seruus.] Quæ ad hunc tresq; proximos §§§. pertinent exposuimus in l.heres.§.tit.prox.

Vt hîc plus sit.] Quis est qui non videat ordine conuerso legendum esse, *Vt hic plus sit in existimatione,quàm in re:* tunc enim plus in re est,quàm in existimatione,cùm emit à pubere,quem esse pupillum existimat. Sed hoc casu plus est in existimatione mentis, quàm in re: quoniam accepit à pupillo re vera,qui non potest sine tutoris auctoritate tradendo in alium transferre possessionem. l.pupillum.§.de adq.re.do. Sed hîc plus valet opinio,quàm substantia. Huic similis est casus proximus,si rem alienam à furioso emerit,quem esse sanum existimabat.

Constitit usucapere.] Paulus in l.pignori.§.1.§.tit.prox.ita responsum esse ait.Credo constitisse inter omnes,nec vllam in ea re inter iuris auctores dissensionem extitisse.

F Nec Publiciana competit.] Obstat l.sed etsi res.§.Marcellus.§.de Pub. in rem act. & sanè si vsucapere potest; cur ei Publiciana quoque actio dari non possit? Nam si Publiciana locum non habet in his quæ vsucapi non possunt.l.siue autem.§.penul.§.eod.tit.necesse est, vt in eis omnibus, quæ vsucapi possunt, locum habeat. quibus addenda etiam ea sunt, quæ etsi vsucapi non possunt, longo tamen tempore adquiruntur, vtputa vectigalia, aut prouincialia prædia, aut seruitutes.l.cùm sponsus.§.in vectigalibus.eod.tit.in quibus constat Publicianæ actioni locum esse. Quod ergo dicitur hoc in loco, *Nec Publiciana competit,* à iure ciuili abhorret, ac nisi me fallo, spurium suppositiciumq; est,neq; id Grecus interpres Constantinus agnouit, qui simpliciter hæc ita in Grecũ conuerterit, οὐκ ἔχει δὲ ἀγωγὴν περὶ τῆς ἐκνικήσεως, οὐδὲ προσθήκῃ τῆς νομῆς αὐτῷ κέχρηται. sic igitur legamus, *Et ideo nec de euictione actio nascitur mihi, nec accessio possessionis competit.*

G Non capiam usu.] Nec enim bona fides auctoris mihi prodest. Bona tamen defuncti fides, etiam vlteriori successori prodest.

Quamuis medius.] Modò si alius medio tempore nactus possessionem non fuerit, vt rectè annotauit Accursius.

Ceterisque prætoriis.] Vt bonorum emptore, & eo cui libertatum conseruandarum causa bona

bona addicuntur, qui bonorum possessoribus non sunt dissimiles. sic in l.sed & eius.§.famil.ercisc. A

Ad usucapionem.] Hæc Tribonianus inseruit ex Iustiniani cōstitutione, quod illa indicant, quæ nos ad l.id tempus.§.tit.prox.conscripsimus.

Si rem alienam.] Incidens mala fides non interpellat vsucapionem legitimam.l.bonæ fidei.§.de adq.re.do. Incidens mala fides, longi aut longæui temporis possesionem interpellat.l.pen.C.de præscr.longi temp.l.penul.C.de præscript. xxx. ann. Vsucapio lite non interrumpitur.l.si post.§.de rei vend.l.2.§.pro dona.l.Iulianus.§.quantum.§.ad exhib. Longi temporis possesio non re tantùm, sed etiam lite interrumpitur. Vsucapio enim iuris est, Longi temporis possesio, facti. Omissa lite, vsucapio est efficax: Condemnatio tamen si sequatur, est inefficax vsucapio: quod etiam ostendit d.l.si post.& l.sicuti.§.sed si quæratur.§.si ser.vindic.& Theoph.in titul.de diuis.stipul. Porrò lite omissa nullius momenti est possesio longi temporis, etiam si post omissam litem ex integro is cum B quo actum est, longo tempore possederit. Ab nouo autem domino, id est, bonæ fidei possessore post omissam litem ea res longo tempore adquiri potest, & ab Seuero & Antonino ita rescriptum est in l.1. C.de præscript. longi tempor. cuius rescripti sententiam vsurpauit Paulus libro v. sentent. titul.de vsucap. Vsucapio Iustiniana non interrumpitur ex posteriore alienæ rei scientia.l.vnica.C.de vsucap.transf.litis tamen contestatione, aut libelli oblatione interrumpitur.l.penul.l.vlt.C.de anna.except.

Causam possesionis.] Nec videtur ita ipse causam sibi possesionis immutare.

AD L. III.

Et ideo qui litis æstimationem subiit, quasi pro emptore posidet atq; vsucapit.l.1.§.hoc tit. C

AD L. EMPTOR.

Alienam non esse.] Ergo putabat esse alienam. Quòd si legas, *Alienam esse non*, vt est in aliis codicibus, sciebat esse alienam. Nihil verò refert vtrùm scierit an putauerit esse alienam. De quæstione huius legis satis abundeq; dictum est à me in l.si furt.§.tit.prox.

AD L. SI REM.

Dubitatum est.] Inter Casianos & Proculianos, vt ostendi in l.sequitur.§.

AD L. QVI CVM PRO HEREDE.

Precarij rogatione vsucapio interrumpitur: mutatur enim causa possesionis. D

Vtrubique.] Id est, siue pro herede, siue pro emptore posideat.

Post mortem.] Idem mox traditur in initio.l.prox. qua de re titulo superiore à nobis dictum est sæpe.

AD L. QVI FVNDVM.

Nihilominus.] Sic habet Flor.liber. *Nihilominus*, id est, nullo modo: vt in l.properandum.§.vlt.C.de iudic.l.Alexandrinis.C.de decur.& *quo magis* pro *quo minus* in l.3.C.de iudic.l.1.C.qui da. tut.poss. Hoc autem casu non vsucapiet seruus, quia mala fide accepit. Sequenti casu, pro donato vsucapiet. E

Scire debuit.] Supina & minùs probabilis huius rei est ignorantia.

Si tutor. De hoc §.diximus.in l.sequitur.§.tit.prox.

Nec similis.] Prior ille casus huic similis non est; si quis bona fide emerit, & mala fide traditum acceperit, in quo scilicet id tentare posis ex Proculianorum sententia (quanquam contraria sententia obtinuerit, vt ostendimus in l.si aliena.§.tit.prox.) vsucapionem non impediri. Nam cùm illo casu semel amissa fuerit possesio, rursus initiū recuperatæ possesionis inspici oportere constat. l.si is qui pro emptore.§.pen.§.tit.prox.

Quo emptor.] Idemq; venditor.

Quem prætor.] Hoc explicandum est ex l.si creditores.§.de priuil.credit.

In hoc solùm ut damno.] Non etiam furandi animo. F

Nam & cùm sciens.] Non omnis qui scit rem esse alienam, & vendit, fur est. Quid enim si bona fide rem alienam adeptus fuero, ac deinde resciero alienā rem esse, & vendidero? quia initium possesionis meæ iustum est, furtum non facio, nec ideo minùs emptori continget vsucapio.

Furtiua.] Si dominus ignorans rem sibi surreptam esse, eam emerit, res non videtur in potestatem eius redisse, etiam si postea id resciuerit, quoniam ei pretium abest. Quòd si non emerit, sed rem suam quasi alienam, ex donationis puta vel legati causa receperit, equidem credo non ante eam rem videri in potestatem domini reuersam, quàm is rem suam esse cognouerit. l. si ad dominum.§.de furt. postea verò quàm id dominus cognouerit, vitium furti solui, quoniam domino nihil abest.

Quod nos sequi debet.] Vtputa si ex re nostra vel ex suis operis peculium fuerit. G

AD L. SI QVIS CVM SCIRET.

Bonæ fidei emptor definitur in l.bonæ fidei.§.de verb.sign.l.Qui à quolibet.§.de contr.empt.l.vlt.§.hoc tit. Ergo is malæ fidei emptor est, qui scit rem alienam esse, aut eum qui vēdit, ius vendendi non

A non habere: & vt breue id faciam, quisquis contra legum interdicta mercatur. Si quis igitur à luxurioso & dissoluto adolescente & protinus meretrici daturo sciens emerit, malæ fidei emptor est. nec enim ab eo emere debuit, & in societate quodammodo facti turpis versari. nam turpis est venditionis causa, & quasi tacito iure alienatio ea interdicta est.

A domino.] Ab eo quem putabat esse dominum, vel à bonæ fidei possessore.

AD L. QVI OB PACTIONEM.

Quasi emptor.] Emptori enim est similis, vt ostendi in l. sequitur. ṡ. tit. prox. & l. seruus. quæ proxima est, etiam indicat. De l. quod vulgo, diximus in l. iusto. ṡ. tit. prox.

B AD L. MISSO.

Pignus, aut prætorium est, aut conuentionale. Pignus prætorium constituit missio in possessionem. l. 2. C. de præt. pign. Hypotheca nulla est prætoria, sed vel testamento hypotheca, vel nudo pacto constituitur. Multa verò communia inter se habent pignus conuentionale & prætorium, hoc inter cetera, vt vsucapione neutrius pignoris causa perimatur. l. 2. ȷ. tit. prox. l. vsucapio. C. de pig. l. j. §. cùm prædium. ṡ. eod. tit. l. iusto. §. non mutat. ṡ. tit. prox. Saluo igitur, inquit lex nostra, pignore prætorio, res in cuius possessionem legatarius missus est, ab herede pro emptore vsucapietur, aut etiam pro herede.

AD L. ALIENAM.

C Denuntiante.] Litis contestatio longi temporis consuetudinem interrumperet: Denuntiatio non interrumpit. Vsucapio autem non nisi naturaliter interrumpitur, vt superius dictum est.

AD TIT. PRO HEREDE VEL PRO POSSESSORE.

PRo possessore in hac rubrica, est pro bonorum possessore. Aliàs pro possessore titulus, est malæ fidei.

AD L. I.

D Hoc verò distat titulus pro herede à titulo pro legato. nam pro legato, ex viui bonis vsucapi potest l. ea res. & l. seq. ȷ. pro lega. credo quia legata viuo testatore præstari possunt. l. Lucius. ṡ. de legat. lib. 2. l. Seia. de au. & arg. leg. l. filia. C. de legat. hereditas autem viuo testatore adquiri non potest. Quærit Acc. An hereditas vsucapi posit? rectè autem respondet, eam nō posse vsucapi. est enim ius incorporale: atq; hanc etiam fuisse Iurisconsultorum sententiam scribit Seneca lib. 6. de beneficiis.

AD L. II.

Satisdatum.] Satisdatum pro satisfactum, vt ostendi in tit. quib. mod. tol. obl. lib. III. Instit. pignus enim satisfactione dissoluitur.

E Quod vulgò.] Vt mutari posit causa possessionis, demonstraui in l. non solùm. §. quod vulgò. ṡ. de vsurp. & vsuc.

Filium.] Suis heredibus existentibus nemo vsucapere potest pro herede. l. 2. C. de vsucap. pro hered. Nihil, inquit, pro herede posse vsucapi suis existentibus heredibus obtinebit. Ratio hæc est, Sui heredes, nō fiunt, sed existunt heredes, quemadmodum ipse demonstraui in tit. de hered. qual. & differ. nec adquirere bona dicūtur, sed retinere: Ideoq; suorum condicio talis est, vt retrò paterna bona obtinuisse videātur. Ea igitur bona, quasi viuentis bona, pro herede vsucapi non possunt. Doctores etiā putant suum heredē pro herede vsucapere non posse, quod mihi nō probatur: nec enim, sicut nunc ostendimus, is est sensus l. 2. C. pro herede. Nihil etiam ab eis facit hic §. quo mouētur tamen: Cuius speciem vt intelligamus, sciendum est donationē à patre in filiumfa. collatā nullam esse,
F nec morte confirmari. l. 1. §. 1. ȷ. tit. prox. vt enim morte confirmetur, lege opus est, arg. l. cùm hic status. ṡ. de donat. inter vir. & vxo. non nego tamē ex decisione Iustiniani eam hodie confirmari morte. l. donationes. l. C. eod. tit. ceterùm ante Iustinianum morte non confirmabatur, patris tamen ratihabitione post emancipationem. l. donationes. §. pater. ṡ. de donat. l. siue emancipatis. C. eod. titul. vel ratihabitione heredum aut coheredum confirmabatur. l. si pater. ȷ. titul. prox. l. pen. §. si pater. ȷ. pro suo. Quibus cognitis, sic ponatur species: Pater filiofam. donauit & tradidit, idq; filiusfam. naturaliter non ciuiliter posidet: Defuncto patre, filio cum aliis quibusdam herede scripto, filius pro sua parte rem donatam incipiet ciuiliter pro herede posidere, pro parte coheredum nō item: quoniam ipse sibi solus causam possessionis immutare non potest. Pendet hic §. ex superiori, vt patet ex particula *Quoque*. Ex eo igitur idem efficio quod ex superiore §. videlicet neminem sibi possessio-
G nis causam immutare posse. Ex quo apparet nihil eo §. Doctorum nostrorum sententiam adiuuari.

AD L. III.

Pro herede vsucapit verus heres, si verbi gratia, rem aliquam putet esse ex hereditate quæ non sit. Item si iustam causam habuerit existimandi se heredē esse. l. pro herede. ṡ. de pet. hered. l. non solùm.

lùm.§.quòd vulgò.ſ.de vſurp.& vſuc.ſi modo teſtamenti factionem habuerit,id eſt, ſi incapax non A fuerit.l.prox.ĵ.hoc tit.l.nemo.ĵ.pro leg.

AD TIT. PRO DONATO.

AD L. I.

NE c ſufficit.] Error falſæ cauſæ vſucapionem non parit.

Si pater.] Donatio inter patrem & filium morte non confirmatur.

Si inter.] Donatio inter virum & vxorem iure ciuili nulla eſt, ſed morte confirmatur ex oratione D.Seueri.Diuortio non confirmatur. Mulier cui vir donauit & tradidit, iure ciuili poſsidere B non intelligitur.l.ſi eum qui mihi.ſ.de don.inter vir.& vxor.naturaliter tamen poſsidet.l.1.§.ſi vir.l. quod vxor.ſ.de adquir.poſſeſſ.l.nec vllam.§.1.ſ.de pet.her. & vſuras atque fructus quos facto ſuo perceperit ſibi adquirit.l.fructus.ſ.de vſur.l.ex annuo.l.quid ergo.l.de fructibus.ſ.de don.inter vir. & vxor.quamquam aliâs per ſe vxori facta fructuum donatio,aut vſurarum remiſsio non valeat.l.ſi fructus.C.eod.l.ſi quis pro vxore.§.ſi vxor.ſ.eod.l.pro oneribus.C.de iur.do.Cùm ergo vxor aut vir donatam rem naturaliter vel pro poſſeſſore poſsideat, vt & Iulianus ait, facto diuortio nihil agit, ſi hoc ſolùm ipſe ſtatuat in animo,ſe eam rem ex alia cauſa poſsidere:quia nemo ipſe ſibi mutare cauſam poſſeſsionis poteſt:& ideo vſucapio non procedit.At mutatur tamen cauſa poſſeſsionis, ſi poſt diuortium ratam maritus donationem habuerit,& exinde vſucapio etiam procedit.

AD L. II. C

Vſucapio litis conteſtatione non interrumpitur,qua de re diximus in l.2.§.vlt.ſ.pro empt.

AD L. III.

Si pauperior.] Vtputa quia ſciens rem alienam, donat bona fide accipienti. hæc enim donatio valet, atque vſucapionem parit,nec vllus error iuris eſt,quippe cùm ſit vtilis donatio.

AD L. IIII.

De huius legis quæſtione ſatis abundeq; diximus in l.1.ſ.tit prox.

AD L. V.

Manumiſsione ſerui vſucapio interrumpitur. D

AD L. VLT.

Donationis cauſa fit venditio, quæ fit nummo vno: Nulla eſt venditio ſine pretio. Nummus vnus pretium non eſt.l.ſi quis ante.ſ.de adquir.poſſeſſ. Ergo venditio quæ fit nummo vno, ſine pretio fit, & imaginaria venditio eſt. Ea porrò imaginaria venditio non eſt, in qua pretium, non vnus nummus accedit.l.imaginaria.ĵ.de diu.reg.iur. Plerumq; autem venditiones nummo vno fiunt, expediendarum rerum gratia,vt in l.ſi vſusfructus.ſ.de iure dot.§.1.de teſta. §.præterea.quib. mod.ius pot.ſol.Th.in §.reſtituta.de fid.hered. Sunt autem veriùs donationes quàm venditiones: idemq; de conductione dicendum eſt quæ fit nummo vno,& de ſocietate, ceteriſq; omnibus contractibus donationis cauſa factis.l.ſi quis conduxerit. l.ſicut emptio.ſ.loc.l.5.§.vlt.ſ. pro ſocio.l. E cùm in venditione.l.ſi quis donationis.ſ.de contrah.empt.l.ſi non donationis. C.eod.tit. & ideo rectè Hermog.in hac lege pro donato, non pro emptore vſucapionem procedere dixit. ſed tamen ſi talis venditio in fraudem iuris fiat,vtputa inter virum & vxorem,nihil agi conſtat.l.empti.C.eod.l. ſi ſponſus.§.circa.ſ.de donat.inter vir.& vxor.l.vir vxori.ſ.ad Velleia.l.pen.ĵ.ad leg.Iul.rep.ac proinde ex ea cauſa nulla vſucapio procedit.

AD TIT. PRO DERELICTO.

AD L. I. F

SI à domino res pro derelicto ſit habita,occupanti ſtatim adquiritur, nec vſucapitur. Si à poſſeſſore,vſucapione non occupatione adquiritur.

AD L. II.

Iulianus deſinere.] Proculiani dicebant non ſtatim rem eſſe derelinquentis deſinere: Sabiniani contrà.l.falſus.§.qui alienum.ĵ.de furt.ex quibus Iulianus fuit:& horum quidem obtinuit ſententia.Sic igitur fiet vt ſeruus ſit ſine domino.l.queádmodum. §.1.ſ.de nox.act. iſq; ſeruus interim vt ſtipulãdo nihil agat.l.quòd ſeruus.ſ.de ſtip.ſer.Quod ergo dicitur animo dominium nõ amitti in l.ſi quis vi.§.differentia.ſ.de adq.poſſ.ita verũ eſt,ſi dominus rem ſuam non abiiciat & derelinquat. G

AD L. III.

Pars domini pro derelicto haberi non poteſt ab eo, qui ex aſſe dominus eſt. Neceſſe igitur vti vel totum abiiciat,vel totum retineat.

AD

A AD L. IIII.

Haberi putamus.] Alioqui forsitan mala fide id nanciscamur. Non satis est igitur pro derelicto habitum, nisi & pro derelicto id haberi existimemus.

AD L. V.

In ea causa.] Si ergo sciens, à non domino emerim rem habitam pro derelicto, vsucapere possum, idemq; est si quasi volente & consentiente domino à non domino emerim.

Quia quasi uolente.] Sed hoc casu maritus vxori tenetur facto diuortio: quia etsi vtilis emptio fuerit, nulla tamen est donatio.

Sicuti cùm quis æs sparserit.] Missilia occupanti cedunt: sed hoc interest, quòd pro derelicto habita, statim nostra esse desinunt. l. 2. s. Missilia non item, nisi ab alio apprehensa fuerint, quoniam ea mens & cogitatio spargentis est. §. pen. de rer. diuis. Sequimur in missilibus Proculi sententiam, non in his etiam, quæ pro derelicto sunt habita.

B

AD L. NEMO.

Id tantùm pro derelicto vsucapitur, quod re vera pro derelicto est habitum. qua in re distat hic titulus ab aliis: nam ex aliis causis vsucapio interdum procedit, si eas credamus præcessisse. Ex hac numquam. Omnino enim necesse est vt res à bonæ fidei possessore pro derelicto sit habita, neque vlla traditio interuenire potest quæ iustum errorem inducat.

AD L. SI QVIS MERCES.

C Ea quæ in maris tempestate leuandæ nauis causa eiiciuntur, non adquiruntur occupanti. deniq; nec pro derelicto vsucapiuntur: & hoc ita multi sine distinctione tradunt. Est verò huic legi coniungenda, vt similitudo inscriptionum admonet, l. qui leuandæ. s. ad leg. Rhod. Solus Vlpianus distinctione vsus est in l. falsus. § si iactum ff. de furt. idemq; accidit Vlpiano in hac specie, quod in specie §. Sabinus. l. 2. s. pro empt.

AD L. VLT.

Seruus pro derelicto habitus, liber non efficitur. Infans autem à domino expositus, fit statim liber. l. 1. & 2. C. de inf. exp. l. nemini. C. de episc. aud. ἀπρονόητος etiam liber fit, qui qualis sit, ab Constantino explicatur lib. 1. epit. tit. vlt. Itē seruus in aduersa valetudine domo eiectus, liber fit: olim quidem

D Latinus ex edicto D. Claudij, nunc ciuis Romanus. l. 1. §. sed scimus. C. de Lat. lib. tol. l. 2. s. qui sine man. ad lib. per. De hoc edicto Claudij, Suetonius etiam scribit in Claudio, cap. XXV. & Dion in lib. LVIII. ad finem. Suidas quoque in hunc modum loquens de Claudio: ἐπειδὴ γὰρ καί τινες τοὺς δούλους ἀρρωστοῦντας οὐδεμιᾶς ἠξίουν θεραπείας, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκιῶν ἐδίωκον, ἐνομοθέτησε πάντας τοὺς ἐκ τῶν τοιούτων περιγενομένους ἐλευθέρους εἶναι. Ceterùm his casibus exceptis, Qui pro derelicto habitus est, liber non fit, atque ita Thetis in hac specie non est facta libera, sed ab eo tamen rectè manumittitur, qui eam suscepit & eduxit pro sua.

AD TIT. PRO LEGATO.

E

AD L. I.

ERROR falsæ causæ vsucapionem non parit. Proinde nō is qui sibi legatum putat, sed is cui legatum est, pro legato vsucapit, nisi si is cui legatum non est, iustissimā habeat causam existimandi sibi legatū esse: vtputa si res ei legati nomine tradita sit. de quo dictum est in l. Celsus. s. de vsurp.

AD L. EA RES.

Diuersum esse in titulo pro herede ostendimus in l. 1. s. pro her.

AD L. SI NON TRADITAM.

F Sine vitio nanciscitur possessionem legatarius, si legatario voluntas heredis accommodata est, aut Prætoris auctoritas: alioqui res legata mala fide possidetur, nec vsucapi potest. Sine vitio igitur, id est, sciente & consentiente herede, vel Prætoris auctoritate.

AD L. VLT.

Post magnas.] Sic etiam Hermog. loquitur in l. cùm ex vno. ff. de oblig. & act. Variatum autem hac in re fuit, propterea quòd non iure datum, vel etiam redemptum, nec datum intelligitur, sed tamen error hac in re versari probabilis potest.

G AD TIT. PRO DOTE.

AD L. I.

VSVCAPIONI pro dote locus est, si dotis nomine post iustas nuptias tradita sit res aliena inæstimata. Æstimata enim, pro emptore vsucapitur. l. plerumq;. §. si ante. l. quotiens. s. de iur.

dot.non æstimata,pro dote. Vsucapio rei æstimatæ cedit commodo mariti, siquidem soluto matrimonio malit æstimationem offerre quàm rem ipsam. Vsucapio inæstimatæ rei,cedit commodo mulieris dissoluto matrimonio,nisi aliquo casu dos apud virum remaneat. A

Pariter uniuersæ.] Potest mulier omnia sua bona in dotem dare.l.nulla.C.de iur.dot.l.mulier.ꝟ.eod.idq; factum videtur, si conuenerit in mariti manum, vt M.Tullius scribit in Topicis, & Accurs.refert in d.l.mulier.sed parum emendatè.

Et primùm de tempore.] Si res dotis nomine ante nuptias inæstimata sit tradita, pro dote vsucapio cessat,quia sine nuptiis dos nulla est:sed pro suo vsucapio locum habet, nisi ea mente tradita res fuerit,vt nō ante fiat eius,quàm secutæ sint nuptiæ, quo casu omni ex causa vsucapio cessat. Post nuptias autem vsucapio pro dote procedit, videlicet si iustæ sint nuptiæ. nam si nuptiæ iniustæ sint,cessat vsucapio pro dote,nisi quis iustam habeat causam existimandi matrimonium esse,& dotem esse,vt in specie l.Proculus.ꝟ.de iur.dot.quo casu saltem pro suo vsucapio procedit. B

AD L. II.

Illud venire in dubitationem potest,quid dicēdum sit,si ante nuptias æstimata res,tradita fuerit. Et hoc casu placet nec pro suo,nec pro emptore vsucapionem procedere:quoniam antequam contractæ sint nuptiæ,non est perfecta venditio.l.plerumq;.§.si ante.ꝟ.de iur.dot.Vnde consequens est errasse Rogerium,qui pro suo vsucapionem existimauit procedere in specie l.2.§.si sub condicione.ꝟ.pro emp.quoniam hæc in dotem datio condicionalis est venditio.

AD L. VLT. C

Rem cōmunem non possum pro parte socij vsu aut longo tēpore capere:quia omni titulo careo. l.seruum.C.fam.ercisc.l.3.C.in quib.caus.ces.lon.temp.præscr. At si rem cōmunem vendidero,aut in dotem dedero bona fide accipienti,dubiū non est quin ea res vsucapi posit.l.1.C.de com.re.aliena.

Dantis credidissent esse.] Dantis non erant pro parte coheredis.

AD TIT. PRO SVO.

AD L. I.

ET Mauricianus.] Mauricianus emptorem qui vsucepisset,dicebat pro suo posidere, quia vsucepisset,neque tamen desinere pro emptore posidere. Ex plurimis igitur causis posidere possumus,vt Mauricianus putat l.3.§.ex plurimis.ꝟ.de adq.poss. D

AD L. II.

Est species.] Quæ in his exemplis alio titulo non cohæret.

Alieno nomine.] Id est,non pro suo,sed pro herede,pro emptore,pro donato.Hæc duo igitur opponūtur,Alieno nomine,& Pro suo. Nam pro emptore posidere,id est,emptionis nomine: pro legato,id est,legatorū nomine.l.1 l.5.l.pen.ꝟ pro lega. Aliud autem est pro suo posidere, aliud pro suo vsucapere.Pro suo posident hi,qui facti sunt domini per emptionem,vel aliam iustam causam:sed hi non vsucapiunt: Hi dicuntur etiam pro emptore ac ex aliis causis posidere. Hoc autem solo titulo,Pro suo,posident hi, qui facti sunt illis modis domini,qui hac in lege referuntur.Pro suo vsucapiunt hi,qui & alio titulo vsucapiunt.Hoc autem solo titulo,Pro suo,vsucapiunt hi,qui ex falsa causa posident.l.3.l.4.§.vlt.& l.vlt.hoc tit. E

AD L. IIII.

Trebatius.] Constantinus lib.III. epito.legit, *Neratius*: ac sanè forsitan ita legendum est vt in l.prox.ꝟ. *Omnimodo*, id est,sine distinctione. Pomponius autem adhiberi distinctionē oportere existimabat,quam & nos secuti sumus in l.sequitur.ꝟ.de vsurpat.

AD L. VLT.

Etiam ex aliis causis.] Hæc videntur esse Triboniani : quasi si diceret, Non tantùm ex superioribus titulis Pro emptore,Pro herede,Pro possessore,Pro donato,Pro derelicto,Pro legato,Pro dote,Pro suo,sed etiam ex aliis quamplurimis :vt Pro cesso.l.non solùm.§.si mihi Titius.ꝟ.de vsurp. & vsuc. Pro soluto.l.pro soluto.& l.pen.ꝟ.eod.tit. Pro noxæ dedito.l.3.§.genera.ꝟ.de adq.poss. Pro iudicato,Pro adiudicato.l.3.ꝟ.de pub.in rem act.l.si per errorem.ꝟ.de vsurp.Pro transacto.l.cùm solus.ꝟ.de vsurp.l.ex causa.C.pro empt. Pro fideicommisso.l.Pomp.§.pen.ꝟ.de adq.poss. Etsi enim ex causa fideicommissi dominium non transferatur.l.qui vsumfructum.ꝟ.si vsusfr.pet.tamen ex ea causa vsucapio sequitur. F

Vt aliquis litium.] Minuendarum litium causa.l.1.in princ.ꝟ.de aqua & aquæ plu.arc.& ideo M.Tullius.Vsucapio,inquit,est finis sollicitudinis & periculi litium.

Etiam si falsa.] Error falsæ causæ vsucapionem parit, si sit probabilis & tolerabilis. quod iam antè multis in locis traditum & explicatum est. G

FINIS.

IAC.

IAC. CVIACIVS, FABRIS PETRO ET CAROLO FRATRIBVS CONsanguineis, & Carolo fratri eorum Patrueli S. P. D.

CVM *ad libros quattuor Institutionum Dn. Iustiniani notas confecissem, & vobis hæc ciuilis prudentiæ studia ineuntibus communicassem, non destitistis ab eo tempore hortari & monere me, vt eas ipse in publicum proferre non grauarer: Etenim idem planè vobis quod mihi videri, ex tam magno interpretum numero vix esse vnum, qui hanc Iustiniani* εἰσαγωγὴν *adolescentiæ oblatam, ac multis inde locis inscitia superioris temporis deformatam, pristino nitori reddidisset, & me ad eam rem tamen adiumenti nonnihil attulisse. Quod equidem, etsi mihi tantùm non tribuo, vt quod ceteri non obtinuerint, id me putem assecutum: quia tamen ita censuistis, denegandum vobis non esse arbitratus sum, adolescentibus cùm honestißimis, tum omni beneficiorum ratione mihi deuinctißimis: quinimmo tibi, P. Faber, studiorum meorum comiti, & si ex studijs huius ætatis tuæ, tanquam ex herbis, quantæ fruges industriæ futuræ sint rectè conijciamus, nemini, cùm ad iustam ætatem perueneris ingenio aut eruditione concessuro, duxi summum esse nefas ea in re non assentiri: nec iam recuso quin eæ ad Iustinianum notæ sub nomine vestro exeant, quibus ipse auctoribus & hortatoribus si caruissem, id fortasse numquam aggressurus fueram.*

Valete. Biturigis. prid. Id. Februarij, 1556.

I. CVIACII I. C. AD LIBROS QVATTVOR INSTIT. DN. IVSTIN. NOTÆ.

*

AD CONSTITVTIONEM DN. IVSTINIANI DE CONFIRMATIONE INSTITVTIONVM. A

ET PRINCEPS ROMANVS.] Veteres Codices, alio ordine, *Et princeps Romanus victor existat, non solum in hostilibus prælijs, sed etiam per leg. tra. cal. iniq. expellens,* hoc sensu: Imperatorem non ex armis tantùm, sed etiam ex legibus gloriosam sibi victoriam comparare.

Magnificus.] Abest à vet. libris.

Redactæ.] Vet. *deductæ.* Gentes verò sunt quæ à Satrapis reguntur, nec prouinciæ formam habent: de quibus in l. vlt. C. de temp. appellat. si quidem vt est in libris scriptis, ita in ea legatur, *Armenijs vel gentibus*: & l. vlt. C. de offic. mag. mil. quæ ex eis restituenda est etiam in hunc modum: *& gentes Anzitenam videlicet, Ingilenam, Astianenam, Sophenam, Sophanenam in qua est Martyropolis,* B *Balabitenam, & primam.* & quæ sequuntur.

Numerosæ.] Tot scilicet vt vix adnumerari queant: vt in l. 1. C. in quib. caus. in integ. rest. non est necess. *numerosis rescriptis.* sic namque & in eo loco legendum est, & in hac significatione vsi sunt hac voce alij auctores quamplurimi.

Tam à nobis promulgatis.] Quidam cod. *Iam à nobis promulgatis, vel compositis.* Promulgamus nostras, Componimus alienas.

Et cùm sacratissimas.] Primùm omnium Iustinianus Codicem fecit, tum Digesta, deinde Institutiones, ad extremum Codicem repetitæ lectionis. Prior Codex valet ex XVI. Kalend. Maij. Indictione VII. Digesta, Institutiones ex III. Kal. Ianu. Indictione XI. Posterior Codex ex die IIII. Kal. Ianu. Indictione XII. Ergo dum ait, *Et cùm sacratissimas*, priorem Codicem intelligit, non po- C steriorem. At Nouellarum liber diem non habet. Sunt earum sententiæ quædam ab Triboniano in Pandectas relatæ, vt in l. vxores. D. de diuort. quæ tota, paucissimis verbis exceptis, sumpta est ex No. Iustiniani XXII. ipsumq; orationis genus satis per se ψευδεπιγραφίαν prodit. sunt & posterioris Codicis decisionum quinquaginta.

Magistro.] Magistro officiorũ curæ sunt, scholæ fabricensium & agẽtium in rebus, disciplina palatij, cursus vehicularis. Quæstori leges, preces, laterculum minus: & vt est in No. Th. de hom. ca. fac. Quæstor custos est iustitiæ. Ex Quæstoribus sunt Codicillares, aut qui verè Quæstores fuerunt.

Non ab antiquis fabulis.] Ammia. Marcel. lib. XXX. Iurisperiti vt altius videantur iura callere, Trebatium loquuntur, & Cascellium, & Alfenum, & Auruncorum Sicanorumq; iamdiu leges ignotas, cum Euandri matre ab hinc seculis obrutas multis. D

Quod in ipsis rerum.] Quod est in vsu. l. vlt. C. de iu. dom. impet. §. pen. j̃. de satisdat.

In quattuor.] Vet. *In hos quattuor.*

Caij nostri.] Hic Caius fuit Hadriani temporibus. l. vtrùm. D. de reb. dub.

Perlecto.] Vet. *perfecto.*

Dn. Iustiniano PP. III. Cos.] Legendum, *Dn. Iustiniano perpetuo. A. III. Cos.* Ex hoc die confirmantur Institutiones, ex alio valent, ex quo Pandectæ etiam valent, quæ tamen ex vlteriori die confirmantur, quemadmodum apparet ex subscriptione Constitutionis de confirmatione Pandectarum. Pandectæ igitur confectæ sunt prius quàm Institutiones, posteriùs confirmatæ. Sic prior Codex confirmatur ex VI. Id. April. Indictione VII. posterior ex XVI. Kal. Decemb. Indictione XII. ex aliis verò diebus valent. E

AD LIB. I. INSTITVTIONVM DN. IVSTINIANI.

DE IVSTITIA ET IVRE.

IVstitia est.] Iustus est qui vult, non qui aut iusta facit, aut iniusta non facit, non qui Iurisperitus est: nam iniusti quoque faciunt plerumque iusta, aut iniusta non faciunt, aut Iurisperiti sunt.

sed

A sed neque iustus est qui vult modò, modò non vult ius suum cuique tribuere. Is verò demum iustus est, qui sic ab animo comparatus est, vt perpetuò τὸ ἀνάλογον, id est, ius cuique suum velit tribuere.

Diuinarum atque humanarum rerum notitia.] Hoc commune est cum sapientia, cum philosophia. quod autem sequitur, proprium est Iurisprudentiæ.

Duæ sunt positiones.] Alij tres fecêre iuris positiones, Sacrum, Publicum, Priuatum. Auson. in Edyl. xv.

Ius triplex tabulæ quod ter sanxêre quaternæ,
Sacrum, priuatum, & populi commune quod vsquam est.

Priuatum autem ius, & publicum dicimus, cùm ex aduerso ponimus pacta, vel vltimas voluntates, vel priuilegia.

B

DE IVRE NATVRALI, GENTIVM, ET CIVILI.

Ius naturale est.] Ius in bruta non cadit: nam nec iniuria cadit. l. 1. D. si quadr. paup. fec. dic. denique vt rationis, ita & iuris bruta expertia sunt. At quæ bruta faciunt incitatione naturali, ea si homines ratione faciant, iure naturali faciunt. Quę bruta non faciunt, ea si omnes homines ratione faciant, iure gentium faciunt, quod & ipsum ius naturale dicitur, & bonum, & æquum, & naturalis æquitas, & naturalis ratio, & lex naturalis, & natura. Quæ non omnes, sed quædam hominum congregata in vnum locum multitudo vtilitatis publicæ causa facit, ea verò fiunt iure ciuili.

Quam nos.] Nomine iuris.

C Peritia.] Malim, *perita*, nisi sic exponamus, pro istius iuris peritis haberi.

Ius autem ciuile uel gentium ita diuiditur.] Sic libri scripti. Distinctio dicitur diuisio in hoc libro sæpe. Ita ergo diuiditur, id est, ita distinguitur.

A Romulo.] Absunt hæc à veteribus libris, quod valde probo.

Bella.] Bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, manumissiones, vt sacrosancti sint hostium legati, regna, dominia, obligationes, acceptilationes, constitutiones sunt Iurisgentium.

Omnes penè contractus.] Omnes obligationes. Omnis enim obligatio pro contractu habetur. l. omnem. D. de iudic. atque ideo in l. ex hoc iure. D. de iust. & iur. Hermog. obligationes dixit, non contractus. Cur autem ait *Pene?* nempe quia sunt quædam conuentiones: & obligationes legitimæ. l. conuentionum. l. legitima. D. de pact.

D Lege Hortensia.] Lege Horatia primùm, deinde lege Hortensia, hæc cùm plebs in Ianiculum secessisset, illa, cùm in Auentinum: auctores sunt T. Liuius, & C. Plinius.

Ei & in eum.] Sic auctore Accursio, ait vices populi datas esse principi & in principem, vt in l. est receptum. D. de iurisdic. ius dici maiori & in maiorē: nec verò vllo alio distat populus à principe, quàm quòd populus suis legibus tenetur, princeps legibus solutus est. ceterùm vt suis, ita & principis legib. pop. tenetur. Principem igitur populus cum vice sua cōstituit & se principis legibus obligauit.

Omne suum imperium & potestatem.] Id est, vicem suam.

Ius honorarium.] Aliud est ius prætorium, aliud ius honorarium. Ius ædilicium aut tribunicium, ius honorarium est: ius prætorium non est.

Iura condere.] Sic veteres libri. Id verò rectè ait Th. fieri κατὰ πεῦσιν, καὶ ἀπόκρισιν.

E

DE IVRE PERSONARVM.

Constitutio iuris gentium.] Ergo & dominatio constitutio est iuris gentium. l. si id quod. D. de cond. inde. Cuius legis sententia hæc est, vt libertas iure naturali continetur, & seruitus iure gentium, quod & ipsum naturale est, ita & in condictionum quæstione, debitum & indebitum naturaliter accipitur, id est, iure gentium, non ciuiliter: & indebitum quidem naturâ condicitur, debitum naturâ non condicitur.

Aut iure ciuili.] S. C. Claudiano. l. 3. D. quib. ad lib. procl. non licet.

Homo liber.] Ingenuus & sui iuris: nam libertini & filiifamilias ne eo à se modo libertatem abiudicent, ius patronatus & patria potestas facit.

F Ad pretium participandum.] Ad pretium partiendum. Ergo sola pretij partitio seruum facit: & in l. si vsumfructum. §. 1. D. de lib. cau. Legendum est hoc pacto, *In summa sciendum est quæ de venditis seruis quibus non denegatur:* nam & quæ præcedunt leges, ad eos tantùm pertinent, qui possunt ad libertatem proclamare.

In seruorum.] Nihil interest vtrùm quis natus, an factus sit seruus: at verò multum refert, vtrùm quis natus, an factus sit liber.

DE INGENVIS.

Placuit eum qui nascitur.] Placuit autem principibus contra iuris ciuilis regulam, vt in notis ad Vlpianum ostendi, quas viro eruditissimo & mihi amicissimo Io. Amaritoni dedi. Placuit verò ita Adriano & D. Pio. l. Imp. 2. D. de stat. hom. l. si ante. C. de pœnis.

G

In seruitute.] Seruum esse, & in seruitute diuersa sunt: vno proprietas, altero possessio significatur.

Natalibus.] Ingenuitati. inde Paul. lib. v. senten. veritati, inquit, & origini ingenuitatis manumissio quocumq; modo facta, non præiudicat.

DE LIBERTINIS.

A

Manumiſsio autem eſt de manu datio.] Legendum, *Manumiſsio autem eſt datio libertatis.* Cetera etiam auctoribus libris veteribus, ita ſcribenda ſunt vt in P.Flor.ſcripta eſt l.manumiſsiones. D.de iuſtit.& iur.

In ſacroſanctis eccleſiis.] Aureliæ pro valuis maioris eccleſiæ, in lapidem inciſa eſt manumiſsio eiuſmodi. *Ex beneficio S. †. per Ioannem epiſcopum, & per Albertum S.†. Caſatum factus eſt liber Lemtbertus teſte hac ſancta eccleſia.*

Ex lege Aelia Sentia Dediticij.] Legendum, *Dediticiorum numero:* atq; ita etiam Vlpianus loquitur in fragmentis, in quem hac de re notas pleniores ſcripſimus.

Sed quoniam Dediticiorum.] Vet. *Sed Dediticiorum quidem peſs. cond. iam ex mult. temp. in deſ.abijt, Lat. verò no.non frequentatur.* B

Quæſtore noſtro.] Supereſt, *noſtro:* dicitur namq; ſacri palatij quæſtor, non principis.

Nec domini manumiſſoris.] Non eſt emendandum, *dominij:* isq; ſenſus eſt, illud hodie nõ quæri, vtrùm manumiſſor Quiritarius an Bonitarius ſit dominus.

QVI ET QVIBVS EX CAVSIS MANVMITTERE NON POSSVNT.

Haberent.] Vet. *habeant.*

Ne iniuria.] Iniuria igitur ſeruus ipſe potius, quàm honore afficitur. l.ſeruus. C.Theod. de inoffic.teſtam. C

Cùm non ſit.] Vet.lib. *Cùm non eſt. Cùm* pro *quia.*

Eadem lege.] Immò S. C. l.1.D.de offic.Conſ. Aut facta ſunt S. C. circa legem Æliam Sentiam, quod & indicat l.4.C.qui manumit.non poſſ.aut in ea l.1.ſic ſcribendum eſt, *Cùm ipſe ſit qui ex lege:* qui error manare potuit ex notis, quibus & legem & Senatuſconſultum deſignare ſolemus, vnde etiam factum eſt, vt in omnibus libris perperam ſcriptum ſit in l.2.§. quid ergo ſi petiit. D.ad Tertyl. *An incidat in Senatuſconſultum,* pro *An incidat in ſententiam conſtitutionis,* vti apparet ex ead. lege.§.quid ſi cùm prægnans.& §.quid ſi deceſſerit.& l.vlt.D.qui per.tut.

Procuratoris.] Procuratores vel ad agendum conſtituuntur, vel ad adminiſtrandũ. Ad agendum liberi, & maiores annis XXI. Ad adminiſtrandum etiam ſerui & minores.

Matrimonij habendi.] *Habendi,* abeſt à vet.libris, quod placet.

Quod non erat ferendum.] Nihil hoc loco ſincerius videtur: ſic tamen reſtituendus eſt ex vet.lib. *Quod non erat ferendum, ſi is, cui totorum bonorum in teſtamento diſpoſitio data erat, vni ſeruo libertatem dare non permittebatur: quare nos ſimiliter ei quemadmodum alias res, ita & ſeruos ſuos in vltima voluntate diſponere, quemadmodum voluerit, permittimus,* &c. D

DE LEGE FVSIA CANINIA SVBLATA.

Certus modus.] Certus numerus.l. LXXXIIII. C.Th. de Iudæis: atq; adeò nominatim omnes manumittendi erant. fuit hæc lex lata Augusti temporibus: namq; eam Suetonius Auguſto tribuit. fuit & lex Ælia Sentia, quam idem quoque auctor Auguſto tribuit cap. XL.

DE HIS QVI SVNT SVI VEL ALIENI IVRIS. E

Ad ſacram ſtatuam.] Delenda eſt vox *ſacram,* auctoribus libris ſcriptis: quam etiam Pandectæ non agnoſcunt. Videtur etiam ſuprà Iuſti.ad Antoninum addidiſſe, *Ad ædem ſacram.*

DE PATRIA POTESTATE.

Proprium eſt ciuium.] Iam inde à Romulo moribus receptum.l.patre furioſo. D.de his qui ſunt ſui vel alie.atq; ideo pupillaris ſubſtitutio, quę fit iure patriæ poteſtatis, etiã moribus recepta eſt.

DE NVPTIIS.

Quidam Codices: *De iuſtis nuptijs.* F

Si filij familias ſint.] Idem multomagis dicendum eſt. ſi filiæfamilias ſint: nam & emancipatæ minores XXV. annis, neceſſe eſt vt habeant conſenſum patris vel matris & propinquorum. l.1.l.viduæ. l. in coniunctione. C.de nupt. quod tamen in filiis emancipatis locum non obtinet.l.filius. D.de ritu nupt. niſi ſcilicet credamus Accurſio & Harmenopulo, qui l.filius. explicandam ex eis legibus eſſe cenſent, quæ ad filias emancipatas pertinent. Et vt ſemel proferam, quod de eorum mihi interpretationibus eſſe ſtatuendum videtur, non plus ipſe Harmenopulo aut Theophilo quàm Accurſio tribuo.

Et ciuilis & naturalis ratio.] Ciuilis, id eſt, patria poteſtas. Naturalis, id eſt, ius gentium: quo videlicet comparatum, id eſt, vt parentibus & patriæ pareamus.

Iuſſus.] Pro, voluntas, vt in l.ſi ſuſpecta.§.quoniam.D.de inoffic.teſt. G

Siue ab altero eorum.] Vet. *Siue alterutro eorum.*

Coniungi poſſunt.] Quid. cod. *coniungi non poſſunt:* atque ita Theophilus ſcribit & Gaius lib.1.Inſtit.quod pugnat tamen cum l.celebrandis.C.de nupt.l.2.C.de inſt.& ſub.l.3. D.de ritu nupt. & aliis innumeris. Malim igitur, *Coniungi poſſunt.* Adſcripta eſt negatio Gaio ex Gotthorum iure, quo

A quo vt Casiod.indicat Var.lib. VII. recepta fuit Theodosij constitutio,vt ne consobrini matrimonio iungantur sine venia principis,de qua in l.I.C. Th. Si nup.ex rescr. & apud Paulum monach. in Theodosio,Ambrosium lib.VIII.epist.ad Paternum.Huic autem §.adscripta est negatio ex eodem iure,intermisso quidem,sed ab nouissimis Imperatoribus reducto.

Quum & his pater incertus sit.] Legendum auctore libro scripto, *quum is etiam incertus est*, hoc sensu.quia is etiam pater incertus est.quæ verò sequuntur vti restituenda sint,exposui in notis ad Vlpianum.

Postea curiæ datus.] Hic modus faciendi legitimi manat ex constitutione Theodosij in l. 3. C.de nat.lib.& Leonis in l.4.eod.in qua & exemplum Philocali ponitur,à patre oblati curiæ Bostrę ciuitatis:sic enim in Leonis constitutione legendum est,non *nostræ*.

B A muliere libera.] Libera,id est,ingenua.l.Diui. l.cùm quis. C. de nat. lib. Idem tamen est, si ex libertina vel ancilla,ex No.XVIII.§.vlt.& No.LXXXIX.

DE ADOPTIONIBVS.

Non solùm autem naturales.] Duobus casibus adoptio filios facit, si femina adoptauerit iussu principis,si extraneus à patre filium in adoptionem acceperit:ceteris filiosfamilias.

Etiam auo.] Legendum est, *etiam auo paterno.* testibus lib. scrip. in quibus vbiq; maior est fides quàm in impressis.

Modo constitutum.] Legendum, *nodo constrictum.*

Arrogatio permittitur.] Ex constitutione Antonini Pij,auctore Vlp.in fragmentis.

C Personæ publicæ.] Rectè in libris scriptis, *personæ publicæ, hoc est tabulario*: vt in l.Orphanotrophos.C.de epis.& cler.ne subaudiatur magistratus.§.pen.J.de Attil.tut.

QVIBVS MODIS IVS POTESTATIS SOLVITVR.

Vulgò scriptum est malè,*patriæ potestatis*: nam & de potestate dominorum in initio agitur.denique vox *patriæ*,abest à vet.libris.

Quemadmodum.] Vet. *serui quemadmodum à potestate liberantur ex his*:& quæ sequuntur.

Perinde quasi mortuo eo.] Vet.*perinde ac si eo mortuo. Ac si* pro *quasi*, vt in l.I. C. de his qui à non do.man.sunt.l.6.C.de erog.mil.anno.l.vlt.C.de castr.pec.mil.& præfec.

D Restituti fuerint.] Aut specialis est restitutio,aut generalis.hæc strictè accipienda est, vt pœnæ tantùm gratiam faciat,& reditum in patriam restituat.l.tutor.l.si ademptis.l.generalis.C.de sent. pass.l.4.C.de bon.proscript.Illa si concepta sit in infinitum, nempe hoc modo, Restituo te in integrum, plenissima & latissima est.l.I.l.vltim.§.vlt. C. de sentent. pass.l.I. D. eod. & ideo patriam potestatem ceteraque omnia restituit. secùs est si finita sit, vt in specie l. 2. & l. in insulam. C. eod. l. 2. D. eodem.

Vel si senator.] Vet. *vel si senator extiterit, vel si consul fuerit factus,maneat.*

Summa patriciatus.] Casiodorus in formula patriciatus. Leges,inquit, tantam patriciis reuerentiam detulerunt,vt in sacris positus cum hoc fuerit honore precinctus,paternæ potestatis nexibus exuatur,nisi contrà specialiter à principe caueatur.

E Liberare.] Omnes vet.cod.*relaxare.*

Per antiquam legis.] Legis XII.tab.quæ quidem,vt Halicarnass.scribit, ἔθιν ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν λεγομένων δωδεκαδέλτων ἃς ἐνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ. est ergo alia emancipatio legitima,alia Anastasiana, quæ fit ex Imperatoris rescripto,alia Iustiniana.

Competentes iudices.] Magistratus Pop.Romani.

Vel magistratus.] Municipales.

DE TVTELIS.

Iure ciuili.] Lege XII.tab.

F Data ac permissa.] Datur legitima, Permittitur testamentaria. Datiua ex aliis legibus descendit.

Permissum est itaque parentibus.] Vt verò parentes,instituere liberis tutores possunt, an & substituere?sic videtur.l.verbis.D.de verb.sign.

Sine inquisitione.] A patre tutor emancipato datus sine inquisitione confirmatur. naturali datus non item,nisi ei aliquid relictum sit. A matre numquam datur,nisi instituto.l.Pater.D.de test. tut.ex qua in l.4.C.eod.tit.tollenda est negatio in illo loco,*quando autem eos.* & is quidem ex inquisitione etiam confirmandus est.

QVI TESTAMENTO TVTORES DARI POSSVNT.

G Libertatem directam.] Immò fideicommissariam.l.etsi non adscripta.C.de fid.lib.l. si hereditas.§.vlt.D.de test.tut.l.generaliter.§.si quis tutorē. D. de fid.lib.idq; verum est, siue institutus sit pupillus, siue exheredatus: nam pupillo instituto perinde libertas ex S. C. Dasumiano competit, atq; si,vt oportet,is ex causa fideicommissi manumissus esset.& hoc Paulus sentit lib.4. Senten.tit. de fid.libert. Iustinianus verò vt ex hereditatis, ita & ex tutelæ institutione hoc in loco directam

libertatem tribuit, inuita Iurisprudentia, & hoc probare videtur Thalelæus lib. XLVIII. βασιλικῶν, A titul. 13. Ceterùm videtur & in hac specie Paulus directam libertatem tribuere in l. quæro. §. vltim. D. de testam. tut. Id autem ideo, quia testator seruum quasi liberum duplici nomine, L. Erotem appellauit.

Purè, inutiliter.] Immò inest semper hæc condicio, Cùm liber erit, vel exemplo serui proprij data ei potiùs per fideicommissum libertas videtur. Potest defendi hæc non esse contraria. arg. l. qui tutelam. §. 1. & §. vlt. D. de testa. tut.

Sub condicione.] Ex condicione vel ad condicionem.

DE LEGITIMA AGNATORVM TVTELA.

B

Et inuicem tu illi.] Omnes vet. Cod. *& inuicem scilicet tu illi.*

Quia ex ea.] In vet. libris non sunt hæc, *ex ea*, quod rectum est.

Plerumque.] Quid hîc facit *plerumq.*? Nempe vt intelligamus non semper ius familiæ perimi minima capitis deminutione. Est Anastasij constitutio, ex qua fratres emancipati ad fratrum legitimam succeßionem, tutelam, curationem vocantur. §. 1. ꝫ. de success. cog. §. vlt. ꝫ. de grad. cog. l. frater C. de leg. tut. l. ne lucrum. C. de cur. fur. Est Iustiniani constitutio, ex qua & fratrum emancipatorum filij vocantur. l. vlt. C. de leg. her. Est rursus alia Anastasij constitutio, qua cautum est, vt ne iura familiæ amittant, qui Anastasiana emancipatione fuerint liberati, videlicet si ita nominatim id in Imperiali rescripto comprehensum sit. l. Si ab eo. C. de leg. her.

Non utique.] Non omnino, non omnibus modis. C

DE CAPITIS DEMINVTIONE.

Libertas uerò retinetur.] Non potest ciuitas amitti, patria potestas retineri: quoniam patria potestas iuris ciuilis est. Enimuero potest ciuitas amitti, libertas retineri: quia libertas iuris naturalis est. Sic Latini Iuniani, sic Dediticiorum numero, liberi sunt, non ciues, atq; adeò ex iure Quiritium liberi non sunt: quod & in deportatis tentari potest, vt ex iure Quiritium liberi non sint, eaq;, vt opinor, fuit mens Callistrati in l. cognitionum. D. de extraord. cogn. vnde & aliàs dubitatum fuit, an de deportatis quæstio haberi posset. sed ex rescripto D. Pij, non ij tantùm qui iure Quiritium, sed & qui iure gentium liberi sunt, non torquentur. l. Diuus. §. vlt. de quæst.

Vel contrà, ueluti si filiusfa.] *Veluti*, abest à vet. libris. quod valde probo. nam vno tantummodo is qui sui iuris fit, capite minuitur, id est, emancipatione. quod ipse in libello Vlpiani latiùs executus sum. D

Nam si maxima.] Maxima & media similis est morti, atque ideo vt mors, ita ius sanguinis vtraq; minutio perimit. Igitur mater mea mihi mater esse desinit me seruo aut peregrino effecto. l. 2. §. 1. D. ad Tertyl.

DE LEGITIMA PATRONORVM TVTELA.

Per interpretationem.] Scilicet legis XII. tab.

Veteres.] Sex Ælius, L. Atilius, P. Ælius. E

DE LEGITIMA PARENTVM TVTELA.

Recepta est & alia tutela quæ & ipsa legitima.] Immò fiduciaria: sed moribus receptũ est, vt legitima vocetur. quod etiam nos ad Vlpianum latiùs executi sumus: igitur legitima tutela, vel lege, vel interpretatione, vel moribus inducta est.

DE FIDVCIARIA TVTELA.

Nam si pater.] Legendum, *parens*, auctoribus lib. vet.

Si liberi eius.] Liberi sui, liberis item suis mortuo parente legitimi, liberis emancipatis, fiduciarij sunt tutores: liberi emancipati, liberis suis ipso iure tutores non sunt, ex Anastasij constitutione fratres emancipati & patrui, legitimi sunt tutores. quod & ad patrem emancipatum trahi oportet. Liberi autem emancipati liberis emancipatis fiduciarij sunt tutores. Ergo liberi sui aut emancipati liberorum emancipatorum fiduciarij sunt tutores. F

Et ceterorum.] Filiorum scilicet vel filiarum fratris. Igitur pater filio vel filiæ, frater fratri vel sorori, patruus filio vel filiæ fratris tutor est fiduciarius. eodemque modo auus nepoti, patruelis patrueli, propior sobrino propiori sobrino, patruus magnus nepoti fratris tutor esse fiduciarius potest.

Quoniam filius.] Hæc ratio ex aui & patris parte quasi claudicat. igitur recta non est: quod & ipse ad Vlpianum demonstraui.

Ita tamen hi.] *Hi*, id est, liberi manumissorum. G

Quod nostra constitutio.] Igitur quod de perfecta ætate in l. tutela. D. de tutel. l. quo defuncto. l. si reliquero. D. de legit. tut. ab Triboniano est, non ab ipsis auctoribus. namque olim ita ius fuit, vt minores XXV. annis legitimi & datiui tutores fierent. ceterùm datiui ad tempus excusabantur.

A bantur.§.Item maior.j̃.de exc.tut.l.ȣ̓ μόνον.§.ἐὰν ἀπελεύθερος. D. eod.& in eorum locum curator dabatur,non tutor.nec enim ipsi tutores esse desinebant.l.xvi.D.de tut. & cur. da. Testamẽto autem dati,tutores non fiebant ante legitimam ætatem.§.furiosus.s̃.qui testa.l. quæro.§.vltim.D.de testa. tut.proinde cùm similes ij essent ex die datis tutoribus, in eorum locum non curator modò, vt est in §.ἐὰν ἀπελεύθερος,sed etiam tutor dari poterat.§.1.j̃.tit.prox.

DE ATILIANO TVTORE, ET EO QVI EX LEGE IVLIA ET TITIA DABATVR.

Maiore parte Tribunorum.] L. Minutio & M. Horatio Puluillo Coss. x. creati sunt Tribuni plebis: itaque cautum est vt postea crearentur T. Liuio auctore. Maiore igitur parte, id est,
B sex Tribunis.

Qui desinebat esse tutor.] Immò & deserto testamẽto, & deficiente condicione desinebat esse tutor.ceterùm hoc casu legitimus tutor illi succedebat,illo testamentarius.

Tutore capto.] Testamentario vel legitimo.

Qui desinebat.] Desinebat & is tutor esse tutore non reuerso.Ceterùm non reuerso tutore testamentario,illi legitimus succedebat:non reuerso tutore legitimo,sequens succedebat.

Ex constitutionibus.] Ex eis verò constitutionibus tutores cauere compelluntur. §. pen.j̃. de sat.tut.& administrare.l.1.D.de admin.tut.l.3.C.de susp.tut.l.1.C.in quib. caus. tut. hab. vt ex cautione teneantur.l.non quasi.§.illud sciendum.D.rem pup.sal.fo.

Neque de cautione.] Sed neq; de inquisitione quæ pro vinculo cautionis cedit.

C Vel magistratus.] Duumuiri. His etiam iniussu præsidis datum initio fuit ius dandi tutoris.l.3.D.de tut.& cur. dat. Sed hoc iure vtimur, inquit Iustinianus, vt ne aliter possint Duumuiri tutores dare, quàm si præsides iubeant. quod & circa defensores plebis per omnia præsides vsurpasse idem Iustin.scribit in No. xv.

Vsque ad quingentos.] Quòd si valeant vltra,à præsidibus nimirum dabitur tutor.

DE AVCTORITATE TVTORVM.

Nec ullum.] Vet.libri, *& nullum.*

In ipso negotio.] In ipso articulo.

Iudicio.] Vet. *Iudicium.*

D Sed curator.] Id moribus receptum erat hoc casu vt tutorem habenti daretur tutor, auctore Vlpiano in fragmentis. hodie quia sollemnia iudicia non sunt, in locum prætorij tutoris curator adhibetur.

QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR.

Ex habitu corporis.] Vet.quidam: *ex habitudine corporis in masculis æstimare solebant.*

Existimans.] Abest à lib.vet.

Legitima tantùm tutela.] Agnatorum scilicet, non patronorum:quod nos in notis ad Vlpianum satis diligenter exposuimus.

E

DE CVRATORIBVS.

Quid.cod. *De curatoribus dandis, vel confirmandis.*

Vsque ad XXV.] Femina citius quàm mas tutela liberatur, citius impetrat veniam ætatis: & vt Aristoteles scribit lib.vii. περὶ ζώων ἱστορίας. θᾶττον τὰ θήλεα τῶν ἀρρένων καὶ νεότητα, καὶ ἀκμὴν λαμβάνει, καὶ γῆρας. Curatione tamen citius non liberatur. quinimmo in perpetua olim tutela femina continebatur.

Sed curator testamento non datur.] Quia nulla id lege nominatim permittitur.Lege verò xii.tab.permittitur parenti tutorem,non etiam curatorem dare.

Sed solent.] Iam igitur non sunt legitimi,sed honorarij dumtaxat curatores.l.1.l. Obseruare.l. sæpe.D.de cur.fur.

F Interdum autem.] Tutorem habenti tutor non datur:Tutorem habenti causa cognita, curator datur:denique curatorem habenti,causa cognita, curator datur. l.curatorem. C. qui da. tut. vel cur.l.ventri.D.de tut.& cur.da. Prima regula non est perpetua: nam tutorem habenti certis ex causis (vt ait l.4.C.in quib.caus.tut.hab.tutor vel cur.det.) alius idoneus substitui sententia competentis iudicis solet, id est, in locum suspecti qui conuictus ac remotus est, & in locum excusati: & hoc quidem S.C. introductum est,cùm ex pluribus tutoribus vnus aut remouetur aut excusatur in perpetuum.l.si quis sub condic.D.de test.tut.sequitur in d.l.4. vel defuncti vel relegati tutoris. & hoc etiam S.C. inductum est.d.l.si quis sub condic.Relegati,id est,deportati.In eius autem locum qui relegatus est salua ciuitate curator datur non tutor.l. quòd si fortè. §. quid ergo. D. de solut. Hoc amplius in locum furiosi,surdi,muti tutoris legitimi,ex S.C. Alius tutor datur.l.penult.D. de
G tutel.est & alius casus in l.cùm in vna.§.1. D. de appellat.& alius in l.si quis tutor.D.de tutel.& alius in tit.de auct.tut.s̃.

Quem uelit actorem.] Ex eadem causa curator vel actor vel adiutor dari potest: vt ecce in relegati tutoris locum vel curator,quemadmodum superius dictum est,vel actor.l.siue.§.vlt. D. de adm. tut. sic in locum minus idonei tutoris vel curator datur. §. interdum. s̃. vel actor vel adiutor.

Curat

Curatoré eligit magiſtratus : Actorem , Adiutorem Tutor. Actor ad agendum à tutore vel à cura- A
tore conſtituitur.l.1.C.de act. à tut. ſeu cur. dan.l.ſi actor.C.de appellat.l. tutor, D. quan.ex fac.tut.l.
actor.D.rem rat.hab.quia enim ab eis procurator conſtitui non poteſt,propterea quòd domini nõ
ſunt,ideo hoc eis datum eſt,vt quotiens abſuturi eſſent vel aliâs impedirentur,decreto Prætoris vel
Præſidis actorem darent.Adiutor ad alia tutelæ munia deligitur.l.ſolet.D.de tutel.qui ab Conſtan-
tino *βοηθὸς* dicitur.Sudas.*Λιύτωρ παρὰ ῥωμαίοις, βοηθὸς*:vbi legendum *αἰύτωρ*.

Vel abſit uel infans ſit.] Etenim ſi præſto ſit & fari poſsit , commodiſsimum erit eum ſibi
procuratorem tutore auctore conſtituere.l.neque.C.de procurat.l.cùm minores.C.ſi adrem iud.

Quem uelit.] Rectè , *quem velit*. & ideo ſæpe is à tutore dari , conſtitui , ordinari dicitur in
libris noſtris.

Decreto.] Valde nouum eſt,vt qui procuratorem dare non poteſt,actorem conſtituat.ideoq; B
decreto eſt opus.

DE SATISDATIONE TVTORVM ET CVRATORVM.

Curet Prætor.] Sic omnes vet.lib. non, *curat*. & hoc ſanè ius non ex edicto Prætoris manat,
ſed ex conſtitutionibus.§.ſed ex his.ſ. de At.tut. Cautio præſtatur ex conſtitutionibus:Prouocatio
fit ex edicto Prætoris. Cautionem præſtant qui cauere debent:Prouocant ad cautionem qui caue-
re non debent.Actio ſubſidiaria datur ex Oratione D. Traiani aduerſus eos, qui cautionem acce-
perunt,& ex conſtitutionibus in heredes eorum.

Sed hi tantummodo.] In prouinciis duumuiri aut defenſores:In vrbe, ſcriba,aut is quẽ Præ- C
tor in hoc delegauerit.l.2.& 3.D.rem pup.ſal.fo.l.vlt.C.de mag.conuen.

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM ET CVRATORVM.

Exemplo ceterorum munerum.] Numerus trium liberorum excuſat à legationibus.l.1. C.
de legation.A ceteris muneribus perſonalibus, numerus quinq; : Ab omnibus muneribus nume-
rus XVI.l.ſemper.D.de iu.immun.ac legendũ omnino eſt in l.ſi quis decurio.C.de decur.non XIII.
ſed XVI. liberorum. Conſtantinus rectè in hunc modum, *ὁ ἔχων δεκαὲξ παῖδας, πάντων λειτουργημά-
των ἀπαλλάττεται*.

Publicum munus eſſe.] Tutelam eſſe publicum vel ciuile munus nemo eſt qui neſciat:ne- D
que video qua in re ab hac ſententia diſcrepat l.*ἐὰν δύο*. §. tutela.D.de tutel.at exiſtimo tamen ſpu-
rium eſſe.§.tutela.nec enim ſolet Modeſtinus Græco cõtextui Latinas,niſi ex aliis auctoribus, ſen-
tentias inſerere.nullum verò auctorem habet §. tutela. denique eo ſermone contextus eſt, qui no-
ſtris auctoribus non eſt in vſu:nec enim prouincialis muneris vſquam fit mentio,nec Reip.munus
à ciuili munere quaſi diuerſum vſquam ſecernitur.

In ſemeſtribus.] An exemplo D. Auguſti & Tiberij inibat D. Marcus concilia ſemeſtria ? De
Auguſto ita Xiphilinus ſcribit, *καὶ πεντεκαίδεκα τῶν βουλευτῶν τοὺς κλήρῳ λαχόντας συμβούλους ἐς ἑξάμη-
νον παρελάμβανε, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ ἐδίκαζε μετ᾽ αὐτῶν*. pariter & de Tiberio. De Auguſto itidem Sueto-
nius Tranquillus.

Et interea curator.] Immò tutor.l.quæſitum. D. de tutel.niſi dicamus,vti vulgus ſolet tuto- E
ris & curatoris abuti nominibus,ita Paulo quæſtionem fuiſſe propoſitam,rectè autem Paulum non
de tutoribus, ſed de curatoribus reſpondiſſe, quemadmodum apparet ex l.curatorem.D.de tut. &
cur. da. quæ ex eodẽ ſumpta eſt libro,pariq; errore is qui abſuturus erat Reip.cauſa,deſiderabat tu-
torem in locum ſuum dari in l.3.§.ſi quis abſuturus.D. de ſuſp.tut.& in l. IX. D. de tut.& rat. diſtr.
Vlp.Tutelę obiter dixit pro Curationis.vt in l.ne lucrum.C.de cur.fur.Is enim qui Reip.cauſa abeſt,
cùm non deſinat eſſe tutor,in eius locum tutor ſubſtitui non poteſt.

Pupillorum tutela uel cura eorundem.] Bene expreſsit tutelæ & curæ differentiam. Tu-
tela eſt perſonarum,Cura bonorum.

Inimicitiæ.] Qui poſt ſuſceptas inimicitias teſtamento tutor datus eſt,ſe excuſare non poteſt:
quandoquidem hoc ipſò gratię videtur facta reconciliatio,niſi,vt plerumq; fit,pater ideo inimicum F
tutorem dederit, vt moleſtum ei & operoſum negotium exhiberet. A ceteris tutelis inimicitiæ ca-
pitales excuſant,dum tamen facta non ſit reconciliatio.

Item maior LXX.] A patrimonialibus muneribus,à mixtis,ab honoribus ætas non excuſat.
Ab honore decurionatus ætas LV. annorum excuſat. A muneribus perſonalibus ætas LXX. & , vt
in lib. x. Cod. latiùs exponemus , vulgò perperam legitur. LV. pro LXX. in l. 3. C. qui æta. ſe excu.
hæc enim quæ poſuimus omnia *θετικὰ* ſunt rata & firma.

Cùm ſit inciuile.] Vet. *cùm erat. Cùm* pro *quia*.

Et ab aliis.] Vet. *& ſub alijs*.

Has artes exercent.] Vet. *id exercent*.

Se eſſe tutores uel curatores.] Duo verba vltima non ſunt in vet.libris. G

DE SVSPECTIS TVTORIBVS ET CVRATORIBVS.

Pietatis neceſsitudine.] Quid.cod. *pietate neceſſitudinis*.

Et

A **Et auia.**] Vet. *& auia possunt. potest & soror.*

Posteáque tutor uel curator decesserit.] Idem iuris est, si quouis alio modo finita tutela fuerit.l.pen.D.eod.tunc enim aduersus tutorem sufficit tutelæ actio, quæ famosa est æquè ac suspecti actio ob dolum secuta condemnatione. Suspecti agimus pendente administratione tutelæ: quia interim tutelæ agi non potest. Actione autem suspecti, id solùm intendimus, vt tutor remoueatur, quo finita hoc modo tutela, deinde tutelæ eum actione conueniamus, qui non ex fide bona tutelam gesit. Alio igitur modo finita tutela, quàm remotione suspecti, quid opus est vel suspecti agere, vel suspecti actionem peragere?

In possesionem bonorum.] Ideo mittitur in possesionem, quia tutor latitat, & in eum ob hanc causam, remotum tutelæ agi vix potest.

B **Ergo ut suspectus.**] Bene, *ergo:* nam si non potest remoueri, non est cur pupillus mittatur in possesionem, aut bonis tutoris curator detur.

Qui data pecunia ministerium tutelæ adquisierit uel redemerit.] Hæc verba, *adquisierit vel,* absunt à vet. lib. Reliqua autem sic meo iudicio restituenda sunt, *Data pecunia ministeriis, tutelam redemerit,* vt in l. 3. §. tutor. D. eod. titul. *Ministeriis* autem, id est, Officialibus & ministris Prætoris, per quos fit inquisitio.

Qui fraudulenter tutelam.] In vet. additur, *vel curam.*

Suspectum eum.] Vet. *suspectum enim eum.*

Fidelis tamen & diligens.] Quia non tantùm fides, sed etiam diligentia à tutore exigitur, deoq; dolum & culpam præstat.

C

AD LIB. II. INSTITVTIONVM DN. IVSTINIANI,

DE RERVM DIVISIONE.

In nostro patrimonio.] Patrimonium bona paterna significat: matrimonium bona materna. Seneca lib. I. de benefi. cap. III. quia latè patentis matrimonij sit &c. qui tamen locus ab Erasmo deprauatus est. nam & apud Suet. Tranquillum, & Val. Maximum ita matrimonium accipi alij qui- Seneca Locus

D dam adnotarunt. Hoc autem in loco *In patrimonio,* id est, in bonis. Seruitutes proprie ex bonis nō sunt. l. I. D. de vsufr. leg. at quia certè non sunt etiam omnino extra bona, magis est vt bonis adnumerentur: Igitur non ea tantùm quæ sunt, sed etiam quæ intelleguntur, id est, incorporalia in bonis nostris computantur.

Aqua profluens.] Aqua non profluens, iure gentium communis non est.

Accedere.] Non piscandi tantùm, sed etiam ædificandi, occupandi, vsurpandi causa. l. quod in litore. D. de adquir. re. do. l. in litore. D. ne quid in lo. pub. nam communium rerum proprietas omnibus patet: ideoque & in mari constructa ædificia, moles pilæ've iactæ eius sunt qui iecit. l. 2. §. aduersus. l. litora. D. ne quid in lo. pub. l. quamuis. l. ergo. §. vltim. D. de adquir. re. do. l. I. §. quòd si quis. de no. op. nunt.

E **Et portus publica sunt.**] Publica iurisgentium vsu. l. adeo. §. quod si toto. D. de adq. re. do. l. fluminum. D. de dam. inf. Proprietate autem publica sunt iuris ciuilis; nam fluminum & portuum proprietas, est populi, nec omnibus æquè patet vt rerum communium proprietas. riparum autem proprietas, est priuatorum, qui proximè prædia posident. Igitur publica, vsu sunt communia, proprietate non item. Id tamen notandum est, flumen & aquam profluentem, intellectu ita discernēda esse, vt sit flumen, publicum nomen: aqua, commune.

Publicus est iuregentium.] Libri scripti habent *iurisgentium* vt l. adeo. §. quod si toto. de adq. re. do. l. vlt. de vsurp. & vsuc. & §. prox.

Religare.] In l. riparum. D. de re. diuis. malè additur. *retia siccare, & ex mari reducere:* rectiusq; hoc in titulo sunt hæc verba translata ad litorum vsum.

F **Litorum quoque usus publicus est & iurisgentium.**] Legendum, *publicus est iurisgentium,* vt iam antè demonstraui.

Casam ibi ponere.] In tantum vt soli dominus constituatur. l. in tantum. D. de re. diuis. Vt verò ædificium ponat in litore ideo fit, quia litoris vsus publicus est iurisgentium. Vt positum ædificium sibi habeat, ideo quia litus est commune. In ripis posita ædificia solo cedunt, non ædificanti: In flumine, populo: nisi publicè, id est, ritè & cōsensu populi vel principis imposita sint. l. fluminum. D. de dam. inf. Ex his apparet, publica à communibus proprietate tantùm distare, non vsu. vsus maris, litoris, fluminis, ripæ publicus est iurisgentium. Mare, litus, commune: eius namque proprietas omnibus patet: flumen, publicum iure ciuili. ripa, priuata. & ita Ioanni etiam videtur antiquisimo iuris interpreti.

G **Vniuersitatis.**] Hæc sunt vniuersitatis & vsu & proprietate.

Sacræ res.] Quidam cod. *Sed sacra sunt quæ ritè & per Pontifices Deo consecrata sunt.*

Papinianus rescripsit.] Hoc verbo significatur liber responsorum, vt in l. ex contractu. D. de re iud. rescripsit dandam in eos actionem. Est etiam hæc sententia Papiniani ex lib. responsorum. l. æde. D. de contr. emp.

Nisi

Nisi consentiente usufructuario.] At cur consentiente vsufructuario seruitutem dominus A
imponere non potest? An quia dari hoc domino non potest adhibito consensu fructuarij, quin & fructuario datum videatur, cuius potissimùm interest, seruitutẽ nõ imponi, ex qua deterior fiat vsusfructus causa. Atque ita dominus & fructuarius sibi inuicem obstant, vt nec soli per se, nec simul seruitutem prædio fructuario imponere possint. l. sed & si quid. §. vlt. D. de vsufr.

Quam illatus est mortuus.] In lib. scriptis adduntur hæc, *sine voluntate eius*: quæ siue auctoris sunt, siue interpretis, meo iudicio recta sunt, & rati habitionem illatione posteriorem esse indicant.

Ciuitatis.] Abest à lib. vet. vt & in l. 1. D. de diuisi re.

Et pisces & omnia.] Legendum, *id est omnia.*

Iure gentium statim illius esse incipiunt.] Nam hæc quoq; iure gentium communia sunt. B
l. quod in litore. D. de adq. re. do.

Si quos effecerint.] Legendum, *si quos ea fecerint*: eos autem eximere, & mel capere quilibet potest citra furti crimen.

Præterea quod per alluuionem.] In occupatoriis agris, vel arcifiniis, Ius alluuionis locum habet, non etiam in diuisis & assignatis: nam hi certa mensura continentur: illi etsi finibus distincti sint, certa tamen mensura non continentur. l. in agris. D. de adq. re. do. eademq; ratione in his Ius subseciuorum interuenit, in illis non item. Qua autem ratione non est Ius alluuionis in agris limitatis, eadem quoq; in lacubus & stagnis alluuio cessat: nam vt ait l. lacus. D. eod. titul. licet interdum crescant, interdũ decrescant (sic enim lego vt in l. vicinis. de aqua & aq. pl.) suos tamen terminos retinent. C

Quod si uis.] Torrentia flumina, aut ex vna parte terras abstrahunt, quas in contrariam transferant, id quod vel alluuione fit, vel vi maiore: aut alueum mutant: aut per circumluuionem insulas efficiunt: aut etiam latè agros inundant, ac tum ex iure quid statuendum sit, diligenter hoc in loco Iustin. exequitur. Apparet autem, aut censitores vel agrimẽsores fluminum vice, aut hæc illorum vice, ex publico in priuatum, & ex priuato in publicum, & ex vno in alium addicere. l. ergo. §. flumina. D. de adq. re. do. Cassiod. lib. III. Var. Agrimensor, inquit, more vastissimi fluminis, aliis spatia tollit, aliis rura concedit: nec erit alienum id etiam ex Alexiade ea confirmare, quam tu P. Faber, me auctore, in manibus habes, vt emendatam omni ex parte, quamprimum in lucem emittas: in qua sic de vi atq; impetu vastorum fluminum Anna differit Imperatoris Alexij filia, πάσχουσι δ' οἱ μέγιστοι τῶν ποταμῶν τοιοῦτόν τι, ἐπειδὰν διὰ τῆς προχώσεως ἀναστήματι ἀξιόλογον ἐπιφορήσωσι γῆς· τότε δὴ ἐπὶ τὰ κατάῤῥοπα ῥέουσιν, ὥσπερ δὴ μεταμείβοντες τὰς πρώτας κοίτας αὐτῶν, καὶ τὴν μὲν παλαιὰν καταλιμπάνουσι πάροδον διάκενον ὑγροῦ, τὴν χηρεύουσαν ὕδατος· ἣν δὲ νῦν διοδεύουσιν, ἐμπιπλῶσι ῥευμάτων πολλῶν. D
Quod & de Mæandro, quem idem auctor tuus σκολιώτατον ποταμῶν ἁπάντων καὶ καμπὰς συνεχεῖς ποιούμενον lib. XIIII. appellat, Strabo in hunc modum extulit lib. XII. ὁ Μαίανδρος διὰ τοῦτο σκολιὸς ὅτι πολλὰς μεταπτώσεις λαμβάνει τὸ ῥεῖθρον καὶ πολὺν χοῦν κατάγων, ἄλλοτ' ἄλλῳ μέρει τῶν αἰγιαλῶν προστίθησι.

Prope ripam prædia possident.] Qui prope ripam prædia possident, ripæ sunt domini, & insulæ natæ in flumine, & ædificij ibidem constructi, & aluei derelicti.

Rursus nouus alueus.] Ergo aluei mutatione dominium amissum non restituitur, Inundatione amissum restituitur. l. si ager. l. cùm vsumfr. D. quib. mod. vsusfr. amit. sunt qui hac in re putant l. Martius. & l. ergo. §. alluuio. D. de adq. re. do. inter se discordare. Id secùs est: nam l. Martius, est de aluei mutatione. §. Alluuio, de inundatione. E

Sabinianorum & Proculianorum.] Hi speciem, illi materiã spectant. Est verò harum familiarum hac in re dissidentium inter se vestigium in l. Minicius. D. de rei vind. quæ lex nauem ædificatam ex aliena materia negat ædificantis esse: sed Minicius & Iulianus Sabiniani fuere. Vt autem eæ familiæ proseminatæ sint, nemo est qui nesciat. Id nondum quisquam animaduertit in l. 1. D. rer. amot. inuerso ordine permixtisq; familiis iurisconsultorum legi, Nerua & Cassio: Sabino & Proculo, quod sanè emendatione indiget.

Et quibusque aliis possessoribus.] Quia res extincta est, ideo quibusque æstimatio eius rectè condicitur: nec enim quod extinctum est, meum est. Porrò extinctum videtur, quod accessionis loco alienæ rei cohæret, atque adeo vindicari non potest, condici potest: potest & ad exhibendum agi. F

Si duorum materiæ.] Confusio, aut permixtione fit, aut ferruminatione. Illa communionem ita demum inducit, si difficilis fit materiæ separatio: ferruminatio non inducit communionẽ: plumbatura multominus, nec enim plumbatura confusionem facit. Ceterùm si quid per applumbaturã rei alienæ accedat, ad exhibendum est actio: quia facilè replumbari potest. Est & condictio, vti dictũ est in §. si tamen alienam: vindicatio non est. Si per ferruminationem, non est ad exhibendũ actio, quia referruminari vix potest: est tamẽ condictio. est & in factum actio. l. in rem. §. item quæcumq;. D. de rei vind. id est, vtilis vindicatio. Cùm verò alia aliis per plumbaturam vel ferruminationem nõ accedũt, sua cuiusq; res manet. l. quidquid. D. de adq. re. do. ideoq; integra est vnicuiq; in rem actio: & hic igitur est actionum ordo, Vindicatio, Ad exhibendum, In factum. G

Solo inædificatur.] Non est, *solo*, in lib. vet. sed & in §. quod si partim. §. non est, *miscuerit*. & in §. si tamen, ita legitur, *siue ipse fur est qui vest. fecit.* & in §. cùm ex aliena, *ad rudem massam æris vel arg. vel aur. red. Vin autem aut oleum*: quæ non adeò magni momenti sunt, vt salua fide præteriri non potuerint.

Ne

A Ne quis tignum.] Aut sciens tignum alienum vineis vel ędibus iunxit, aut ignorans: si sciens, in duplum tenetur: præter duplum est etiam ad exhibendum actio vel vindicatio, quasi dolo desierit possidere. & hoc aperte traditur in l.1.§.vlt. & l.2.D.de tig.iunc. ignorans, nec vindicatione tenetur, nec ad exhibendum actione. namque in eo cessat ille color, quasi dolo desierit possidere. sed in duplum tenetur pro tigni pretio. in illo, legitima actio pœnalis est: in hoc, pœnalis esse non videtur. An & qui sciens sciente domino iunxit, ita vti dictum est tenetur? Minimè gentium: quinimmo hoc casu cessat lex XII. tab. & ad exhibendum competit actio, vt soluta tigna vindicentur. l. de eo. D.de donat.int.vir.& vxo. Est ipso iure & omni casu ad exhibendum actio ac vindicatio: idq; scientes Decemuiri, tigna solui prohibuerunt ignorante domino inclusa, & dupli actionem pro tignis constituerunt. l.qui res.in fi.D.de solut.

B Per exceptionem doli.] Et hac quidem via seruantur impensæ, non per actionem. l. Paulus. D.de exc.do. l.2.C. Greg. de rei vind. sed tamen si per errorem sine deductione fundum restituerit, incerti condictio est, id est, possessionis, vt in l.qui except. §. si pars. D. de cond. ind. l. heres. D. ad Trebel. Certi condictio non est: de qua accipienda est l.si in area. D.de cond. ind. namque ait ideo condictionem non competere, quòd res facta accipientis non fuerit. quæ ratio non excludit condictionem incerti. De condictione certi accipienda etiam est l.ex quibus. eod. tit. & de retentione facti non iuris: nam ex quibus causis retentionem ipso iure habemus, petitionem non habemus, ea si soluerimus, certi condictio est. l.seruus quem. D.de act.emp. l.quod dicitur. §. vltim. D.de imp. in res dot. At vbi retentionem eam in qua factum versatur, habemus, & condictionem retentionis habemus. Vbi petitionem non habemus, nec repetitionem habemus, id est, certi con-

C dictionem.

Eius permanet cuius fuerat.] Ideoq; directo vindicari potest: superiore casu vtiliter.

Prope confinium.] In confinio, ἐν τοῖς ὅροις. ideoque cùm dixisset Gaius in l. adeo. in fin. D.de adquir.re. do. prope confinium, subintulit Marcianus in l. prox. *Sed etsi in confinio lapis nascatur, & sint pro diuiso*, sic enim legendum est, vt referatur sententia l. arbor. D. com. diuid. & l. pen. D. pro soc. Sed de arboribus in confinio positis videamus. Est, inquit Frontinus de limit. agr. controuersiæ genus de arborum fructibus quæ in fine sunt siue intra, nec vllam ad radicem habent controuersiam, quotiens inclinatæ in alterutrum fructum iactauerint, inter affines mouent disputationem. Est igitur vel de radice controuersia vel de glande legenda. Controuersia radicis ita iure nostro definitur, si ex vtraque parte arbor in fine posita radices egerit, communis est: quæ non

D est posita in fine, etsi vtrinque radices egerit, communis non est. l. si plures. D. arbor. fur. cæs. l. vltim. D. quod vi aut clam. at quæ omnes radices in vicini fundum egit, omnes inquam radices, propria eius partis est in qua alitur, non in qua oritur & hæc vetus est lex. Theophylactus Scholasticus epist.56. αἱ συκαῖ σε πρὸς τὸ ἐμὸν γήδιον τὰς ῥίζας ἥπλωσαν &c. De controuersia iactati fructus vel glandis legendæ, nihil attinet in hoc loco disputare.

Aliis uidetur picturam.] Nempe Paulo in l. in rem. §. sed & id quod. D. de rei vind. Gaio idem iudicium nō est: l.qua ratione. D.de adq. re do. Obiicies lib. II. Instit. Gaio idem videri quod Paulo. eodem in libro Gaius in quæstione speciei factæ ex aliena materia, Sabinianus est, cùm tamen iam antè ex eo mediam quandam sententiam Iustinianus retulerit. Non est is liber Gaij purus, putus. nam immutata, addita, detracta, deprauata sunt multa Gotthorum arbitrio, à quibus ea qua-

E liacumq; fragmenta veteris prudentiæ accepimus: suntq; puriora multo fragmenta Pandectarum, in quibus tamen ingentia flagitia Tribonianum admisisse constat: detortis sæpe exempli gratia, Vlpiani verbis in sententiam Iustiniani, atque in ius id quo tum vtebantur, non secùs atq; Gotthi qui ex moribus & legibus suis in Gaio & Paulo pleraq; commutarunt.

Illud enim.] Malim, *illud autem.*

Pro cultura & cura.] Plus est cura quàm cultura: nam & fructus pecorum curari dicuntur. l.fructus. §.non solùm. sol.mat. Bene autem, pro *cultura & cura*: nam fructus, qui per se nascuntur, bonæ fidei possessoris non sunt. l.fructus. de vsur. Interim quidem sunt eius. l.bonæ fidei. de adquir. re.do. id est, quamdiu res euicta nō fuerit. Re euicta nisi eos vsuceperit, eorum nomine tenetur. Sic ab eo tempore fructus percepti quo possessor cognouit rem alienam esse, eius interim sunt. l. qui

F scit. §.vlt. de vsur. at si exitum finemq; iudicij inspicias, eius nō sunt, quem Pomponius in vtraq; specie potissimùm inspexit. l.fructus. l.bonæ fidei. §.Pomp. verendum.

Idemque statuit.] Idem Hadrianus. fratres Imperatores contrà, sic paulò post, concessit: idem scilicet Hadrianus. Grat. Valent. & Theodosius contra.

Vel publico uel ciuitatis.] Superest, *vel ciuitatis*, nam mox sequitur, & dimidium fisci vel ciuitatis. Publico igitur, id est, P.R. vel ciuitatum.

Itaque stipendiaria.] Hæc prædia & priuata dicuntur, & publica, quod auctore Aggeno Vrbico dum priuatus laborat in proprio, & tributum aut stipendium publico, & sibi alimoniam arua excolendo procurat. Italica prædia tributaria aut stipendiaria non sunt. igitur publica non sunt. hæc mancipi sunt, illa nec mancipi. sed hæc posterior differētia sublata est à Iustiniano: id tamen notan-

G dum est, impetrato iure soli Italici, prouincialia ętiam prædia publica non ęssę.

Quod quamquam cauetur.] Vet. *quod cauetur quidem.*

Cui eius rei possessio permissa sit.] Abesse hæc debent: auctore Theophilo & Gaio.

Si cui libera.] Hic alienare ita demum potest, si id exigat negotiorum administratio: non donandi, non deminuendi causa. deniq; eadē lege transigere potest. l.mandato. D.de procurat. vbi pro

 decid

decidendi, affirmo legendum, *deminuendi*: vt in l. Lucius. §. vlt. D. de adm. tut. A

DE REBVS CORPORALIBVS ET INCORPORALIBVS.

Quæ in iure consistunt.] In iure, non in corpore: hoc est iura. l. & habet. 1. D. de prec. l. Mæuius. §. fundo. de leg. 2. l. vlt. in fin. C. de præsc. long. temp. Iura talia sunt: seruitus, hereditas, dos, peculium, possesio, obligatio: nam hæc omnia iuris nomina sunt. Hereditas igitur non est pecunia, sed succesio. l. nihil. de verb. sign. id est, ius succesionis. l. bonorum. 2. eod. Ait verò qualia sunt ea, quæ in iure consistunt: nec enim docet quot sint genera rerum incorporalium, sed qualia. nummi, iura non sunt: res tamen incorporaleis sunt, siquidem is qui nummos debet, quantitatem debet, non corpora. l. qui heredis. D. de cond. ind. l. si is cui nummos. de solut. quæ lex citatur in l. nam etsi fur. §. vlt. de reb. cred. B

Nam ipsum ius.] *Nam* pro *sed*, vt in l. Inter stip. §. sacram. de verb. oblig. l. Stichum. §. vsumfr. de solut. vt etiam Accursius refert.

DE SERVITVTIBVS.

Non etiam iumentum agere.] Iumento vehi potest, iumentum agere non potest. Iter est quâ homines: actus quâ pecora transeunt.

Nam iter & actum.] Qui actum habet, actum vindicat, non iter & actum. Qui viam habet, aut viam vindicat, aut iter simul & actum. Viæ latitudo legitima est, idq; non iuris nostri auctores solùm tradidere, sed Varro lib. VI de ling. lat. Actus latitudo non est legitima. Via est quâ vehiculum & iumentum ire potest. Actus est etiam quâ vehiculum duci non potest, modò si iumẽtum agi potest. l. si tam. D. de seruit. ponitur & alia differentia in l. qui sella. D. de ser. rust. via autem per latitudinem diuisa, efficit duas semitas. l. nam satis. D. quemadm. ser. amit. C

Quoniam ædificia.] In distinctione vrbanorum & rusticorum prædiorum, inter Neratium & ceteros Iurisconsultos non cõuenit. Neratius ea loco distinguit. l. 2. D. de ser. rust. l. eo iure. D. in quib. cauf. pign. Ceteri qualitate: & horum quidem sententia obtinuit etiam in familia. Vrbana enim familia à rustica, opere separatur, non loco: & in eam rem vulgò cùm quæri & inspici soleat l. vrbana familia. D. de verbor. signific. miror quòd nondum quisquam eius menda deprehenderit. In primis lex ait familiam loco non distingui, sed genere operis, tum ita fieri, vt dispensator in vrbanis non sit, si rerum rusticarum rationes dispenset, ibique habitet. Hæc videntur esse contraria, nam si id exigimus, vt is dispensator ibi habitet, id est ruri, certè non tam ex genere quàm etiam ex loco rusticum mancipium definimus. At legendum est *vbique habitet*, id est, vbicumq; , vt in l. quod nisi fiat. in fi. D. de op. lib. l. In lege. D. de contr. emp. Deinde ait lex, *quo quisque loco seruus fuerit ex numero familiæ, apparere & vicarijs. Ex numero*, id est, ex libellis & veluti matricula familiæ. At quomodo ex vicariis? legendum *ciuarijs*, vt in l. seruis. D. de legat. 3. Inuerso ordine litterarum multa scripta sunt in P. Flor. vt domus pro modus, iurnæ pro ruinæ: & eo in loco *vicarijs* pro *ciuarijs*. Et hinc existunt errores multi in libris nostris. D

Vel non recipiat.] Aut stillicidium meo iure non recipio, aut iure seruitutis. Meo iure, si non vicino cessero ius stillicidij immittendi: Iure seruitutis, si vicino iam antè cessero ius stillicidij immittendi. Eodemq; prorsus modo, aut iure meo ædes altiùs tollo, aut iure seruitutis. qua de re viderimus in §. æquè. de act. E

DE VSVFRVCTV.

Est autem ius.] Vet. *est enim ius.*

Quibus proxima.] Similis & affinis.

Vtiliter caueatur.] Gaius rectè in l. 2. D. de vsufr. ea. rer. Rectè autem & vtiliter. i. satisdato.

Maxima & media.] in l. 1. D. de vsufr. leg. hæc verba, *ex magna causa*, sunt Triboniani. Nam ante Iustinianum etiam minima capitis deminutio vsumfructum extinguebat.

Per modum & tempus.] Si fructuarius per constitutum tempus nullo modo vtatur, vel etiam si vtatur contra præscriptum modum, vtroq; casu non vtendo vsumfr. amissum dicemus. arg. est l. si communem. §. 1. & l. si quis alia. D. quemad. ser. amitt. F

Nihil agetur.] Hæc verba vti sint accipienda ostendi in frag. Vlp. titul. XVIII. quod ne nouum videatur, coniungenda erit l. per seruum. §. vltim. D. de adquir. re. do. cum l. qui mihi. D. de donat.

Consolidatio.] Consolidatio inde nomen accipit, quòd solidum id proprie fit, à quo vsusfr. deductus non est. l. à liberto. D. de bon. lib. l. Sempronius. §. pen. D. de vsufr. leg.

DE VSV ET HABITATIONE.

Ad usum quotidianum.] His omnibus cùm vtatur, miror cur dixerit Nerua eum foliis non vsurum. l. plenum. D. eod. forsitan legendum, *oleis*. P. Victorius penè simili in re apud Varronem demonstrauit pro *oleis* legendum esse *dolijs*. G

Cùm is qui usumfr.] Quæro cùm vsusfruct. extraneo vendi, locari, donari, commodari, precario concedi, obligari posit, cur etiam eidem in iure cedi non posit? An quia cedere in iure, est ad sellam prætoris id à se ius totum abiudicare: at locare aut vendere, est ius vtendi, fruendi, ita in alium

A alium transferre, vt tamen per emptorem aut conductorem à fructuario retineatur?

Pecorum uel ouium.] Legendum, *veluti ouium:* nam pecorum appellatione oues cõtinentur. Id etiam confirmat l. plenum. §. sed etsi pecoris. D. eod. tit. denique in Græco ita est θρεμμάτων οἷον προβάτων.

Sed si cui habitatio.] Habitatio non domum significat, sed ius habitandi. Ideoq; si gratuito tibi concessero habitationem, etsi vtrimque dixerit Viuianus, esse commodati actionem. l. 1. §. 1. D. commod. tutius tamen est agere præscrip. verbis. l. si gratuitam. D. de præsc. ver. quandoquidem habitatio nomen iuris est: quod etsi verissimum sit, in facto tamen potius quàm in iure consistit, id est, non tam videtur esse ius quàm factum & quasi domus ipsa. l. legatum. D. de cap. min. atque ideo multum distat ab his, quæ omnino in iure consistunt, id est, vsu, vsufructu. Vsus, vsusfru. si gratuito
B cõcessus sit, Viuianus commodati actionem non daret. Vsus, vsusfr. non vtendo & capitis deminutione amittitur, habitatio non item. Vsus, vsusfr. ex persona æstimãtur, habitatio non tam ex persona quàm etiam ex re ipsa quę habetur. At certè morte finitur habitatio exemplo vsus & vsusfr. & ob id etiam ante aditam hereditatem non cedit.

DE VSVCAPIONIBVS ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPTIONIBVS.

Rectius in libris vet. *de vsuc. & lon. temp. possessionibus*, quod etiã Græcus interpres agnouit. Præscriptio plurimùm exceptio est. Nouissimi iuris interpretes, possessionem siue adquisitionem longi temporis, vulgò præscriptionem appellant: quod non caret exemplis. Nam sic loquitur l. ei à quo.
C D. de vsurp. & vsuc. sic l. qui alienam. D. de euict. sic §. ex his. J. per quas pers. sic denique l. quinque. C. fin. reg.

Cùm crederet.] Vet. *crediderit* & paulò post, *vsucapiebat.* Ergo, *vt qui bona fide*, id est, quemadmodum is qui bona fide.

Iusta caussa possessionis.] Iusto titulo. Nam titulus est possessionis causa.

Vllo tempore.] Est vsus anni aut biennij. Est longum tempus, est longissimum. Liberi homines, res sacræ, res religiosæ nullo tempore adquiruntur. serui fugitiui longissimo tempore adquiruntur.

Lex Atilia.] In P. Flor. legitur *Atinia.* l. potestatis. de verb. sign. l. 4. §. quod autem. de vsurp. & vsuc. & apud Aul. Gellium lib. XVII. qui & lib. XIIII. c. vltim. id Atinio plebiscito cautum re-
D fert, vt Trib. plebis Senatores essent. Cicero quoque Orat. III. in Ver. Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fusias.

Lex Iulia & Plautia.] Vet. libri, *lex Plautia & Iulia:* sic & in P. Flor. in l. non solùm. §. si dominus. D. de vsurp. & vsuc. quod perspicue rectum est. Nam prior fuit lex Plautia de vi, lege Iulia. Vt autem lex Iulia de pec. repetundis vsucapionem inhibuit. l. pe. D. de leg. Iul. rep. ita lex Iulia de vi. Hoc plus vet. libri habent, *vi possessarum rerum vsu lex Plautia & Iulia.* Credo pro *vsu*, legendum *vsucapionem.*

Non dubium est.] Ipse autem heres vsucapere non potest, quia nec defunctus potuit.

Furtum non committit.] Ipse autem fructuarius vsucapere non potest, quia in iure errat.

Expeditius ita procedit.] Legendum, *expeditius procedit vt quis.* Expeditiùs sine vi nancisci-
E tur quis rei immobilis possessionem, quàm rei mobilis sine furto.

Quamuis ipse.] Legendum, *qui quamuis ipse.*

Fundi locíue.] Fundus est integrum aliquid, locus est portio fundi: fundus finibus regitur, non locus: fundus ad prædia rustica, locus etiam ad vrbana pertinet: inde in §. cõstituitur. s. de vsufru. in fundo & ædibus. Ad hæc locus est sine villa, fundus cum villa: inde inter censorias notas illa recensetur à Plinio, minus arare quàm verrere: id est minus habere fundi quàm villæ.

Et eorum utilitati.] Non est, vtilitati, in lib. vet. bene autem, principalibus constitutionibus. Nam vsucapio, est ex XII. tab. Præscriptio longi temporis est ex constitutionibus. Constit. Iustiniani actio etiam prouincialibus datur & dominium.

Vsucapere posse.] Vsucapere ex sententia Iustiniani est diutina siue longa possessione cape-
F re. l. quamuis. D. eod. tit. Opus autem hac in re fuit rescriptis, quoniam ipso iure bona vacantia ad fiscum pertinent, non tamen in patrimonio fisci esse videntur, ante quàm nuntiata & confiscata sint.

Quod nostra constitutio.] Hic versus vt puto reponendus est post §. inter. nam in sua constitutione Iustin. heredis aut testatoris nullam mentionem facit: denique hoc ius semper fuit, vt vsucapio in heredem continuaretur, propterea quod heredis & defuncti eadem persona est, sed hæc nos in Pandectarum libris fusiùs exposuimus.

In usucapionibus.] Rerum scilicet mobilium. Ait enim in constitutione, vel triennium, quod in rebus mobilibus obseruandum esse censuimus.

Coniungi tempora.] Longa tempora, puta decennij aut vicennij.

Edicto D. Marci.] Addidit Harmenopulus, & Commodi. lib. III. Epit.

Præfatæ Zenonianæ.] Legendum vt in lib. vet. *præfata Zenoniana constitutione.*

DE DONATIONIBVS.

Superuixisset.] Superuiuere, nunc saluum euadere: aliàs superuiuere est superstitem alicui viuere.

Ad exemplum.] Hæc eadem verba Tribonianus Paulo adſcripſiſſe videtur in l.Marcellus.D. de don.cau.mor. A

Vtriuſque cauſæ.] Vtriuſq; tituli donationis & legati.

Donat Piræo.] Sequitur, πειρᾶ ὁ γδ: nec ſanè video cur à quibuſdā hi verſus prætermiſsi ſint.

Inter uiuos.] Eæ ſunt quæ directæ dicuntur in l.donatio.C.eod.tit.

Non omnino.] Vet.lib. *omnino non:* quod valde probo.

Præſtitimus.] Vet. *præſtauimus.*

Et ante nuptias augeri.] Legendum, *& ante nuptias augeri donationem, conſtante matrimonio:* quæ verò ita donantur, ἀντίφερνα noſtri auctores vocant, quo vocabulo, quid ſit donatio propter nuptias, ſatis apertè ſignificatur.

Vindicta uel teſtamento.] Rectè vindicta vel teſtamento, nimirum enim ſi inter amicos per epiſtolam, vel conuiuium manumittat, plerisq; placet nihil eum egiſſe: auctor Vlp. in tit.de libert.& Paulus lib. IIII. Senten.de manumiſſ. B

QVIBVS ALIENARE LICET VEL NON.

Per legem Iuliam.] Hanc legem Auguſtus tulit, nam ea ipſa eſt quæ de pudicitia, aut de adulteriis coërcendis, vti conſtat ex Paulo lib. IIII. ſent. de dotib. & ex inſcriptionibus multarum legum ſub tit.de fun.dot.

Dotis cauſa ei datum.] Ratio legis hæc eſt, quia licet in bonis mariti dos ſit conſtante matrimonio, mulieris tamen eſt, Boëthius in Top.Cic.Dos, inquit, licet matrimonio conſtante in bonis viri ſit, eſt tamen in vxoris iure, & poſt diuortium velut res vxoria peti poteſt: quod ſumpſiſſe is videtur ex l.quamuis, de iu.dot.& l.Lucius.§.Idem reſpondi.ad municip. C

Qui ab initio.] Idemq; eſt ſi ex interuallo.l.4.D.de pign.act.

Minor dederit.] Minor pro pupillo.

Condici poſſunt.] Condictio crediti, vel condictio indebiti, alia eſt ex numeratione, alia ex conſumptione. Ex numeratione, ſi vtilis ſit numeratio: ex conſumptione ſi inutilis ſit numeratio, & ſi bonæ fidei ſit conſumptio.

Ad exhibendum.] Immò & in rem, quia mala fides pro poſſeſsione eſt: ſed in rem vtilis eſt, ad exhibendum directa. commodiùs ergo agitur ad exhibendum quàm in rem.

Aut ui.] Hæc non ſunt in vet.lib.

PER QVAS PERSONAS NOBIS ADQVIRITVR. D

Omne quod adquiritur, aut dominium eſt, aut poſſeſsio, aut obligatio. De adquirēdo dominio aut poſſeſsione in hoc tit.agitur. De adquirenda obligatione in tit.Per quas perſ.nob.obl.adq.

Adquiritur uobis.] Vet. *adquiritur nobis non ſolum per noſmetipſos, ſed etiam per eos quos in poteſtate habemus,* & ita in ceteris quoque ſecunda in primam perſonam immutatur, quod melius eſt.

Olim quidem quidquid.] Iure antiquo patri filius omnia adquirit, etiam caſtrēſia aut quaſi caſtrenſia: ſed ex conſtitutionibus priuilegium hoc militiæ datum eſt, vt in caſtrenſi peculio filiusfam. vicem patrisfa. obtineat: quo tamen non omnino ius antiquum abrogatur, ceſſat verius, & in ſuſpenſo eſt quamdiu filius ſuo priuilegio vtitur: proinde filio inteſtato mortuo, id non adquiri patri, ſed non adimi & iure peculij, non iure hereditario à patre occupari dicimus.l. proponeb.l.hereditate.de caſt.pec.l.1.§.ſi is qui bona.de col.bon.l.vlt.ad S.C. Tertyl.filio etiam deportato, id patri non auferri. l.3.C.de bo. proſ. Denique poteſt etiam pater quaſi dominus caſtrenſi prædio ſeruitutem adquirere, non tamen imponere, ne contra priuilegium faciat. l. ex caſtrenſi. §. 1. D. de caſtr. pec. & per omnia fere in caſtrenſi peculio ſimilis eſt pater domino, cui ſuis bonis ob diſſolutionem morum interdictum eſt. Sic enim & patri, id eſt, domino caſtrenſi peculio interdicitur ob priuilegium militiæ. Iure antiquo peculium paganum ſine vlla diſtinctione in bonis eſt patris: ſed conſtit. Conſtantini primùm excepta ſunt bona materna, Gratiani, Valent.& Th. Arcadij item & Hon. bona materni generis, Theodoſij & Valent. bona quæ ex matrimonio obueniunt, Leonis & Anth. quæ ex ſponſalibus, Iuſtiniani omnia aduenticia bona: horum namque bonorum proprietas liberis conſeruatur. E F

l. intelligis. C. de castr. pecul. milit. lib. 12.

Quocumque modo uoluerant.] Non eſt, *voluerant* in lib.ſcriptis.

Totum parenti.] Totum, id eſt, ſolidum & plenum, non deducta proprietate.

Emancipando liberos ſuos.] Vet. *liberum ſuum:* vt in §.1.J. de ſer.cog.

Pro pretio quodammodo.] Bene quaſi quodammodo: nam pretio æſtimari emancipatio non poteſt. Conſtantinus huius iuris auctor ait, *muneris gratia.* l.1. & 2.C. Th. de bon. mat.l. Cùm oportet.§.Cùm autem. C. de bon. quæ lib. adq. Muneris ergo gratia triens dominij datur auctore Conſtantino, vel, vt Iuſtiniano placet, ſemis vſusfructus. quod ſi nulla ſint aduenticia bona ex quibus patri triens aut ſemis conſeruari poſsit, an ex bonis poſtea quæſitis patri aliquid concedatur, quæſtionis eſt: de qua nihil quod ſciam ab Iuſtiniano in ſuis libris definitum eſt: pertinet ad eam tamen l.5.C.Th.de mat.bo. G

Siue ex donatione uel ex legato.] Sic in l. ſi tibi homo.§.cùm ſeruus.D.de leg.1.ſed tamen hæc uerba nec Th.nec.l.adquiritur.D.de adq.re.do.nec libri veteres agnoſcunt.

Per

A Per eos usucapio.] Rectius vet.lib. *per eorum vsucapionem, vel longi temporis possessionem nobis adquiritur.*

Ex operis.] Quidam cod. *ex operibus*, vt & in §.item placet, ad finem.

Quia non possidet.] Est ciuilis possessio, est naturalis, est corporalis. Ciuilis, naturalis, iusta est: corporalis iniusta. Hanc pupillus sine tutore amittit, non ciuilem, non naturalem, fructuarius autem non ciuiliter, quia non vt sibi habeat, sed naturaliter possidet.

Distinctionem.] Vet. *diffinitionem.*

Possessionem iustam.] Hoc in loco possessio iusta, id est, bonæ fidei. l. quod seruus. D. de adq.poss. sic seruitus iusta, id est, bonæ fidei. l.& generaliter. D.de noxal.act.

Adquiri possessionem.] Possessionem ciuilem, quo pacto fit vt animo nos & corpore alie-
B no possideamus, atque ita dominium etiam vt ignorantes adquiramus, sed & possessionem naturalem per procuratorem adquirimus, vt puta pignoris. Obligationem non adquirimus: præterquam crediti conditionẽ. l.certi.§.si nummos.D.de reb.cred.& ex ea causa pignoris obligationem auctore Iustiniano.l.2.C.per quas perso. quamobrem Trib.in l.solutum. §. per liberam.de pig. act. hæc adiecit, *Plerumq́, Non semper.*

Vel usucapionem.] Non vt dominium aut possessio ignoranti adquiritur, ita vsucapit etiam ignorans: nam hoc tantùm in rebus peculiaribus receptum est.l.2.D.pro soluto.

DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

Quod procinctum.] Id veteres *endoprocinctu* appellabant. Putem & in hoc loco legendum,
C *quod in procinctu*: vt apud Vlp.in frag.& M.Tullium in 11. de nat.Deo.

Adhibitis.] Conuocatis & præsentibus.

Sed neque mulier.] Quamuis sit cum eis testamenti factio. Iustum testamentum non est, nisi fiat septem testibus, ciuibus Romanis, puberibus, præsentibus. His verbis mares significantur: ita igitur est, feminas excludi: itemq́; seruos & impuberes excludi manifestum est. Furiosi autem, & muti, & surdi, & prodigi absentium loco habentur: furiosi hoc amplius, & intestabiles, & serui, & impuberes in aliis etiam causis vix testes adhibentur. Possunt hæc eadem in diuortio dici. l. nullum D.de diuort.& in omnibus legitimis actionibus.

Intestabilesque.] Cõstitutio hæreticos iubet intestabiles esse.l.44.C.Th. de his qui sup. relig. cont.S.C. siue lex Iulia damnatos ob carmen famosum.l.is cui.§.vlt.de test.l.lex Cornelia.§.si quis
D librum, de iniur. Sunt & quidam ex XII.tab. intestabiles, in quibus, vt auctor est Gellius lib.XV.cap. XIII. ita scriptum est. *Qui se si erit testatior, libripens ve fuerit, in testimonium feriatur, improbus intestabilisq́; esto.* quæ verba, præter quàm quod integram legis sententiam non conficiunt, etiam deprauata atq; adeò obscura sunt. Rectiùs in bibliotheca Ioanis Biturigũ Ducis: *Qui se fierit testarier libripens ve fuerit, in testimoniũ fariatur improbus quibus intestabilisq́ esto:* modò si pro *fariatur, ferietur*, pro *quibus, quoiuis*, aut *ciuis* restituatur. *Qui se fierit testarier*, id est, qui se siuerit μαρτυρηθῆναι siue in testem cieri: eodemq; modo Liuius, Impubes libripens esse non potest neq; antestari, vt Priscianus refert lib. VIII. In testimonium feriatur, id est, ἀναγκάζηται siue pulsetur. Integra legis sententia hæc fuit. Eum qui se passus fuerit in testem rogari, aut qui libripens fuerit, si nolit fidem testamẽti approbare, cogendũ: ac deinceps pro improbo intestabiliq́; habendum esse: quæ vt credibile est ex ea lege ab Theoph,
E relata est hoc in loco, & à Constantino in lib.1.Epitom.tit. VI.

Vt sic haberetur.] Vet. *vt sic habeatur ac si vt oportet.*

Vtique.] Lege, *vtrique.*

Quia hoc totum.] Expende, *totum*: vt hac ratione testimonium recipiatur Legatarij, Fideicommissarij, Tutoris.

Hodie.] Sublata videlicet familiæ mancipatione. Olim ergo inter testatorem & familiæ pecuniæq́; emptorem, non vt hodie inter testatorem & heredem.

Heredi.] Seorsim in tabulis scripto. Cicero pro Milone. Vnà fui, testamentũm simul obsignaui cum Clodio: testamentum autem palàm fecerat, & illum heredem, & me scripserat.

Quod ab illis suasum est.] Sic suasio.l.2.C.Th. de sec.nup.ex No. Th. de pat.seu mat. bo.in
F legem conuersa est, Est in ea No.pro *auaris*, legendum *à viris.*

Sufficiunt.] Abest à lib.vet.

Iure ciuili.] Prætor non nouit testamenta non scripta. Datur tamen vtilis bo.possessio contra nuncupationem, vel secundùm nũcupationem.l.2.C. de bo.poss.sec.tab.l.1.C. de bon.poss.con.tab. lib.l.vlt.C.de codic.

DE MILITARI TESTAMENTO.

Propter nimiam imperitiam eorum.] Cor. Tac. in Agricola. Credunt pleriq; militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat.

G Ritè.] Legendum, *rectè*. Nam qui iure militari testantur, ritè non testantur.

Aedibus.] Legendum, *sedibus*: vt in l. vlt.C.de restit.mil.& l.vltim.C.quib.non obst.lon.temp. præsc.& apud Vegetium lib. 3. cap.4. & c.vlt. eas sedes Th. sedeta vocat, cùm tamen Sudas scribat sedeta esse fossata.

Statilio Seuero.] Sunt qui & eodem modo legant in l.& Atilicinus.D.de ser.rust.

d 3 Tam

Tam anteriores leges.] Cùm ait, *leges*, Pandectas intelligit.l. 1. §. nec castrense, de col.bon. l.3.§. dari.de bo.poss.l.1. §. in filij. ad Trebell. l. filiusf. ad fin. de donat. Cùm *constitutiones*, Codicem.Nam si exemplo castrensium comparata sunt quasi castrensia, & illa sunt ex constitutionibus, hæc etiam vt sint ex constitutionibus necesse est: quæ igitur legibus continentur de quasi castrensi peculio,ex constitutionibus sunt. A

Quibusdam permissum erat.] Speciali priuilegio, vt puta proconsulibus, vt est in constitutione Iustiniani,& Præfectis legionum, & Præsidibus prouinciarum. At ipse demiror quamobrem Iustin, tribuat Præfectis legionum quasi castrense peculium, hi namq; milites sunt. l. 2. D. de his qui not.insa. forsitan legendum, *Proconsulibus & Proconsulum legatis* vt in l. abesse. D. ex quib. caus. ma. Miror etiam cur specialiter præfecto annonæ castrense peculium tribuatur in titul. Cod. de castr. pec. mil. & præf. anno. sed iam diu animaduerti legendum esse *& præfectianorum*, ducta coniectura ex lib. vet. in quibus legitur *præfecti annorum*, de quorum peculio quasi castrensi agitur in l. vlt.eiusd. tit. Sunt autem præfectiani apparitores præfecti prætorio. l. 2. & 3. C.de apparit. præf. præt.l.8. C.de offi.rect.prouin. Ammia. Marcellinus lib. XVII. Vt nec præfectianus, nec presidialis apparitor ad soluẽdum quemquam vrgeret. Mihi etiam Ant.Loiselus adolescens & humanissimus & supra ætatem eruditus librum Codicis manu scriptum dono dedit, in quo claris litteris scriptum est, *De castrensi peculio militum & præfectianorum*. B

QVIBVS NON EST PERMISSVM FACERE TESTAMENTVM.

Qui id in castris.] Vet. *id quod in castris*. C

Licet suæ potestatis.] Non satis est habere testamenti factionem mortis tempore, nisi eam tempore testamenti etiam habeamus. At satis est habere testamenti factionem faciendi testamenti tempore, etiam si mortis tempore non fuerit nobis testamenti factio: vt si sanus & frugi testamentum fecero, furiosus aut prodigus decessero.& hoc non in iure tantùm ciuili, sed etiam in iure prętorio seruatur. Illud tamen etiam vtroq; iure receptum est, vt irritum fiat testamentum capitis deminutione: ideoq; necesse est, lege Cornelia excepta, vt testamenti & mortis tempore testator ciuis Romanus, & sui iuris existat, hæc rata quoniam sunt & firma, non affero capita legum: iuuatq; interdum ita scribere, vt non tam lectoribus, quàm etiam mihi quod placeat inquiram: ac vereor, sæpe, vt olim theatra malè musicos canere docuerunt, ne etiam nos, si lectoribus quibusq; indulgeamus, hæc nostra qualiscumq; scribendi ratio concidat in deterius. D

Sæpe enim.] Vet.Cod. *sæpe autem*.

DE EXHEREDATIONE LIBERORVM.

Rectius, *De institutione & exheredatione liberorum*: id quod etiã Th.indicat in initio tit. proximi.

Vt si uiuo.] Vet. *vt etsi viuo*. quoniam id multo magis obseruandum est si post mortem patris decesserit. Idem verò etiam in vno gradu obseruandum est, vt si à Primo instituto exheredatus sum, à Secundo substituto præteritus, & viuo ac deliberante Primo decessero, tum deinde Primus hereditatem omiserit: nam substitutio nulla est: & hac in re par est causa liberorum & postumorũ. l.si postumus.D.de lib.& post.l.3.§.vlt.& l.prox.D.de iniuf.test. quod etiam proponitur in l.si à primo. De lib.& post. ceterùm in ea, non, *viuo patre*: sed, *viuo Primo* legendũ est: quæ castigatio summè notanda est. Dispar verò est causa liberorum & postumorum in specie huius §. videlicet cùm de toto testamento quæritur: nam si postumus viuo patre natus decesserit, ex constitutionibus scripto heredi bo.possesio datur cum re.l.postumus, de iniust.test. si post mortem patris, testamentũ nullo iure valet.l.2.& 3. C.de post.her.inst. E

Nemo heres.] Sed neq; bon. possessor cum re. at quia sec.tab.dari potest qualis qualis, huic rei præteritus occurrere potest petita bo.possesione contra tab.

Antiquitati.] Mediæ iurisprudentiæ non XII.tab.§.Sed hæc.j.l.vlt.C.de lib.præter.

Sed feminini quidem sexus personæ.] Non *personæ*, sed *postumæ* legendum.

Postumorum.] Postumi alij sunt omnino sui, alij Aquiliani, alij Velleani, alij Iuliani. Hi non sunt postumi, sed postumorum loco, quia per successionem quodammodo renasci videntur. F

Lege Iulia Vellea.] Ius antiquum ad idq; pertinens Galli cautio, est de veris postumis. Ius nouum, id est, primũ caput legis Velleæ non est omnino de veris postumis. nam veri postumi sunt qui patre iam humato nascuntur: qui fuit antiquus sepeliendi mos, nunc à Christianis renouatus. Arnob.lib.VIII. Nec vt creditis vllum damnum sepulturæ timemus, sed veterem & meliorem cõsuetudinem humandi retinemus. Velleani autem postumi viuo parente post testamentum nascuntur. Secundum caput est de quasi postumis, quod in hoc §. proponitur.

Feminini uerò inter.] Rectè vet. *& inter.* quasi dicat vel nominatim vel inter ceteros.

Permittit.] Legendum, *promittit.* vt in §.vl.j.& l.illud.D.de bo.poss.con.tab.& alibi passim.

Silentio omittere.] Non est, *silentio*, in vet.lib. Omittere est silentio exheredare.l. si patronus. D.de bo.lib. Pater autem silentio exheredare non potest. Miles, mater, ascendentes per matrem, liberi, fratres, sorores silentio exheredare possunt. G

DE HEREDIBVS INSTITVENDIS.

Adulterio maculatum.] Græci sic interpretantur ἔνοχον ὄντα τῇ μοιχείᾳ non κατηγορούμενον.

legend

A legendum igitur est, *maculatum*, non *accusatum*. alioquin certè pugnat hæc constitutio cum l.reos. C.ad leg.Iul.de adult.

Ante sententiam.] Ante finitam cognitionem.l.prospexit.§.pen.D.qui & à quib.man.

Iussu eius domini.] Quid.cod.*iussu domini sui.*

Quin etiam.] Legendum, *cùm etiam.*

Vsque ad assem hæc.] Legendum.*vsque ad assem vtputa hæc, vncia, sextans.*

In quotcumque.] Vet.cod. *in quantascumque.*

In hoc casu.] Hæc delenda sunt.

Denique diem.] Vet.cod. *Denique adiectum pro superuacuo haberi placet.*

Peregrinantes.] Omnes libri scripti habent, *peregrinatos*, & sic aliàs quoque legi adnotauit B Accurs.Diuidenda autē ea dictio est in hunc modum, *peregri natos*. Peregri dicimus cùm quis in loco est, Peregre cùm it in locum : vt Fl. Sosipater scribit.Iam ergo non *peregrinantes*, sed *peregri natos* legatur in hoc §.

DE VVLGARI SVBSTITVTIONE.

Singuli in singulorum.] Vet.*singuli singulis.* vt & in l.potest.D.eod.

Sed si instituto.] Omnes vet.cod. *sed si instituto heredi & coheredi suo substituto dato alius substitutus fuerit.* quod probo.sic in l.si ex pluribus.de suis & leg.her. instituti heredis & coheredi substituti.

Sine distinctione. Nam neq; ordinem scripturæ in hac re spectamus, neque ordinem succesC sionis.Ceterùm in pupillari substitutione ordo succesionis spectandus erit.l. qui habebat.D.eod.

In partem.] In partem dimidiam scilicet. nam l.si paterfamilias.de hered. instit.ait in hoc casu semisses fieri. & l.prox.hereditatem diuidi inter dominum & substitutum.obstare creditur l.si paterfamilias.in illo loco, Ita vt alter semis,nec poterit vmquā quisquam vlla ratione, quo minus obstare videatur,efficere : siquidem eo in loco Tribonianus non notas pro notis accepit.hæc namque verba, ITA VT AS, sic explananda esse censuit, ita vt alter semis.cuiusmodi à nobis multa sunt in Pandectis notata & animaduersa,quæ pòst suo tempore ac loco proferentur.Sic ergo rectè, cùm dixisset Iulianus in l.si paterfamilias. in hoc casu semisses fieri, subintulit, Ita vt as æquis portionibus diuidatur.

D DE PVPILLARI SVBSTITVTIONE.

In suam tutelam.] Vt qui sunt alieni iuris, manumisione sui iuris fiunt:ita qui sunt alienæ tutelæ, pubertate fiunt suæ tutelæ. l.quotiens.§.j.D.de administrat. tut.quod plane est in suam tutelam venire.

Moribus.] Vulgaris est ex. XII. Tab.

Vel gradus.] Hæc abundant:vt ex constitutione apparet.

Ad exemplum.]Ratione succesionis duo tantùm sunt genera substitutionum.Ratione personarum tria : Vulgaris,Pupillaris,Iustiniana.Ratione scripturæ,quattuor:nam vel primus casus exprimitur,vel secundus,vel vterq;,vel neuter.

Sancimus.] non est in vet.lib.

E Ne filius suus.] Vet. *ne filius eius.*

Si heres.] Legendum, *& si heres.*

Vel singulis.] Vet.*vel singulis autem.*

QVIBVS MODIS TESTAMENTA INFIRMANTVR.

Quę ab initio valent iure ciuili, aut rupti aut irriti vitio infirmantur.Iure prætorio,per bon.poss. contra tabulas rescinduntur.

Ex lege Falcidia.] Lex Falcidia est de legatis.Ceterùm inducta etiam est constitutione Seueri in donationibus causa mortis : & S. C. Pegasiano in fideicommisis : & constitutione Antonini in F codicillis factis ab intestato.hic locus indicat eam obtinere in fideicommisis.

Et suæ potestatis.] Hæc autem bon. possesio cum re futura est, si alius nemo iure legitimo heres sit,vt rectè Vlpi.adiicit in fragm.eod.tit.Idem quid sit cum re & sine re,explicat rectè in tit.de possess.dan. vt iam inde appareat quid in l.filiis.C.de inoffic. test. hæc sibi velint, bon. possess.cum re accipere,& in l.postumus.D.de iniust.test.bonorum possesionem accipere remq; obtinere.& in l.I. §.pen.Si tab.test.nul.ext.bonorum possessores rem habituros.Res est hereditas aut bona.Ambrosius lib. IX. Epist.ad Clementianum. Sed sunt heredes sine re. sunt & cum re, & dicuntur heredes testatore viuente qui scripti sunt,sed sine re. heredes cum re et sine re

Non potest scriptus heres.] Et hoc sanè casu nec sine re quidem dabitur à prætore bon. possess.nam is qui testatus est mortis tempore,testamenti factionem non habuit,quod vtique semG per in iure prætorio exigitur.

Noluerit.] Vet. *noluit.*

Irritæ fiant.] Et ideo ne fiscus admittatur, qui tunc solet admitti, cùm non infirmato testamento aut heredem testator indignum dixit,aut eius tantùm deleuit nomen.l.hereditas.l.cùm quidam.l.cùm tabulis.§.vlt.D.de his quibus vt indig.

Diui.] Vet. *Diui quoque.*

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

Hac actione testamenta rescinduntur, & hereditates petuntur. Vulgò autem dicitur, actio, accusatio, querela inofficiosi testamenti. itemq; petitio hereditatis de inofficioso, vt in l. si quis filium. C. eod. l. pen. §. sed quemadmodum. D. de bon. posseſſ. contr. Tab. Dicitur & centumuirale iudicium. sed hæc appellatio communis est. nam omnis petitio hereditatis centumuirale iudicium est. l. vlt. C. de pet. hered. Paul. lib. v. sentent. tit. XVI. Restat igitur de inofficioso agi apud C. uiros. l. vlt. C. de lib. præt. l. petitor. D. de lib. leg. l. qui repudiantis. l. Titia. D. de inoffic. test. ideoq; in l. x. D. eod. *si pars iudicantium*, id est Centumuirorum. Plinius lib. v. Epist. Post hoc ille cum ceteris subscripsit centumuirale iudicium, id est, de inofficioso. Ille enim est Curianus qui à matre fuerat exheredatus. Paulus μονόβιβλον scripsit de C. uiralibus iudiciis, ex quo est l. 7. 28. 31. D. eod. Vnde etiam apparet actionem de inofficioso. C. uirale iudicium esse: non Septemuirale vti perperam in P. Flor. scriptum est. B

Exheredant uel omittunt.] Satis erat dicere, *exheredant*: nam & omissis tantùm eis datur hæc actio qui pro exheredatis habentur. ceteroquin omissis hæc actio non datur. Verùm nonnumquam institutis etiam hæc actio datur, vtputa si exhausta sit hereditas, nec legi Falcidiæ locus sit. l. Papinianus. §. quarta. D. eod. tit. Paul. lib. IIII. sentent. tit. v.

Postumi.] Postumi sui, vt filij de inofficioso testamento patris: Postumi legitimi, vt filij de inofficioso testamento matris, fratres, nepotes ex filia: Postumi cognati vt nepotes ex filio concepti post emancipationem. Postumi ergo nō sui tantùm sed etiam alieni. l. postumus. l. Papinianus. §. si ex causa. D. eod. tit. C

Id quod deest.] Instituto filio supplendum est id quod Falcidiæ deest, & hoc Paul. scribit lib. IIII. sentent. tit. de inoffic. que. Æquè exheredato si minus quarta relictum sit, ex constit. Iustiniani supplenda est quarta: quod tamē videtur Vlpiano Tribonianus attribuere in l. si non mortis. D. eod. olim verò necesse erat id adiici in testamento. l. 4. C. Th. eod. tit.

Quarta legitimæ partis.] Legitima pars debetur ab intestato. Quarta legitimæ partis ex testamento. est igitur quarta legitimæ portionis portio, quæ (vti credo) exemplo legis Falcidiæ inducta & definita est, ideoq; & Falcidia dicitur passim. Eam vero Iustin. mutauit in trientem, vel semissem, pro numero personarum: ideoq; si duo sint filij, sextans singulis relinquendus est, id est, triens legitimæ partis. si sex, vncia, id est, semis legitimæ partis: denique omnibus quadrans ex iure antiquo, & triens vel semis omnium bonorum ex iure nouo relinquēdus est, singulis quadrans vel triens vel semis legitimæ partis, quibus etiam constat, si aliquis ex eis institutus sit, ab eo partem fieri. Auxit porrò Iustin. eorum omnium portionem, qui de inofficioso agere possunt, vt ipse testatur in No. XVIII. quod à Græcis interpretibus deinde porrectum est non malè ad legem Falcidiam, & ad ea quæ exemplo legis Falcidiæ inducta diximus titulo superiùs proximo. D

Siue iure hereditario.] Idem in l. omnimodo. C. eod. & in No. v. XXII. XVIII. Ceterùm ex No. CXV. quarta non excludit querelam, sed elogium in testamento adscriptum & comprobatum ab herede, quod non ideo Iustin. constituit, vt iure hereditario relinquatur, sed ne cuiquam frustra apponatur exheredationis nota. Eadem Nouella tolluntur iura, quæ dictant actione de inofficioso omni ex parte testamentum rescindi: namque Iustin. solam institutionem rescindi putat oportere. & hoc est quod dicitur, Ex causa præteritionis vel exheredationis, &c. quod de ea præteritione accipiendum est, quæ vicem exheredationis obtinet: nam si pater filium præterierit, nihil in eo testamento scriptum valet. si tamen rescindatur per bon. poss. con. tab. libertates quidem & legata non debentur nisi exceptis personis, at secundæ tabulæ valent, & quæ in eis sunt relicta legata, à Prætore conseruantur. Ius enim prætorium quàm ius ciuile benignius est. E

In his tantummodo.] Non dicit in eo casu, sed in his casibus. puto intelligi duos casus. l. pen. C. de colla. quibus donationem inter viuos non tantùm conferri opinor, sed etiam in quadrantem imputari. Bene autem, mentionem facit. nam alterum casum Iustin. non induxit. adde l. si quando. §. generaliter. C. eod. & l. si non mortis. D. eod.

Vel aliis modis qui in nostris.] Vet. lib. non habent, *in nostris*, quod rectum est: nam dos, vel donatio propter nuptias de quibus hoc in loco agitur, quæ olim in quadrantem non imputabantur l. j. & 2. C. Greg. de inoffic. test. nunc vt imputentur, ab Iustiniano effectum non est. F

De uirili portione. Om. vet. cod. *pro virili portione quarta*, quod rectissimum est. Sensus hic est: diuidi inter eos quartam omnium bonorum pro rata earum partium, quas ab intestato habituri essent, ita vt virilis singulorum portio sit quarta legitimæ partis. Sic igitur quod pro virili diuiditur, & pro rata siue ἀναλόγως diuiditur. sic in l. 1. C. vnde lib.

DE HEREDVM QVALITATE ET DIFFERENTIA.

Ideóq; sic appellatur.] Quid. cod. *ideo sic appellatus.*

Vel distrahantur.] Legendum, *& vel distrahantur.* G

Iterum tamen.] *Iterum*, abest à libris scriptis.

Aut morte interceptus.] Et hic quidem nepos opiter à veteribus dicebatur, cuius scilicet pater viuo auo mortuus esset, auctore Sext. Pompeio.

Succedit.] Ex lege Iulia Vellea.

A Quia domestici.] Suorum nomen est ex XII. Tab. vt ostendi in notis ad Vlpianum: eo potestas significari videtur. nam & heredem suum & filium suum dicimus, pro eo qui est in potestate. l. penul. §. & vereor. de bon. possess. contr. tab. l. nepos. de leg. præst. Domestici etiam & domus appellatione potestas significatur §. pater. s. de test. An igitur heredes sui ex eo nomine accipiuntur, quòd sint in potestate? at posit etiam hac ratione seruus, suus heres dici: filiumq; suum cùm dicimus aut postumum suum, id nomen potius ad hereditatem referimus. Fortasse propius est suos heredes dici quasi αὐτοκληρονόμους, quo modo & suum assentatorem dixit Seneca lib. 5. de benef. c. 7. & suum fratrem. cap. 10. quamobrem non adire hereditatem, sed retinere dicuntur. l. si patronus. §. vlt. de bon. libert. non furari ex ea hereditate, non subripere, non expilare: sed leuiore verbo amouere. l. si seruum. §. Prætor. de adq. her. non heredes fieri sed existere, id est apparere, quod est Theo-
B philo ἀναφαίνεσθαι in tit. de bon. possess.

Ex lege XII. Tab.] Delenda sunt hæc verba. vt auctores sunt libri scripti: & verum est. nam potestas necessarios facit. l. condicionibus. D. de con. & dem. non lex XII. quæ potestas moribus inducta est, non lege.

Extranei heredes nobis.] Non est, *nobis:* & in initio §. In extraneis, non est, *tempore.*

Tria tempora inspici debent.] Aliâs, *tria tantùm tempora inspicimus.*

Nisi minor.] Impuberi datur beneficium abstentionis, Puberi restitutionis in integrum. Hoc si immiscuerint se vel adierint, nunc velint abstinere. quid autem fiet è cõtrario? Minor si repudiatam hereditatem adire velit, indiget eodem beneficio, videlicet si omnia sint in integro. nam rebus distractis finitisq; omnibus negotiis hereditariis, caret restitutione, nisi forsitan impubes sit. l. quod
C si minor. §. Scæuola. D. de minor. Minor si post abstentionem, se immiscere velit rebus non distractis, non prohibetur nec indiget restitutione. l. si quis suus. de iu. delib. nam & idem maiori datur adhibita scilicet definitione. l. vlt. C. de rep. her. Rebus distractis, minor indiget restitutione in integrum. Quod dictum est, Impuberé, qui repudiarit, & rursus adire velit rebus iam distractis, *restitui,* ei obstat l. nam quod. §. 1. D. ad Treb. Vulgo malè in eo §. legitur, *Prætorem,* & in libro Flor. *præceptorem.* legendum enim est, *per prætorem.* & est quidem hæc eius §. sententia. Diuersa sunt repudiare & recusare. Repudiatio fit in iure. l. suus. l. sicut. C. de rep. hered. Recusatio quoquo modo. l. recusare. ad Treb. l. recusari. de adq. hered. Eum qui recusat adire, fideicommissarius cogit adire per prætorem & restituere. Quæstionis est, an etiam is cogi posit, qui repudiarit? Regula iuris hæc est, eum qui repudiarit adire non posse. sed tamen hoc casu si iustas causas habeat fideicommissarius, quibus
D vel repudiationi non potuerit obstare, vel ante repudiationem decretum postulare, æquum est ei succurri, vt cogat adire, exemplo eius qui tempore exclusus est. l. facta. §. penult. D. ad Treb. Hoc ita si omnia sint integra: nam bonis venditis quamuis pupillus fuerit scriptus, qui vtique etiam re non integra restitui potest in integrum, non cogetur tamen per prætorem restituere fideicommissario, nisi ex iusta causa.

l. nam quod. §. 1. ad Treb.

Militibus tantùm.] Legendum, *in militibus tantummodo hoc extendit.*

Præstitit hoc beneficium.] Legendum, vt in vet. *hoc præstitit beneficium.* Est autem hoc beneficium repertorij.

Nobilissimam.] Vet. *nobilem.*

Licet eis adire.] Vet. *licet eis & adire her. & int. ten. in quantum.*

E Sit eis.] Vet. *eis fiat.*

Heredes pro dominis.] Heres sic dicitur quasi herus: ideoque in P. Flor. rectè heres & hereditas sine diphthongo: quod & in M. Tullij libris P. Victorius adnotauit. inde in l. si is ad quem. D. de adq. her. pro domino facere, pro domino administrare.

DE LEGATIS.

Figuris.] Formis & modis. l. 1. de obl. & act. l. mortis causa capitur. de don. cau. mor.

Vel adipisci non potest.] Hæc à lib. scriptis emendatioribus absunt. Rei autem non esse commercium, & rei non habere cõmercium diuersa sunt. nam rei non esse cõmercium, id est, rem à nemine adquiri posse: rei non habere commercium, id est, rem à se adquiri non posse, ab alio
F posse. Quid ergo si rei legatæ sit commercium, eius tamen commercium legatarius non habeat? Et placet sicut inutilis est stipulatio. l. multum. de verb. oblig. ita inutile & inane legatum esse. l. mortuo. §. Labeo. D. de leg. lib. II. nec quicquam mutat si testator sciens incapaci legauerit. Opponitur. l. fideicõmisso. §. si seruo. D. de legat. lib. III. sed ea ibi est natura legati vt æstimationem contineat. l. mortuo. §. 1. D. de legat. lib. II. Opponitur l. filiusfamilias. §. si quid. D. de legat. lib. I. sed ibi legatarius non est incapax. nam lex ait licitè legatum. Opponitur l. sed si res. D. eod. & hic quidem est labor. At verò didici ex ea demendam esse secundam negationem, vt sit sensus, æstimationem deberi, si ius sit fideicommissario posidendi rem sibi relictam à legatario, quam tamen ipse legatarius parare non posit. quod & ad heredem trahi potest, à quo ei cui ius est posidendi res quæ ab illo parari non potest, legata est. d. §. Labeo. d. l. multum. Vulgata scriptura inepta est. nam si sic interpretere ei, id est,
G legatario: quæ sequuntur abundant, si ei, id est, fideicommissario, illa abundant, cuius com. leg. non habet: nam etsi legatarius eius rei commercium habeat, inutile est fideicommissum vt iam ante fundatum est à nobis.

Deducto.] Vet. cod. *detracto.*

Quia usufr.] Intentio eius qui fundum petit hæc est, vt si à proprietate separatus sit vsusfructus,

ctus, hæc confundantur atq; ita fundus detur. Rectè igitur in hoc casu legatarius ex testamēto agit: A
nam vsusfructus seruitutem petit quam ipse non habet. In re enim sua nemo vsumfructum habet.

Et licet alienauerit.] Hoc verò fit ex regula iuris quæ Catoniana dicitur. l. cetera. §. 1. D. de legat. lib. 1. ideoq; ita ponamus necesse est eum alienasse viuo testatore. nam si post mortem alienauerit, iam nō tam regula Catoniana, quàm quòd legati dies inutiliter cesserit impedimēto est. l. vlt. ad fin. D. com. præd. l. cùm filius. §. seruus. D. de legat. lib. 1 1. Opponitur l. 1. D. de reg. Cato. Animaduerti Celsum ab aliis sæpissime dissentire. idemq; ipse hac in re ausim statuere. Iustiniano enim siue Triboniano affirmanti cōcordare omnia inter se, fidem nullam habeo. aliam circa Catonianam regulam controuersiam retulit Th. in §. an seruo. j. Est autem hæc regula iuris antiqui, non iuris noui, vt ipse ad Vlpianū adnotaui tit. de legatis, explicata l. vlt. D. de reg. Cat. (quæ ingeniorum vsq; adhuc quædam veluti crux extiterat) hoc modo: non pertinere Catonis regulam ad leges Iulias & Papias B
ex quibus legata cedunt ab apertis tabulis, sed ad leges x 11. Tab. ex quibus ea cedunt à morte testatoris. quod quidem hac de re cùm disputaremus inter nos, P. Faber, vtriq; nostrum eodem pene momento in mentem venisse commemini.

Legatarii esse putauerit.] Vet. cod. *legatarij rem testator putauit.*

Celsus putat.] Vet. *existimat.*

Potest etiam.] Vet. *potest autem.* vel ad tempus, id est etiam ad tempus.

Instrumenta.] Vet. *instrumentum.*

In prælegando.] Dos prælegari dicitur propter repræsentationem. Peculium prælegari in l. 1. §. si seruus. D. de exc. rei vend. Dos etiam relegari dicitur in tit. de do. præleg. sæpe, quod non tam legari quàm retrodari videatur. l. cùm pater. §. filiæ. D. de legat. lib. 1 1. l. 3. §. dicebam. D. de do. præleg. C
Paulus lib. 1 1 1 1. sent. tit. 1. Re enim redditionem significat: vt verius cùm maritus dotem legando dicat, *Do, lego:* hoc dicere videatur, *Reddo, Relego.*

Cum suis natis.] Quid. cod. *cum suo partu.*

Fundus instructus.] Vt quod tentatur alienato fundo legato, id nullo modo tentatur fundo pignorato, videlicet quia illo casu obscura est voluntas defuncti, hoc non item. §. si rem suam. j. Ita & si nihil interest fundus instructus an fundus cum instrumento legetur, tamen illo casu poterit dici, id est, tentari illud poterit, separatim instrumentum esse legatum, videlicet si ea mens defuncto fuerit. l. si cui legatum. D. de instr. vel instrum. leg. hoc verò casu, id est, fundo cum instrumento legato, frustra id tentatur, quandoquidem manifesta est sententia defuncti. l. 1. D. eod.

Dicimus cedere.] In lib. scriptis non est verbum, *dicimus.* erit igitur hoc etiam ex Iuliani sententia. D

Ab adita hereditate cedit.] Pura legata ex iure antiquo cedunt à morte testatoris, ex iure nouo ab apertura tabularum. Vtimur autem iure antiquo ex constit. Iustiniani. sunt tamen quædam legata, quæ ab aditione cedunt, vtputa vsus, vsusfructus, habitationis, & eorum quæ in heredes non transmittuntur, libertatis, & id quod seruo manumisso vel legato relinquitur scripto, scilicet herede voluntario, non necessario: & ad ea quidem legata regula Catonis non pertinet.

Habebat olim in se condicionem.] Legendum vt in vet. *habebat in se tacitam condicionem.*

Optasset.] Vet. *optauerat.*

Siue plures.] Vet. *vt siue plur. leg. existant.* & paulò post, *siue vnius leg. plur. heredes & inter se.*

In matrimonium dederit.] Om. vet. cod. *dederit,* id est, collocauerit. & paulò post, *designati erunt.* E

Quia placebat.] Ex lege Fusia Caninia.

Qui natus inter.] Vet. libri, quos etiam secutus videtur Accurs. *qui natus inter suos heredes testatori futurus non est.* Alieni igitur sunt hi, qui sui non sunt aut inter suos. Proinde ex emancipato filio conceptus nepos alienus est. quia cognatus nō suus. vt not. in l. postumus. D. de inoff. test. Item fratris filius quia legitimus non suus. l. penult. D. de legat. lib. 1. eadem ratione postumus matri alienus est postumus. Item qui in vtero est nurus filij eius qui in adoptiua familia est, quia cognatus. l. 1. §. si filius. D. de vent. in poss. mitt. Quod si postumi legitimi vel cognati, alieni sunt postumi, & hi multo magis sunt alieni qui neque legitimi sunt neque cognati: vtputa qui sunt in vtero eius quæ vxor nostra non est vel esse non potest, quos omnes hæc Iustiniani definitio complexa est. Qui natus, inquit, inter suos heredes testatori futurus non est, id est qui suus non nascitur. F

Extraneus. Ergo alienus & extraneus εἰς ταὐτὸν φέρουσι. In l. tamen extraneo. D. de ven. in poss. mitt. extraneus est is qui neq; legitimus neque cognatus est: nam legitimus vel cognatus omnino mittitur in possessionem, & non tantùm si instituatur, sed etiam ab intestato succedit.

Cùm in nostro Codice.] Extat in lib. v 1. Codicis tit. ad S. C. Trebel. & de incertis personis. Sub eo tamen nihil de incertis personis agitur. sed is tit. ita diuidendus est, vt præcedat tit. De certis personis: sub quo vetustissimo in Codice manu scripto hæc adnotata inueni. *Iste titulus vnam constitutionem habet Iustiniani totam græcam, quæ tenet folia octo, id est, quaternionem vnum.* Tum deinde sequitur tit. ad S. C. Trebellianum.

Antea poterat.] Iure prætorio non iure ciuili. §. 1. j. de bon. poss. l. postumus. D. de inoffic. test. G
l. 1. §. si filius. D. de ven. in poss. mitt.

Falsa causa adiecta.] Non est, *adiecta.* in lib. vet. & in versic. sub condicione, non est, *seruo.*

Nam & si statim.] Eadem propemodū inspectio est in l. si optio. D. de opt. leg. Item in l. quæsitum. §. 1. D. de legat. j. quæ citatur in l. Iulianus. D. de cond. & dem. Ceterùm in proposita specie dies

legati

A legati cedit à morte.l.à filio.D.de legat.1.& vtile est legatum dum pendet aditio hereditatis. In illis nisi dies cederet ab aditione, si statim testator decessisset, inutilia forent legata.

Pœnæ quoque nomine inutiliter antea.] Non est, *antea.* multa alia ad hunc tit.pertinentia notauimus apud Vlpianum.

DE ADEMPTIONE LEGATORVM ET TRANSLATIONE.

Sed aliis.] Vet. *id est, alijs* & superius non sunt illa, *sed &c.*

DE LEGE FALCIDIA.

B Qua modus.] Hinc in l.quod condicionis. D.de don. caus.mor. emendandum est, *modo legatis concesso.*

Vti quisque.] Additus fuit articulus *quisque.* nam certè ita lex concepta fuit, Paterfamilias vti legassit super pecunia tutela'ue suæ rei, auctore Cornificio.

Lex Voconia.] Lege Voconia multa continebantur. Vt ne quis census plus cuiquam legaret quàm ad heredem perueniret. cuius rei auctor est non Th. modò, sed etiam M.Tullius in III. act. in Verrem. Vt ne vltra consanguineos feminæ ab intestato succederet, auctore Paulo lib. IIII. sent. Vt ne quis census mulierem heredem faceret vltra quadrantem, siue, vt Dion scribit lib. LVI. ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας. id est, vltra XXV. millia sestertiûm, quæ quarta pars est bonorum eius qui census dicitur. ex quo etiam apparet censum dici eum qui centum millia sestertiûm possidet, vt in l.Pa-
C pia.§.sed nostra.ǰ.de success. liber. quod etiam Ascon. Pedianus adnotauit. Inde verò idem Dion rectè scribit instituta Liuia ab Augusto ex triente, impetrasse Augustum à Senatu, vt tantundem ei liceret παρὰ τὸν νόμον καταλιπεῖν. ex quo apparet quod de lege Voconia à Quintiliano traditur Declamatione CCLXIIII. vt ne mulieri plus quàm semissem relinquere liceat, vt in scholasticis exercitationibus fere fit, ab Quintiliano esse confictum.

Exhausta sit legatis.] Legata quæ dodrantem excedunt, hereditatem onerare dicuntur. quæ assem absumunt, exhaurire. quæ dodrantem non excedunt, delibare. Igitur per legem Falcidiam delibari hereditas potest non onerari, non exhauriri.

Liceat, vt quartam.] Rectius in lib.vet. *licere placuit vt quartam partem suæ partis saluam habeat, posse retinere.*

D Cùm autem.] Deducto ære alieno & si quid est aliud æris alieni loco, deducta funeris aut monumenti necessarij impensa, deductis libertatibus, deductis deorum donis, & generaliter deductis his omnibus quæ Falcidiam non patiuntur, & quæ extra bona defuncti esse censentur, id quod superest pro dodrante & quadrante diuiditur inter heredem & legatarios. Quod diximus de Deorum donis, Paulus scribit lib. IIII. sent.de S. C. Pegas. vt & idem videatur non improbabiliter in l.1.§.ad municipum.D.ad leg.Fal. scripsisse, *non etiam ea.*

Tunc demum.] Vet. *tunc deinde.*

DE FIDEICOMMISSARIIS HEREDITATIBVS.

E Additur contra antiquorum librorum fidem, *Et ad S. C. Trebellianum,* in impressis.

Sed prius est vt.] Vet. *& prius.*

Quibus enim non poterant.] Quod tamen hodie cum fideicommissa sint iuris extraordinarij, siue, vt Iustiniano placet, ordinarij in fraudem legum fieri certè nullo modo potest.

Ex testamento poterant hereditatem.] Abest vox *hereditatem,* à libris scriptis.

Per ipsius.] Vet. *per Augusti ipsius.* hoc verò est cum iureiurando rogare. l.cùm pater.§.filius. D.de legat.lib. II. siue ἐν ὅρκῳ.l.2.C.com.de legat. vt & si quis per deum rogaret.l.3.D.de iu.fisci.

Prætor proprius.] Eius autem vice in prouinciis præsides de fideicommissis cognoscebant. l.cùm etiam.C.de reb.cred.

Vtiles actiones.] Potuit Senatus fideicommissarium heredem facere.§.quos.ǰ.de bon.poss.
F at quia heredem eum non fecit, & de transferendis tantùm actionibus cauit, ideo heredi & in heredem directæ, fideicommissario & in fideicommissarium vtiles dantur tamquam in heredem. §.ergo.ǰ.

Partitio.] Ostendi ad Vlpian.tit.de legat.de hac partitione accipiendam esse.l.nomen.§.partitionis.D.de verb.signific. Moneo de eadem accipiendum esse quod de partitione Cic. scribit II. de Legib. hoc sensu. Legatarium partiarium alligari sacris cum quo scriptus heres hereditatem partiri & diuidere iussus est, nisi adiectum sit, deductis C.nummis. At deductione in testamento non scripta, eum etiam sacris liberari si minus ceperit, quàm heredi relinquatur.

Vel repetere solutum.] Bene, quasi ex Trebelliano, id est, ignorans legem Falcidiam interuenire. nam si quasi ex Pegasiano, repetitio cessat: nec enim videtur indebitum soluisse, qui plenam
G defuncto fidem exhibet.

Pro rata portione.] Deducto ære alieno hereditas diuiditur inter heredem & legatarios. Nulla fit deductio inter heredem & fideicommissarium. Igitur priore casu, heres omnia sustinet onera: posteriore, pro sua quisque parte. Onera inquam creditorum. An & legatariorum? Hæc verò onera ad solum fideicommissarium spectant, qui tamen quartæ retentionem non habet. Hæc ita

ita si heres totam hereditatem restituere rogatus sit, non si partem. l. 2. C. ad Trebell. l. 1. §. si is qui A
cccc. D. eod.

Quæ quartam continet.] Quod si plus quarta contineat, heres etiam legatariis in id tenetur quod quartam excedit, videlicet si plus legatariis debeatur, quàm ad fideicommissarium peruenerit.

Et ideo. D. Aug. ad nec. iuris ea retraxit.] Quid. cod. *ea detraxit.* Legendum autem est, *eadem traxit.*

Vir excellentissimus.] Vet. *vir excelsus.* Vir excelsus, magnificus, illustris, idem sunt.

Postquam negauerit. Hæc non sunt in lib. vet.

Recurrat. Vet. *decurrat.* fauor est hic magnus fideicommissorum in codicillis relictorum, vt omnimodo præstentur ab herede qui fateatur se rogatum, etiam si nullus fuerit adhibitus testis, vt B
inficiator iurare compellatur, vt recusans iurare pro confesso habeatur.

DE SINGVLIS REBVS PER FIDEICOMMISSVM RELICTIS.

Quoad.] Vet. cod. *quis.*

Velut ex suo testamento.] Et hoc nimirum est directo, siue recto iure. Legata ex ipso testamento, fideicommissa ex fide heredis pendent. vt rectè Sudas legata definierit τὰ ἐν διαθήκαις, fideicommissa τὰ ἐν πίστει καταλιμπανόμενα ὑπὸ τοῦ μέλλοντος τελευτᾶν. Illa igitur sunt directa, hæc non item.

Volo, mando.] Volo, id est, cupio. Mando, id est, committo. hæc verba imperatiua non sunt, C
sed precaria.

DE CODICILLIS.

Esse cœperunt.] Non est, *esse.*

Deinceps reliqui.] Reliqui coheredes Augusti.

Legata quæ iure.] In codicillis testamento confirmatis directò heres scribi non potest, legata tamen in eis & tutelæ & libertates relinqui possunt. quo igitur ait filiam Lentuli legata ipso iure non debuisse? nempe quia ius codicillorum nondum erat receptum.

Sapientes uiros.] Vet. cod. *prudentes inter quos Trebatium quoque.*

A uoluntate.] Et hoc quidem ad Papinianum Tribo. appinxit in l. ante tabulas. D. de iur. cod. D
quod nec Paulum admisisse indicat. l. impuberem. §. qui codicillos. D. de lege Corn. de fals.

Neque adimi.] Quod fit per exheredationem.

Nec exheredatio.] Eorum scilicet qui heredes scripti sunt. Eorum verò qui heredes scripti non sunt exheredatio nulla est nisi suorum numero sint.

AD LIB. III. INSTITVTIONVM DN. IVSTINIANI.

E

DE HEREDITATIBVS QVÆ AB INTESTATO DEFERVNTVR.

IN vetustissimo & probatissimo Codice quo in conscribendis his notis vsus sum frequentissimè sic habetur: *Dn. Iustiniani perp. A. Institutionum compositarum per Tribonianum virum magnificum magistrum & exquæstorem sacri palatij, & Theophilum & Dorotheum* v v. *illustres & antecessores incipit tertius. De heredit. quæ ab intest. def.* Hic autem tit. pertinet ad totam materiam intestatæ successionis. specialiter autem sub eo de suorum dumtaxat successione tractatur, eiusq; summa hæc est: Suos heredes nobis esse ex XII. tab. legitimos filios vel naturales factos legitimos. In suorum linea vlteriorem à proximiore non excludi. Vlteriorem vice sui patris admitti. Inter suos heredes à prætore vocari emancipatos, non etiam eos, qui sunt in adoptiua familia. Inter suos heredes ex constit. vocari F
nepotes ex filia & deinceps ceteros.

Prognatus prognata'ue.] *Pronepos proneptis'ue ex nepote ex filio nato progenitus progenita'ue.* vnde & in l. lege Iulia. D. de ritu nupt. sic legendũ est, *pronepos'ue ex nepote ex filio nato:* & paulò post. *proneptis'ue ex nepote ex filio nato nata.*

Nuptiis vel.] Hæc oblitteranda sunt auctoribus lib. scriptis.

Cur his tamen ciuitatum.] Dari autem possunt etiam extantibus iustis filiis. Sunt enim in l. 3. C. de nat. lib. temerè ab aliquo addita hæc verba, *Naturalem dumtaxat fœcunditatem sortiatur,* ex ipsa No. j. Theod. de bo. decur. contra l. communium. C. de nat. lib. quæ meritò fuerant ab Triboniano prætermissa, vt auctores sunt omnes libri scripti. Memini eodem modo in l. 2. C. quan. & quib. quart. pars deb. ex No. 2. Theod. de bo. decur. perperam addita fuisse verba hæc, *Et optionis condicio in* G
efferendis rebus quartæ partis vel dodrantis, quæ absunt ab omnibus libris scriptis. & meritò: cùm eius optionis in l. 2. nulla mentio ante habeatur. At ibi etiam in eo peccatum est, quod cùm in No. Th. post illa verba, *Quartæ partis*, spatium relictum esset, suppleuere, *vel dodrantis*, hæc scilicet potius cùm supplenda essent, *sine eius pretio.*

A Filius in potestate eius sit.] Quippe cùm mortis tempore is nepotem gradu præcedat.sed & illud necessarium est,vt nepotem in hereditate præcedat.l.scripto.D.vnde lib.§.cùm autem.j.

Sui autem.] Vet. cod. *sui autem etiam ignorantes heredes fiunt.*

Hereditatem aui.] *Aui.* abest à vet.lib.

In parentis.] Vet. *in patris.*

Hac ratione si filius.] Liberi qui sunt in familia,si primum gradum obtinent,sui heredes appellantur,dummodo vt in gradu ita in hereditate præcedant. In hac igitur specie filius nepoti non obstat: quoniam post mortem filij,testamentum destituitur.Ceterum non destituto testamento filius nepoti obstat. l.scripto. Vnde lib.l.si quis filio. De iniust.rup.test. ideoque nepos testamentum quasi successione non rumpit: quia non nisi post mortem testatoris ius filij exheredatione abscis-
B sum fuit.l.filius.§.videamus,in fin.D.de bon.possess.contr.tabul.l.1.§.post suos.D.de suis & leg.her. At si filius præteritus qui est apud hostes, in eo statu decedat,nepos testamentum rumpit. Ius enim filij non fuit hoc casu moriente testatore abscissum , sed pependit.l.illa.§.1.D.de hered.instit.& hæc est sententia.l.si quis postumos.§.si filium.D.de lib.& postum.

Hac ratione si filius.] Huic similis alia species ponitur in l.1.§.sciendum.D.de suis & leg.her. cui Pap.in l.vlt.D.de cond.instit.hanc videtur coniunxisse his verbis, *quemadmodum si exheredato, &* quæ sequuntur: quæ tamen Papiniani sententia valde amputata aut certè deprauata est.

Attigit.] Vet. *tetigit.* & paulò post, *inter liberos auo.*

Cùm non sint sui.] Non est, *sui.* Sententia hæc est: Cùm heredes esse non possint quasi sui vel quasi agnati,quòd liberi qui non sunt sui,certè nec agnati sunt.l.scripto.Vnde lib.l.de bonis.§.1.
C de Carb.ed.denique cùm non sint quantum ad hereditatem liberi,nec quantum ad bon.possessionem quæ iure proximitatis defertur,cognati sunt.

Emancipato.] Non est, *vno.*

Et solus suus heres.] Legendum vt in vet. *id est, solus suus heres est,* & paulò post, *pro parte fiat.* quod est ἀδιαίρετον.

Et quantum ad hunc adoptiuum patrē pertinet.] Tria posteriora verba absunt à vet.lib.

Emancipati fuerint.] Vet. *emancipati sunt,* & paulò post, *id est, qua cognati.*

Seruamus.] Vet. *seruauimus.*

Pronepotes,qui ex neptibus.] Vel ex nepotibus ex filia natis.

Tam in aui uel proaui materni.] Auus maternus respicit nepotem ex filia natum:Proauus
D maternus respicit pronepotem ex nepte ex filio vel filia nata. Idem tamen dicendum est in proauo paterno,qui respicit pronepotem ex nepote ex filia nato.

Quam in auiæ vel proauiæ.] Auia materna respicit nepotem ex filia natum,Paterna nepotem ex filio. Proauia paterna pronepotem ex nepote ex filio filia'ue nato natum , Materna pronepotem ex nepte ex filio filia'ue

Eundem gradum.] Id est suorum heredum.

Aliquid sit eis.] *Eis*, id est, filiis filiabusque, qui quæ'ue ad successionem patris vocantur ex XII. tab. Item filiis filiabusq; qui quæ'ue ad successionem matris vocantur ex S. C. Orfitiano. Item nepotibus neptibus'ue ex filio, qui quæ'ue ad successionem aui paterni vocantur.vt sit, inquam, eis amplius aliquid quàm nepotibus ex filia iam mortua venientibus ad successionem aui materni, aut
E nepotibus ex filio vel filia ad successionem auiæ paternæ vel maternæ,aut pronepotibus ex nepote ex filia nato ad proaui paterni , aut pronepotibus ex nepte ex filio filia'ue nata ad proaui materni, aut pronepotibus ex nepote ex filio filia'ue nato ad proauiæ paternæ , aut pronepotibus ex nepte ex filio filia'ue nata ad proauiæ maternæ. quos omnes Constitutio vocat inter suos.

Veteris iuris.] XII. tab.vel S. C. Orfitiani.

Portionem nepotum.] Nepotum ex filia si quæratur de hereditate aui materni. Item nepotum ex filio vel filia,si quæratur de hereditate auiæ paternæ vel maternæ.

Vel deinceps.] Vt pronepotum ex nepote ex filia nato,si quæratur de successione proaui paterni & ceterorum de quibus superius dictum est.

Quam mater eorum.] Cùm defunctus est auus maternus de cuius successione nunc agitur.
F Vel auia.] Cùm defunctus est proauus maternus , auiæ maternæ pater , de cuius successione nunc pronepos litigat.

Fuerat acceptura.] Mater de hereditate patris defuncti , qui est ad nepotes ex filia auus maternus: auia iam mortua post filiam suam de hereditate patris,qui proauus maternus est ad pronepotes ex nepte ex filia nata. & sic intelliguntur hæc,quando masculus mortuus est , cuius de hereditate agunt ij,qui ex filiabus & nepotibus nati sunt.

Vel pater eorum.] Cùm quæritur de auiæ paternæ hereditate,addendum videtur, *vel mater eorum*: atq; ita Th.legit,cùm similiter auia materna defuncta est,cuius defuncta matre nunc hereditatem nepotes sibi defendunt.

Vel auus paternus.] Cùm proauia mea paterna mortua est.
G Siue maternus.] Cùm proauia materna defuncta est.His adde, *vel auia paterna siue materna.*

Quando femina mortua sit.] Id est, auia vel proauia. Supra quando masculus, id est, auus vel proauus mortuus est. Cùm de hereditate masculi quæritur,multū distant qui per virilem sexum ab his qui ex feminis descendunt.nam illi ex XII. hi ex constitutionibus vocantur.Cùm de hereditate feminæ,eodem omnes iure vocantur.

Ex cuiusdam.] L.si defunctus.C.Th.de leg. her. ex qua etiam trientis deductio fit. Quadrantem tollit in hoc §.Iustinianus:sed & trientem tollit in No.18.& 118.idq; Græci ad Theophilum adnotarũt,aut idem ipse Th.in extremo huius §.vt & in tit.quib.mod.test.inf. de ratione mutati quadrantis Falcidiani,auctore Viglio Zuichemo. A

Antiquitas.] Lex XII. tab.l.3.C.de suis & leg.her.

DE LEGITIMA AGNATORVM SVCCESSIONE.

Vel constitutiones.] Naturales, qui ex constitutionibus redacti sunt in potestatem patris, sui sunt,& hoc est quod Iustin.ait in tit.prox. Quibus connumerari,&c. id enim est suis connumerari, idemq; ipsius titul. ordo indicat. nam vsque ad §.emancipati. de suis tractatur ex XII. tabul. B deinde de his quos Prætor vocat inter suos: tum in §.item vetustas.de his qui ex constit. vocantur inter suos, cuiusmodi sunt nepotes neptes'ue ex filia, pronepotes proneptes'ue ex nepte ex filio filia'ue nata,vel ex nepote ex filia nato:non etiã naturales facti legitimi: quo in errore est Theoph. in tit.de success.cogn.

Existat qui successionem.] Vet.cod. *extat & successionem.*

Agnatum proximum.] Sui heredes,sunt etiam agnati.l.filius.de suis & leg.her. l.I.C.§.1.de grad.& adfi.l.de bonis.§.huic autem.de Carb.ed.sed differentiæ causa separantur sui ab agnatis. In ordine suorum non seruatur gradus prærogatiua: quod secus est in ordine agnatorum. Hi diuidunt hereditatem in capita,illi in stirpes. In his habetur discretio sexus, in illis non item. Hi fiunt heredes aditione,illi existunt. His capite deminutis nõ datur bon.possessio Vnde legitimi,illis tunc C etiam datur bon.possessio Vnde liberi. Agnati & sui dicuntur etiam legitimi.

A patre connati.] Vet. *à patre cognati*, id est,per patrem,sic & in §.1.de leg.agn.tut.

Qui & consanguinei.] Semper in libris nostris consanguinei sunt fratres sororesq; ex eodem patre, licet non eadem matre: Vterini verò non sunt consanguinei. denique consanguinitas est fraternitas:nec vllo in loco aliter hoc verbum vsurpatur.

Quin impropriè.] Legendum est, *quin hi propriè*.l.1.§.vlt.D.de suis & leg.hered.l.2.§.sed etsi ipsa.D.ad S.C. Tertyllia.

Ex ceteris agnatis tuis.] Vet.lib.non habent, *tuis*. Si quis igitur ex ceteris agnatis adoptauerit aliquem,non dubitatur eum inter suos agnatos connumerari.

Quod ad feminas verò attinet.] In vet.lib.non est, *attinet*. D

Exæquantes.] Quid. cod. *exequentes.* Hæc igitur est ex XII. tab. & constit. Iustiniani legitimorum definitio,Legitimi sunt agnati vtriusq; sexus,siue natura siue adoptione quæsiti sunt.Ex lege Voconia,Legitimi sunt agnati virilis sexus,quod ego latius exposui in notis ad Vlpianum.

Hoc etiam.] Ex constitutione Iustiniani inter legitimos vocantur sororis germanæ vel vterinæ filij tantummodo & filiæ, vel soli vel vnà cum consobrinis, quibus ipsi sunt amitini: videlicet si nulli extent defuncto consanguinei aut vterini, quod tamen in No.118.omnino aliter distinguitur. Sunt verò hæc omnia in ea No.temerè addita, καὶ ἀδελφοπαίδων,item, ἢ ἀδελφόπαιδες: item, ἀλλὰ καὶ οἱ ἀδελφόπαιδες τὴν μοῖραν τοῦ ἰδίου γονέως λαμβάνουσιν: & paulò post, ὁμοίως δὲ καὶ ἀδελφόπαιδες. nam etsi ex ea fratrum filij cum fratribus succedant, non tamen succedunt cum parentibus fratribusq; : non ex ea inquam sed ex 127. Denique Bulgarus Iulianusq; patricius Nouellarum interpretes ea verba non agnouerunt. E

Sed in capita.] Inter ipsorum fratrum filios nullis aliis cõcurrentibus.quod à Iustiniano abolitum non est.

Vsa lex XII. tab. In vet.lib.non est, XII. *tab.* sed intelligitur tamen.

Qui contracta fiducia.] Fiducia est redhibendi aut reuendendi lex venditioni apposita.Igitur in emancipatione filij, tunc pater contrahit fiduciam cùm vendit eum interposita reuendendi aut remancipandi fide: atque ea re quidem is, qui ea condicione emit, pater dicitur fiduciarius. Hanc verò legem pater naturalis interponit, vt sibi ex ea filius reuendatur atque ita à se manumittatur, & per manumissionem vt sibi iura legitimæ successionis adquirantur, auctore Caio lib.1. Instit.alioqui manumissione emptor legitimus heres fieret. fiducia igitur lex est redhibendi aut reuendendi vt in l.2.C.de pac.int.emp.& vend.vel empti serui manumittendi,vt in l.4.§.si ab ignoto. F D.de manumis.l.3.D.de obseq.à lib.præst.Lex denique commissoria exemplum est fiduciæ,id est,fiduciarię emptionis aut fiduciarij pignoris:& ideo Paulus lib.2.sentent.sub tit.de lege commiss.non nisi de fiducia & actione fiduciæ tractat. Ceterùm hodie fiduciaria emptio rectè fit, *id est*, sub lege commissoria, non etiam fiduciarium pignus l.vlt. C.de pact. pign. quod tamen ante eam constitutionem & ex Cicerone & ex Paulo & ex Isidoro æque probatum fuisse constat.

Omnino.] Vet. *omnimodo.* Ergo ex constit.Iustiniani inter legitimos vocantur qui non contracta fiducia emancipauerunt.& superuacua est bon.poss.Vnde x. personæ.

Apud veteres.] Libri scripti, *apud antiquos.*

DE S. C. TERTVLLIANO. G

D.Hadriani.] Id est.D.Pij,Tertullo & Sacerdote Coss.sic in l.Acceptis.D.ad leg.Falc.l.deducta. §.nummis. ad Trebellian.coniuncta l.in quartam. ad legem Falcid. sic in l.si de vi. de iudic. coniuncta leg.5. de vi pub. sic epistola D. Hadriani de diuidenda actione ex stipulatu vel mandati, id est,

A id est, D.Pij. l.si testamento. §.quod si duo.D.de fideiuss. quam appellationem D. Pius sortitus est adoptionis iure.

Non etiam auiæ.] Vt ex constitutionibus nepos neptis'ue auiæ succedit, ita miror cur ante Iustinianum non extiterit constitutio aliqua quæ auiæ mutuam successionem daret.

Mater ingenua.] Ingenua vel ciuis vel Latina ius Quiritium consecuta: item libertina. Latina ingenua & Latina libertina non consecuta ius Quiritium ex S. C. Tertulliano non succedit. auctor Paul.lib. IIII. sent.Latina ingenua est quæ nata est ex Latinis libertinis.

Qui sui sunt.] Ergo liberi, qui in adoptionem dati sunt, matrem non excludunt: nam neque sui sunt, neq; bon.possessores. quin potius ipsi excluduntur à matre. nam matri vnde legitimi, ipsis vnde cognati datur. enimuero ex decreto D.Pij matrem excludunt, ne quasi legitima succedat & simul cum matre ex illa parte vocantur, qua cognati: quàm si non admittant, mater succedit in eorum locũ quasi legitima. atq; ita fit vt edicto Vnde cognati succedat edictum Vnde legitimi. l.2. §. sed si quis decesserit.D.eod.tit.id quod etiam contingit in specie §.si sit consanguinea.ead.l.

B

Sed & filiæ suæ.] Filia quæ ex S. C. Orfitiano admittitur, præfertur auiæ quam S. C. Tertyllianum vocat: quod & de nepte traditur & proauia.l.1.& 4.C.de S. C. Orfitiano.l.si matre. C.de suis & leg.lib.

Ex constitutionibus.] Ex S.C. Tertulliano mater vocatur propterea quòd filia suus heres non est aut sui loco. Rursus filia ex S. C. Orfitiano. Id verò dissidium ex constitutionibus sedatum & compositum est.

Pariter cũ matre.] Et mater filiæ pro dimidia, filio pro virili succedebat.l.2.C.Th.de sec.nup.

C Onerata.] Ostendi in notis ad Vlp.tit.vlt.legendum esse, *honorata.*

Fratribus & sororibus.] Vet.fratri & sorori.

Sed cùm antea constitutiones.] Constantini & aliorum.l.1.2.7.C.Th.de leg. her. quarum sententia hæc est, Vt mater quæ liberis honorata non est, cum agnatis filio filiæ'ue ex triente succedat: vt quæ liberis honorata est, trientem aspergat fratri cognato (nam frater agnatus matri præfertur) vel patruo eiusq; filio, vel nepoti, non vlterioribus. Contrà verò Iustin. matrem in solidum ad hereditatem filij vocat, nisi concurrant sorores, quibus dimidiam partem relinquit ex iure antiquo, vel fratres soli aut cum sororibus cum quibus pro capitibus hereditatem diuidit: nec interest agnati fuerint an cognati, habuerit ipsa ius liberorum an non habuerit. Mortuo filio emancipato & concurrente patre mater excluditur ex S. C. Tertulliano. Rursus pater excluditur à filijs suis

D emancipatis fratribusq; defuncti. sed ex constit.Iustiniani, id est, l.vlt.C.ad Tertyl.hoc casu patri matriq; datur vsusfructus ex besse. Mortuo autem filiofa. fratribus emancipatis sororibusq; & matri secundum prædictam distributionem proprietas: patri vsusfructus, quo & superstite filio vsus est, conseruatur. Quòd si fratres concurrant non emancipati, siue defunctus fuit emancipatus, siue non, bona fraterna ex constitutione l.cùm oportet. C.de bon.quæ lib.adq.& l.de emancipatis. C.de suis & leg.lib.quæ legem vlt.C.ad Tertyl.consecuta est, patri adquiruntur vsusfructus iure. Aequum igitur erit concurrente matre virilem ei, aut dimidiam portionem proprietatis dari. Sed hæc omnia mirum in modum perturbantur in Nouellis Iustiniani.

DE S. C. ORFITIANO.

E

Hoc S. C. filius succedit matri, &, quamuis matri cognatus sit non agnatus, matris tamen agnatis præfertur. eius auctores fuère D.Marcus & Commodus oratione in senatu habita, aut per candidatos recitata.l.sacratissimi.D.ad Tertyl. Aliud verò eius S.C. caput refertur à Paulo lib.IIII.sent. ad leg.Caniniam. Cassiodorus in lib.de Consulibus. Orfito & Rufo Coss. inquit, Impp. ne quid bonitati deesset, seueriores quasq; leges nouis constitutionibus temperarunt.

Postea hoc constitutionibus.] Valentiniani, Th.& Arcadij cum deminutione certæ partis, vt dictum est in §.item vetustas.

Et licet antè decesserint.] Vet. *& licet antè decesserunt quàm adierint.* legendum tamen est, *quàm adcresceret.* vt in l.si ex pluribus.

F

DE SVCCESSIONE COGNATORVM.

Non etiam liberis.] Immò ex constit.Iustiniani etiam filiis.l.vlt.C.de leg.her.

Cum aliqua deminutione.] Vt ecce si vnus sit frater integri iuris, alter emancipatus: integro datur bes, deminuto triens. si duo sint emancipati, vnus integri status, huic semis, illis singulis quadrans. si duo integri, vnus deminutus, huic sextans duella & duellæ quarta pars, illis dodrans duella & alterius duellæ reliquũ. Semper enim id exigimus, vt singuli integri duabus partibus amplius habeant, quàm emancipatus: sed hæc deminutio à Iustiniano sublata est.

Proximitatis nomine.] Hoc proprio nomine cognatio naturalis significatur: namque in ea sola proximitas spectatur. In suorum, in agnatorum ordine, non quis sit proximior, sed quis suus,

G quis agnatus spectatur: ac sæpe fit vt proximiorem suus vel agnatus excludat. §. repetitis. §.vlt.J. tit.prox.

Sicut & matri cognati sunt.] Vet. *sicut ex matre cognati sunt.* Sensus hic est, eos inter se cognatos esse, sicut ex illis qui per matrem coniunguntur, cognati sunt. Agnati sunt ex patre cognati: Cognati sunt ex matre cognati.

Vsque ad sextum.] Et ideo Vlp.in tit.de sol.capac.si cognati inter se coierint vsque ad sextum A
gradum.& Pap.in l.octaui.Vnde cog.Octaui gradus agnato deferri bon.possess.vnde legitimi,etiam
si lege heres non extiterit,vtputa si hereditatem non adierit,aut se pro herede non gesserit.eidem'vt
proximo cognato non dari,vnde cognati,etiam si se pro herede gesserit. nam vltra sextum gradum
ne agnatis quidem ipsis,qui etiã heredes extiterint,quasi cognatis bon.poss.deferri potest.

DE GRADIBVS COGNATIONVM.

Vet.libri, *De gradibus cognationis*, & ideo j. *Agnationis quoque gradus*, inquit.

Qui græcè πατράδελφος.] Vet.libri. πατρῷος, & paulò post μητρῷος, non μητράδελφος. ab-
sunt autem illa verba, quæ Græcè πατραδέλφη appellatur : quæ Græcè μητραδέλφη dicitur : non ta-
men illa,quæ in plerisq; impressis desunt, vel apud quosdam Τηθίς appellatur. Vet.libris suffragatur B
Græca conuersio Theophili.

Amitæ tuæ filij.] At quis sit matruelis in l.1.D.de l.Pomp.de parricid.dubitatur. An mater-
teræ filius? Consobrini autem & consobrinæ appellatione in ea lege continebuntur ex fratre & so-
rore filij.nam etsi auunculi filius mihi sit consobrinus,ego illi amitinus,vt Iustin.refert & Paulus lib.
IIII. sent.eod.tit.(in quo,vt hoc in transcursu dicam,error est dum ait, *id est, auunculi & materteræ,*
nam abundant hæc, *& materteræ*) possint tamen inter se amitini appellari auctore Caio in l.1.de
grad.& adf.& Paulo in l.1.C.eod.& Nonio Marcello. Amitini,ait Nonius, fratrum maris & fœminę
filij, patrueles marium fratrum filij. Possint & eodem modo confusis appellationibus inter se con-
sobrini appellari.Igitur non malè Donat.in Terent.Cùm,inquit,de fratre natus est alter, & alter ex
sorore,consobrini:cùm ex fratribus,patrueles dicuntur.Sunt & consobrini quidam in sexto gradu, C
hi sunt patruelium , consobrinorum, amitinorum filij : & hoc est quod Paulus ait in l.I.C.sororum
fratrumq; meorum nepotes neptes'ue, item mei inter se consobrini sunt.& lib.IIII. sent. Propio-
ris,inquit,sobrini filius filia qui consobrini appellantur. & paulò post,in VII. gradu constituit con-
sobrini filios filiasq;,id est,sobrino natos natasq;.hi ab Theophilo in hoc tit. μείζονες κονσοβρῖνοι vo-
cantur,& simpliciter consobrini in §.vlt.de suc.cog. Propriè autẽ sobrini dicuntur & sobrinæ.l.3.D.
de grad.& adf.quæ appellatio à plerisq; etiam matruelibus tribuitur.Spartianus in Hadriano Traia-
num consobrinum patris Hadriani,ipsius quoq; Hadriani consobrinum vocat:quem nos propius,
vel propiorem , vel propriorem sobrinum sobrinam , aut propiorem sobrino sobrina omnimodo
rectè,Th.proprius cõsobrinum consobrinam,& Sex.Pompeius in ver.Sobrinus. Est igitur propior
sobrino sobrina patris mei consobrinus consobrina, ego illi sum consobrini filius filia.& hoc Pau- D
lus indicat in l.I.C.§.quinto.vers.personæ.& vers.his omnibus quos à patrui nepote.Hinc emédan-
dum est quod Tacitus lib. XII. scribit in hunc modum : *Quia Lepida minore Antonia genita auunculo
Augusto, Agrippinæ sobrina prior ac Cnei mariti eius soror.* & pro *minore* legendum , *maiore* : auctore
Suetonio in Nerone cap. V. & pro *sobrina prior, sobrina proprior.* fuit enim Lepida Germanici patris
Agrippinæ consobrina,Germanicus ex Antonia minore,Cn.Domitius & Lepida ex Antonia maio-
re. Sed tamẽ,vt confusa est vtrinq; amitini & consobrini appellatio,quẽadmodum superius dictum
est, ita factum est vt propiori sobrino ego etiam vocer propior sobrinus. Sext. Põpeius. Propius so-
brino mihi est consobrini mei filius & patris mei consobrinus.Non malè igitur in l.2.C.vnde legit.
Cùm propiorem sobrinum , id est, natum à consobrina. Idem verò Sex. rectissimè ex Aelio Gallo tradit
sobrinum esse consobrini patris mei filium & consobrinæ matris meæ filium. Sobrini autem mei E
filius qui septimo gradu est, mihi sobrino natus est,ego illi patris sui sobrinus, ipsi inter se sobrino-
rum filij se inuicem sobrinis natos appellant. nam vltra sobrinos nõ est cognationis nomen, id est,
vltra sextum gradum.l.I.C.§.pen.vbi Trebatij auctoritate vtitur.Vt autem consobrini,amitini,pro-
pius sobrini confusam permixtamq; appellationem fuisse ostendimus, ita ex l.I.C.§.pen.vers. amitæ
magnæ, constat quemadmodum sobrini mei filius mihi est sobrino natus, ita patris mei sobrinum
mihi esse sobrino natum. ait lex, *ipse autem iisdem sobrino sobrina'ue natus,* id est, is cuius de cogna-
tione quæritur patrui magni & aliorum pronepotibus.

Item propatrui.] Om.lib.scrib.his omnibus carẽt,ipse etiam Theophilus.Igitur sic legamus,
id est,abauiæ frater & soror,item sobrini sobrinæq;,id est, &c.

Generata.] Vet.*generata quaque*. vna quæque generatio,vel successio gradum efficit.Affinium F
nulli sunt gradus , quia nec alij ex aliis gignuntur , nec successione veluti quadam inuicem nectun-
tur : vt ecce qui ex genero nascitur,affinis non est,sed cognatus : ideoq; in l.iurisconsultus.existimo
legendum, *Iurisconsultus cognatorum gradus & adfines* : vt in inscriptione legis,& in ipso titulo.

Agnationis.] Vt sex cognationis gradus numerantur, ita agnationis gradus,qui penè in infi-
nitum extenduntur. Qui septem numerant cognationis gradus,hoc ideo faciunt , quia ex septimo
gradu cognationis iure vocatur sobrino sobrina'ue natus.

Sed nostra constitutione.] Ex hac constitut. filij naturaleis, id est, vel in seruitute , vel post
libertatem vulgò quæsiti , inter legitimos vocantur. Aut verò liber ex ancilla propria vel aliena,aut
libera ex seruo proprio vel alieno,aut seruus ex ancilla liberos suscipit. Primo casu manumissa an-
cilla cum natis , nati non succedunt matri ex Orfitiano , quia nec cognati quidem sunt , sed ex hac G
constitutione. patri autem non succedunt nisi is cum matre dotalia instrumenta conficiat:quo casu
non ex hac constit. sed ex XII. tab.vocantur tamquam sui.rursus post libertatem nati matri non ex
hac constit. sed ex S.C.Orfitiano succedunt. sed tamen vtriq; simul vocãtur,in seruitute suscepti ex
hac constitutione,in libertate ex Orfitiano. Secundo casu matri,sublato iam S. C. Claudiano,ex
S. C.

A S. C. Orfitiano succedunt, hi videlicet quos suscepit ex seruo alieno, non ex seruo proprio. seruo autem alieno manumisso filij ex hac constitutione succedunt simul cum his qui ex eadem vel alia muliere post libertatem in concubinatu suscepti sunt. si enim non ex eadem, sed ex alia muliere nuptiis contractis filij quæsiti sint, hi proculdubio obstant in seruitute susceptis. Tertio casu omnibus manumissis, filij patri matriq; ex hac constit. succedunt vnà cum his qui post libertatē vulgò quæsiti sunt, qui patri ex eadē constit. matri ex Orfitiano succedunt. Et hæc vera sunt siue nati siue facti sint serui. nam quod in tit. de cap. dem. traditur cognationem manumissos non recipere, id Iustin. in sua constitutione non negat: hoc enim solis filiis dat vt libertinis legitimi heredes sint, non etiā reliquis cognatis. Lex autem Ex libera. C. de suis & leg. lib. quæ huic constitutioni opponitur, si titulum sub quo posita est inspicias, certè pugnat cum hac constitutione. at meo quidem iudicio lex fugitiua est,
B id est, non suo titulo posita, vt & l. 1. eiusd. tit. l. C. de dolo. l. 1. C. de accus. l. Data. C. qui accus. non poss. l. 3. D. de appellat. recip. l. eum qui. D. de in ius voc. & aliæ complures inscitiæ Triboniani manifestæ indices. Ceterùm ipsi inter se filij naturales inuicem quasi iure consanguinitatis ex eadem constitut. succedunt.

Hi qui ex seruili.] Vet. *& hi qui ex seruili.*

Siue ex eodem patre.] Locus hic admodum deprauatus est. legendum, *siue ex eodem patre vel eadem matre, siue ex alijs qualicumq; copulatione nati sint ad similitudinem*, &c. Nam aliæ nuptiæ non sunt cùm priores nullæ fuerint. rursus si ex nuptiis sunt quidam, naturales cum eis concurrere non possunt. tum verò si sunt ex nuptiis, cur adiecit, *ad similitudinem*, & quæ sequuntur? Emendationis huius auctores mihi sunt libri scripti.

C Et eorum quos inter.] Vet. cod. *quosque inter suos heredes iam enumerauimus.*

Sexu.] Quid. cod. *genere* ἀπὸ θηλυγονίας.

Et quos. Vet. *quosque.*

DE SVCCESSIONE LIBERTORVM.

Itaque intestato.] Vet. *itaque intestato quoque mortuo.*

Patrono nihil.] Vet. cod. *nihil in bonis eius patrono ius erat.* atq; ita etiam legit Ioannes.

Centenariis.] Centenarius est qui olim census dicebatur, de quo memini me dixisse tit. de l. Falcid. inde centenarium est C. mille sestertiorum, vel ex definitione Iustiniani C. aureorum quantitas. & ita accipiendum est quod Sudas scribit in hunc modum: κεντηνάριον, νομισμάτων ποσότης, &
D quod alio in loco cum Prisci cuiusdam Emeseni fallacias describit, ζημία ἥττον ἢ ἐς ἑκατὸν κεντηνάρια, vbi etiam pleraq; notat de origine præscriptionis C. annorum pertinentia ad l. vlt. C. de sacros. eccl.

Patronis omnibus modis.] Vet. cod. *omnibus patronis.*

Ex constitutione.] Condictione ex lege, non vt olim per bon. poss. contra tab.

Duarum'ue uel plurium.] Vet. *vel duarum plurium'ue.*

Eodem titulo.] Om. vet. cod. *eodem modo*, & paulò post, *seruatur.*

DE ADSIGNATIONE LIBERTORVM.

Vt eis quos in potestate.] Non etiam emancipatis. idq; ipsa S. C. verba indicant. sed obstat l. 9. D. eo. tit. quā ego sic explicandam esse censeo. Adsignatio tunc vtilis est, cùm duo aut plures sunt
E in potestate. Si vnus tantùm sit in potestate, nulla est adsignatio. Emancipato quoq; remotis suis facta adsignatio nulla est. Et hæc quidem omnia dubitatione carent. Dubitari tamen potest an emancipatio postea facta adsignationem adimat? quod in hoc §. definitur. Dubitari & illud potest, an si præter emancipatum duo existant sui, possit patronus nō tantùm vni ex suis, sed simul etiam emancipato adsignare? quod in illa l. 9. ita definitur, vt possit quis vni ex suis & emancipato pariter adsignare: atque ita vt quod per se non haberet emancipatus, id per coniunctam personam habeat, vt in l. mulieri. de condit. & dem. l. vlt. de lib. & postu. Quòd si vnus tantùm sit in potestate, vnus emancipatus, & vtrique fiat adsignatio: quæ in persona sui nulla est adsignatio, nec propter emancipatum vtilis futura est. & ita censeo.

Suillo Rufo.] Alij *Sabellio*, alij *Velleo*: scribendum, *Suillio Rufo*. Plin. lib. 7. cap. 5. vel *Suelleo*, vt
F in P. Flo. scriptū oportuit. Ostorij autem scapulæ meminit Cornel. Tac. lib. 16. & in Agricola.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS.

Emendandi.] Adde, *vel potius supplendi*: vt in §. media. de leg. agn. succ. vtputa cùm prætor cognatos vocat, aut postumo alieno defert bon. poss. sec. tab. supplet ius ciuile nō etiam impugnat. eos namq; lex nominatim hereditatem capere non prohibet. alioqui nec bonorum eis possessio daretur. l. non est. D. de bon. poss. Sed tamen qui supplet, etiam emendat.

Neque impugnandi.] Impugnare ius videtur bon. poss. contr. tab. vt appellatio ipsa significat. nec enim contra heredem datur, sed contra tabulas, contra lignum, contra testamentum, maxime cùm liberis emancipatis datur, aut patrono præterito.

G Nam Prætor heredem.] Nam nec dominum Prætor facere potest. l. qui vsumfr. D. Si vsusfr. pet. ideoq; in dominio pignoris addicendo auctoritate principis opus est. l. & eleganter. D. de pign. act. l. debitor. D. ad Trebel. & in adquirendo eius rei dominio quam prætor possidere iussit, vsucapione. l. Prætoris. l. his qui. l. si finita. §. Iulianus. §. si de vectigalibus. D. de dam. inf.

Similem iuris.] Vet. *similem legis.*

Prima.] Prima pars, primum edictum est de bon. possessione contra tabulas. l. ideoq;. l. scriptus. D. de Carb. ed. l. 2. D. de bon. lib. A

Secundùm tab.] Vet. cod. *secundum tab. testamenti. & cum de testamentis.*

Sunt autem X. personæ.] Totidem etiam talesq; personæ ex edicto prætoris fisco præferuntur in specie. l. 1. C. de sec. nupt.

Consanguinei.] Vet. *siue consanguinei, siue Vterini.*

Tamquam ex familia.] Quid. cod. *Tum qua.* quidam, *tum que,* lego, *Tum quem ex familia,* vt sint prima edicti verba, vt in l. 1. l. si ex duobus. D. vnde leg. l. 1. D. vt ex leg. l. ex illa. D. de verb. sign. & in III. M. Tullij act. in Verrem.

Supradicta.] Vet. *prædicta.* & paulò pòst, *præfata.*

Ceteris autem.] Vet. *ceteris C. dierum dedit.* B

Dies utiles.] Dies vtiles sunt quibus scierit sibi bon. poss. competere, quibusque eam potuerit petere. His opponuntur dies continui. Edictalis bon. possessio quocumq; die peti, & de plano dari potest. Decretalis non nisi de tribunali. Decreta enim tribunal exigunt: Edictalis ordinaria est: Decretalis non item. l. filium. §. si quis contra. D. de leg. præst. l. 3. §. vlt. D. de Carb. ed. Edictales in hoc tit. propositæ sunt. Exempla decretalium commodiore tradentur loco.

Currat sed quocumque.] Legendum, *curet, sed quocumq; modo admittendi eam indicium intra statuta tempora ostenderit, plenum habeat eorum beneficium.* auctores habeo lib. scriptos. *Indicium,* id est, voluntatis signum. l. 1. C. The. de cretione. *Eorum,* id est, principum.

DE ADQVISITIONE PER ADROGATIONEM. C

Quales sunt operarum.] Hic locus est difficilis. eum se mox Th. explicaturum pollicetur, non explicat tamen: errato memoriæ, vt opinor, qua etiam lapsus est in §. pen. de cap. dem. Quæstio est, cùm adrogatione non pereat ius patronatus. l. sed si hac. §. patronũ. de in ius voc. l. si libertus præterito. l. patroni. de op. lib. cur tamen operarum obligatio pereat. Loquitur de operis libertorum. seruorum enim operas capitis deminutione non perire constat inter omnes. l. 2. de vsufr. leg. quod & de fabrilibus, pictoriis, aut alterius artificij operis mihi debitis dici conuenit. Officiales adrogatione pereunt. Officiales sunt cuiuscumq; artificij operæ, quas patrono libertus officij causa præstat. l. operæ. D. de op. lib. hæ natura debentur: & ideo si eas ciuili iure indebitas libertus patrono exhibuerit, condictio cessat. l. si non sortem. §. libertus. de cond. indeb. & soli patrono debentur: denique soli patrono soluuntur, nõ adiecto. l. seruus patroni. cum seqq. D. de op. lib. non alij cuilibet, nisi iubente patrono illæ quæ in artificio sunt, non heredi patroni extraneo illæ quæ nondum indictæ sunt, id est, quæ nondum cesserunt. Liberis tamen debentur, quia patroni sunt, liberis, inquam, non exheredatis, etiam si heredes non fuerint. Credo in l. pro herede. §. si quid tamen. D. de adquir. hered. sic legendum esse, *cùm petitio earum etiam non heredibus competat,* vt in l. à duobus. & l. si operarum. de op. lib. sequitur, *& maxime futurarum,* quia scilicet præteritarum petitio solis heredibus competit. Creditori sanè operarum petitio nõ competit. sed neque adrogatori operarum obligatio adquiri potest, quia patronus non est. Ea igitur obligatio vt adrogatione pereat necesse est: quandoquidem in adrogati personam consistere non potest, quin & adrogatori ipsa statim adquiri videatur. & hæc est huius loci vera, ni fallor, explicatio. Illud notãdum est ab officiis in iure nostro separari obsequia. rursus fabriles, pictorias, aut similes operas separari ab officialibus, quòd hæ officij causa à liberto, illæ nõ officij causa ab alio, vel à liberto non vt liberto, sed vt quolibet edantur. deniq; nihil eorum quæ de officialibus supra dicta sunt, in illas cadit. Illud etiam adiici dignum est in §. libertus, pro, *Veluti pictorias,* legendum esse *Vel pictorias:* vt in l. ex operæ. l. quotiens. de op. lib. D E

Parentibus.] Vet. *patribus.*

Rerum eius.] Vet. non habent, *rerum.* & paulò post habent, *Antecedunt.*

Ipso quidem iure.] Id est, *prætorio iure.*

Conuenitur.] Vet. *conuenietur.*

DE EO, CVI LIBERTATVM CAVSA BONA ADDICVNTVR. F

Ita ut si.] Legendum, *ita autem si,* id est, ita fiunt Orcini liberti.

Ac si hereditatis.] Vet. *si hereditas.*

Quid ergo.] Hic locus sic restituendus est, *Quid ergo si quis int. dec. cod. lib. ded. neque ad. sit, ab int. hereditas? fauor const. deb. lo. habere. Certè si testatus,* &c. deinde legendum, *Tunc constitutioni.*

Abstinuerit hereditate.] Vet. cod. *abstinuerit se ab hereditate quam pot. in int. rest. potest admitti constitutio & bon. add. fieri. Quid ergo.*

Quia semel.] Quid. cod. *quæ semel.* l. ergo. D. de fid. lib.

Cessat hæc.] Non est, *hæc.*

Ex ipsius.] Vet. cod. *ex ipsa.* G

DE SVCCESSIONIBVS SVBLATIS QVÆ FIEBANT PER BONORVM VENDITIONES ET EX S. C. CLAVDIANO.

Bonorum emptio.] Bonorum emptor similis erat bon. possessori. cum eo creditores experiuntur.

A riuntur.l.nam postea.§.sed & si quis.D.de iureiu. vel certa parte decidu nt.l. Imperator.D. de pact. is qua forma constituatur, Th. refert. cui & illud adiungi potest quod Cicero scribit in hunc modum lib. VI. ad Attic. Alterum quod sine edicto transigi commodè non potest de hereditatum possessionibus, de bonis posidendis, magistris faciendis, vendendis, quæ ex edicto & postulari & fieri solent.

Extraord.iudiciis.] Cùm non sollemni more & certis perscriptisque formulis iudicia exerceantur.

Ex S. C. Claudiano.] Error est in Suetonio Tranquillo cum hoc S. C. & id quod Macedonianum dicitur Vespasiano tribuit. Verius enim est vtrumque esse Claudianum, vt scribit Tacitus lib.II.& prius quidem à me πλατύτερον fuit explicatum in notis ad Vlp.tit.de tutelis.

B

DE OBLIGATIONIBVS.

Soluendæ.] Solutio fieri debet secundùm ciuilia iura.

Summa.] Summa,id est,prima,semper.

Aut certo.] Legendum, *certè*: vt in vet.Constitutæ,veluti ex pacto in quibusdam causis.Com probatæ,veluti ex conuentionibus iurisgentium.

In quatuor species diuiditur.] Legendum *deducitur.*

QVIBVS MODIS RE CONTRAHITVR OBLIGATIO.

C Reddantur.] Nō datur mutuo nisi quod & reddi potest in suo genere.cùm Stichus pro Pamphilo datur, Stichus non redditur, sed datur. cùm vinum pro vino datur æque bonum eademque mensura,redditur vinum verius quàm datur.

Quæ uocatur condictio.] inde tit. *De condictione* lib. XII.Dig.

Remanet.] Vet. cod. *permanet.*

Exactam.] Malim exactissimam,vt in l.I.D.de obl.& act.

Quantam suis.] Vet. *quantam in suis.* & mox, *potuerit eam rem.*

Tenetúrque actione.] Legendum videtur, *qui & actione depositi ipse de ea re*: vt in §. item is cui.& §.creditor.

Quid & ipse.] Legendum,*qui & ipse*:vt in l.I.D.de obl.& act.Commodatarius,Depositarius, D Creditor de eadem re tenentur.Debitor,id est,qui mutuum accepit,de eadem re non tenetur.

Si ad eam rem.] Vet. *quod ad eam rem.* &c. *adhiberet.* In commodatario exactionem requirimus.

DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS.

Ex stipulatu.] Actio ex stipulatu plerumque generaliter accipitur & pro certi condictione. l. inter stip.§.si rem quam.D. de ver. oblig.l.si pacto quo pœnam. C. de pac. l.vnica. C. de rei vxo.ac stipulatum pro stipulatione dicimus. l. pecuniæ. D. de vsur. l. vxori. §. vltim. de legat. 3. l. 3. C. de inutil. stipul. vt transactum pro transactione, in l. vltim. C. si aduers. transac. & comperendinatum pro comperendinatione apud M. Tullium. Actio igitur ex stipulatu, id est, ex stipulatione, qua E agitur hoc modo: *Quod mihi ex stipulatione hac dare facere oportet.* Certi condictione, hoc modo: *Aio te mihi ex stipulatione C. dare oportere.* Actio ex stipulatu incerti est actio. l. si stipulatus sis. D.de vsur.

Firmum.] Sunt qui & arrham dici putent παρὰ τὸ ἀρραγὲς quod est firmum. Vt enim stipulatio,ita & arrha datur firmandarum obligationum gratia.

Fide promittis fide promitto.] Abest à vet.lib.

Leonina.] Vet. *Leoniana.* vt & in l.cum lege. C. de epis.& cl. quamquam & à Leone dici posit Leonina,vt Leonina societas.

Quibuscumque tandem.] Om.cod. quos in manibus habeo, habeo autem complures manuscriptos: *licet quibuscumque verbis expressum est.* quibuscumque, id est, τοῖς τυχοῦσι, non dire-F ctis,non sollemnibus.

Annuos.] Nihil interest vtrùm annua,vel in annos singulos, vel quotannis stipuleris: Est autem pura stipulatio. simile etiam legatum purum est.l.nec semel. D. quando dies leg.ced. præterea vna est stipulatio eaq; incerta, quòd certum & definitū tempus non comprehendat. Legatum verò est multiplex. In stipulatione semel,in legato quotannis ius capiendi inspicitur.l. Senatus. §. vlt. D. de donat.causa mor.l.cùm in annos.de ann.leg.l.cùm in annos.I.& 2.D.quādo dies leg.ced.Stipulatio perpetua est,Legatum morte finitur.l. si Stichum.§.vltim.de verb. oblig. l.si in singulos. de ann.leg. Quæsierit aliquis rationem differentiæ. & respondebitur annua legata relinqui alimentorum, habitationis, disciplinæ, vestiarij, vel aliàs vt legatario consulatur. In stipulatione non alimentorum aut similis causæ rationem haberi, sed promissorem sibi potiùs diuisis pēsionibus con-G sulere quàm stipulatori: qua fini etiam si testator legauerit,nempe vt heredi consuleret,nihil planè distabit legatum ab stipulatione. & hoc proditum est in l.nec semel.l.si cum præf.l.Firmio.§.vltim. D. quan. dies leg.ced. Ab illis autem stipulationum formulis, ex separandæ sunt quæ sequuntur: Hoc anno,in annum vnum,vel in annos 10.nam eę sunt in diem.l.qui hoc.de verb.oblig.l.si in annos.D.de cond.& dem. Vbi malè Haloan.*si intra*: nam qui intra 10. annos liber esse iubetur, statim

tim liber fit.l.ſi ita fuerit.in fi.de man. teſt. quòd ſi in annos 10. liber eſſe iubeatur, nouiſsimus decennij dies ſpectatur. A

Pacti exceptione.] Ita fit vt quę iure ciuili non tollitur obligatio,iure prætorio tollatur. Tollendæ obligationis modi ex iure ciuili certi, ex iure prætorio incerti & infiniti ſunt: In his factum exigitur,in illis non item.

Condicio.] Vet. *condicio exiſtat.* In ſtipulationibus ſpectatur tempus contractus. Ex hoc iuris principio multa ſequuntur.vt ſeruus hereditarius fruſtra vſumfr. etiam ſub condicione ſtipuletur. l. vſusfr.de ſtip.ſer. vt ſi filiusf.ſub condicione ſtipulatus & pendente condicione emancipatus fuerit, patri actio competat.l.ſi filiusf.de verb.obl.l.quæ legata.l.non omne quod licet. de diuerſ. reg. iur. vt ſeruus ad prædium domini ſeruitutem rectè ſtipuletur.l. ſi vnus ex ſociis. de ſer. ruſt. vt ſtipulatio condicionalis conferatur.l.2.§. id quoque. D. de collat. Vt de eo quod ſub condicione filiof. promiſſum eſt,paciſci.is non poſsit.l.& heredi.§.filiaf. D. de pac. Vt ſtipulatio condicionalis ad heredē tranſmittatur. quæ omnia in legatis ceſſant: nimirum quia in eis non teſtamenti præſens tempus, ſed ceſsionis futurum tempus ſpectatur. B

Adiectum.] Vet.cod. *iniectum.*

Quæ enim per rerum naturam.] In præteritis vel præſentibus rerum naturam intuemur, non inſcitiam noſtram.In futuris inſcitiam noſtram non rerum naturam intuemur.nam & quæ futura ſunt in rerum natura certa ſunt. nihil denique naturæ rerum incertum eſt. & quodcumque fit id iam per rerum naturam certum erat priuſquam fieret: cùm & quæ futura ſint, δυνατὸν ſit fieri: quæ tamen vetus eſt philoſophorum quæſtio. Natura autem hominum ea quæ futura ſunt,penitus incerta & incognita ſunt. nam & ſi præſentia,aut præterita complures ſcire poſsint,propterea quòd iam vera ſunt aut falſa, futura tamen ne vnus quidem ſciat, quamuis ea prudentes viri prouideant ſæpe.ſed aliud eſt ſcire,longè aliud prouidere.Alia igitur eſt natura rerum,alia hominum: huic futura incerta ſunt,illi certa omnia & explorata ſunt. C

In incerto.] Quid.cod. *incerta.*

DE DVOBVS REIS STIPVLANDI ET PROMITTENDI.

Reus ſtipulādi,reus promittendi,reus credendi,reus debendi.l.ſi duo.de rec.arb.reus ſatiſdandi, reus ſatis accipiendi.l.qui hominem.§.quidam.de ſolut.

Interroganti.] Vet. *interrogante.* D

Decem.] Vet. *quinque.* & j.

Si reſpondeant.] Vet. *reſpondeant.* Vno verbo *ſpondeo* contrahitur obligatio,Cic.pro Cęcina.Si quis quod ſpopondit,qua in re verbo ſe vno obligauit.

Et ſtipulationibus.] Cum dixerit *ex huiuſmodi obligationibus*, fruſtra adiicit, *& ſtipulationibus.* legendum, *& ſtipulantibus.* ideoq; Th.rectè vertit καὶ τῶν ἐπερωτώντων, non καὶ τῶν ἐπερωτήσεων. In proximo etiam verſu legendum eſt, *in vtraque enim.* Sententia autem huius §.emendata dicitur ab Iuſtiniano in No. XCIX.quod ſecus eſt.nam No. Iuſtiniani dat beneficiū D. Hadriani eis qui ſe ἀλληλεγγύως obligant.emendat igitur l.reos.D.de duob.reis,non hanc ſententiam.

DE STIPVLATIONE SERVORVM.

E

Conſeruo.] Poterit etiam frater fratri,ſi ambo in eiuſdem patris poteſtate ſint.

Sed cùm factum.] Quæ iuris ſunt ad dominum tranſeunt, quæ facti ſunt non tranſeunt. In his quæ iuris ſunt,nihil intereſt vtrùm ſibi an domino vel imperſonaliter ſtipuletur,in his quæ facti ſunt,contrà: nam ſi factum ſibi ſtipuletur, perſona domini ſtipulatione non comprehenditur, adquiritur tamen domino obligatio.Factum in ſtipulatione comprehenditur ſi vt ſibi fiat,ſi vt ſibi facere liceat ſtipuletur:exempli gratia, vt ſibi ire vel agere liceat,vt ſibi habere,ſibi poſsidere liceat,id eſt,tenere.l.ſtipulatio iſta.§.hi qui ſunt.& §.hæc quoq;. de verb. obl. at ſi ſtipuletur ſibi operas officiales,inutilis eſt ſtipulatio: quoniam ſoli patrono hoc factum præſtari poteſt,neq; vlla interpretatione talis ſtipulatio conſeruari poteſt.l. ſi operas.de ſtip. ſer. eadem ratione ſi ipſe ſibi ſe ſtipuletur ab vno ex dominis,inutilis eſt ſtipulatio:atque ita legendum eſt in l.2.D.de ſtip.ſer. F

Alicui eorum.] Vet. *cui eorum.*

Tunc enim ſoli ei.] Cùm ſeruum communem vnus ex dominis ſuo nomine iubet ſtipulari, plus valet iuſſum quàm nomen. Cùm verò ſeruum communē ſimpliciter iubet ſtipulari, plus valet nomen quàm iuſſum.atq; ita rectè Azo accipiendam cenſet l.vltim.C.per quas perſ.nob.adquir.

DE DIVISIONE STIPVLATIONVM.

Aedilíciæ.] Continebuntur etiam Tribuniciæ.

Vtriuſque partis.] Id eſt,reorum:vt Pomp.ait.

Communes.] Vet.cod. *communes ſunt ſtipulationes veluti rem ſaluam fore pupilli.*

Vel de rato ſtipulatio.] Quid.cod. *vel de rato ſtipulatio exigitur.* in quibuſdam tamen, horum nihil habetur. G

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS.

Vel publicam rem.] In vet. non eſt, *rem.*

Initio.

A Initio.] Vet. *ab initio.*

Si tamen postea.] Vet.cod. *si postea in earum causam.* earum scilicet rerum.

Quæ enim.] Vet. *quà natura sui dom. nos. exempta in obligationem.* dixit autem *quà*, pro quatenus siue quoniam. & bene, *natura sui.* nam rem meam rectè stipulor sub condicione cum aliena erit. quia etsi nunc mea effici non posit, natura sui tamen tantùm abest vt à dominio meo exempta sit, vt in eo nunc sit vel maximè. atque ita licet, quantum ad personas attinet, ex quibus obligatio consistit, tempus contractus inspiciatur, vti dictum est tit. de verb. obl. non tamen quantum ad eas res pertinet, quæ in stipulationem veniunt.

Promiserit.] Vet. *spoponderit.*

Valet quidem.] Vet. *valebit quidem.*

B Non plus quàm.] Quid.cod. *vt non plus quàm pars dimidia ei adquiratur.*

Veluti si quis x. aureos.] Idem Caius scribit lib. 11. Instit. Vlpianus contra in l.1.§. si stipulanti. D. de verb.oblig. sed hoc primùm Vlp. statuit, inutilem esse stipulationem, si quis purè interrogatus, sub condicione respondeat, vel contrà, vel si intra Kal. Idibus respondeat. inde generalem regulam proponit, *Cùm adiicit promissor aliquid obligationi vel detrahit, semper ac omni casu probandum esse inutilem stipulationem esse, cum exceptione hac, Nisi stipulatori* &c. & ad hanc quidem exceptionem proximus §. accommodati debet, hoc pacto: vt si stipulanti tibi decem, viginti respondeam, quamuis ilico tibi placuerit responsio, non tamen contracta sit obligatio, nisi in x. quia me non de xx. sed x. interrogasti. & ex diuerso, vt ne plus quisquam obligetur quàm responderit. Igitur satis non est, placere diuersitatem responsionis, nisi respõsio in interrogatione aut vicisim hæc
C in illa insit. Vnde etsi ei qui purè stipulatus est, placeat statim condicionalis responsio, vel ex contrario, non ideo magis vtilis stipulatio est: quia simplici enuntiationi condicionalis, aut condicionali simplex nulla inest. idem dicendum est, si stipulanti intra Kal. quintas placeat responsio Idibus. sequitur apud Vlp. *sed si mihi Pamphilum.* Cùm verò in hac specie idem statuat quod in superiori, cur eam exorsus est à nota aduersæ sententiæ? Credo quia etsi diuersitas responsionis non placeat, vtilis stipulatio est propter variarum rerum causam.

Ne quidem ulli alij.] Quid.cod. *ne alij quidem vlli.*

Non audit.] Vet. *non exaudit.*

Ita tamen.] Vet. *vt tamen sicubi tutoris.*

Et qui infantiæ.] Vet. *& qui infanti.* & paulò post, *sed in proximis infantibus.* Aliud est non in-
D telligere quid loquamur, longè aliud non intelligere quid agamus. Infans non intelligit quid loquatur. Proximus infanti non intelligit quid agatur. Proximus pubertati vtrumque intelligit. Proximus infanti est qui egressus est infantiam, & qui linguæ gnarus, rerum adhuc ignarus est. Proximus pubertati qui nondum ingressus est pubertatem, sed prope eam est tamen, ita vt annale tantummodo, vel semestre tempus reliquum sit.

Statim peti.] Vet. *statim petere.*

Item uerborum.] Ceteri omnes contractus, item pacta rectè fiunt inter absentes, & fieri possunt à mutis & surdis, neq; in eis exigitur adeò congrua responsio. l. si stipuler. §. vlt. D. de verb. obl. Sola stipulatio fit inter præsentes, & inde nomen verborum obligationi. nam verba sunt præsentium, non absentium. Non fit à muto aut surdo. deniq; congruam responsionem exigit.

E Si scriptum.] Hæc sententia sumpta est ex Paulo lib. v. sent. De oblig. adiecit Iustin. idem esse si scriptum sit præstò contrahentes fuisse. §. Item verborum. ⁊.

Inuentæ.] Legendum vt in vet. *Inuentæ sunt enim huiusmodi obligationes ad hoc.* & quæ sequuntur. Illud notandum est hac in re promissoris & stipulatoris diuersam esse causam. Reus namque promittendi est is qui pro altero quid promittit. ⁊. de fideiuss. in princip. Reus stipulandi non est is qui alteri adstipulatus est. quod ex Aelio Gallo Verrius Flaccus aut Sex. Pompeius Festus refert. lib. xvii.

Cesserit.] Vet. *cessit. adm. cont. suo, & stipulatus est.* mox deinde sic legendum est, *esset pupillo si malè res cesserit:* vt in l. stipulatio. §. si stipuler. de verb. obl.

Quo sua sit.] An potius, qua sua sit? vt in l. nemo. eod. tit.

F

DE FIDEIVSSORIBVS.

Fideiubere, est suo periculo fore id, de quo agitur, recipere, quod per stipulationem fit.

Diui Hadriani.] Quod etiam edicto comprehensum fuisse Paulus indicat lib. 1. senten. Hoc beneficium omnibus accessionibus datur. l. vltim. C. de constit. pec. cuius legis extrema ratio sic restituenda est, *æquitatem enim diuisionis species actionis,* vt apparet ex l. si fideiussoris. D. de. fid. tut.

Non solùm autem.] Vet. *non solùm enim.*

Ita accipitur.] Legendum, *ita accipitur* τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω, λέγω, θέλω *siue* βούλομαι. *Sed & si* φημὶ *dixerit, pro eo erit ac si dixerit* λέγω: vt in l. Græcè, de fideiuss. & in lib. scriptis. Ad idem pertinens l. blanditus. C. eod. nondum à quoquam ex fide bona restituta, sic emendanda est auctoritate libro-
G rum antiquorum: *quod cùm pro alio interuenires,* τί μή; *dixisti.* quod optime conuenit cum l. 1. §. si quis interroget. D. de verb. oblig.

DE LITTERARVM OBLIGATIONIBVS.

De his nullo in loco fit mentio in Pandectis: sed de aliis tribus dumtaxat. l. Græcè. §. 1. D. de fideiu.

deiu.l.1.de nouat.l.1.§.1. l.obligamur. de obl.& act.fuit enim olim perpetua exceptio non numeratæ pecuniæ,nulla igitur litterarum obligatio.Impp. eam exceptionem temporariam fecerunt,atque ita induxerunt obligationem litterarum. A

Vt & hodie.] Vel *vt hodie.*

Nascatur.] Vet. *nascitur condic.cess.verborum oblig.*

Quinquennium.] L.1. C. Greg. de cau. & non num. pec. vbi vulgo malè, *ex cautione*, pro *exceptionem.*

DE OBLIGATIONIBVS EX CONSENSV.

Vet. *De consensu obligationibus.* & in contextu,*consensu dicitur obligatio contrahi.* B

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

Constaret, ne uenditio uel non.] Vet. cod. *siue constat venditio, siue non.* sic in §. actionum. j. de act.

Decisio.] Cuius verba pene integra Trib. ad Caium appinxit in l. si merces.D.loca.

An pretium.] Vet. *an pretium esse poßit, veluti an homo an fundus aut toga alterius rei pretium esse poßit valde quærebant. Sab. & Caßius etiam in alia re putant pretium posse consistere, vnde illud, quod vulgò dicebant.* & paulò post, *Argumento vtebantur.*

Comparasse.] Plinius ait emptitasse lib. XXXIII. cap. I.

Adiuuaretur.] Vet. *adiuuabatur.& val.rat.argumentabatur.*

Cùm autem emptio.] Cùm emptio & venditio plena & perfecta sit.vt autem perfecta sit, hæc requiruntur : vt si fiat scripto,compleantur ea,quæ in prin.huius tit. proposita sunt : vt si fiat ex non scripto & purè,certum sit pretium,certa merx:si sub condicione,vt existat condicio.Item si nō vno pretio res væneat,sed verbi gratia in singula iugera fundi,aut in singula gregis capita,aut in singulas olei metretas, aut argenti libras, aut in singulos eos nummos qui mercis loco habentur, cuiusmodi sunt nummi peregrini auctore Vol. Mætiano, & nummi victoriati,vt eod. lib. c. 3. Plinius scribit:si inquam ita pretium statuatur,necesse est vti pondus,numerus,mensura,exploretur & peragatur. Quòd non ita vænit sed vno pretio, auersione vænisse id dicimus, siue διὰ τὴν ἀπεικλώσιαν, quod scilicet quasi auersi quodammodo negotium ita contrahamus, re omni neque perspecta nec explorata bene. C

DE LOCATIONE ET CONDVCTIONE. D

Locare est dare aliquid vtendum, vel faciendum. Conducere est accipere aliquid vtendum vel faciendum.

Consistit.] Vet. *consistunt.*

Si merces.] Quæ & pretium dicitur.l.si quis ante.de adq.poss. l.vlt.§. vltim.de lege Rho.& in titul.loca.sæpe.

Fulloni.] Fullonis officia hæc sunt:polire,curare,siue,vt Vlp. dixit in l. 2. D. de cond. sine cau. lauare.Politor κναφεὺς, curator λευκαντεὺς siue πλύτης dicitur ab Th.in §.vlt. mand. & §. Item si fullo.de obl.quæ ex del.nasc.

Præscriptis uerbis actio datur.] Datur hæc actio,etiam si prius fecerit fullo aut sarcinator, quàm merces daretur vlla,nimirum quia ita res ab initio gesta fuit, dabo vt facias,nō faciam vt des. Huic actioni nomen est ex eo quod detur ex præscripto conuentionum,vel proinde vti conuenerit,si conuentio scripta non sit.l.1.§.si quis seruum.depos.l.si dominus.de præsc.verb. Est igitur præscriptis verbis, id est, τῶν προγεγραμμένων συμφώνων actio. sic enim ab Constantino nuncupata est in lib. 11.Epit.tit.3. ex quo apparet non omnem in factum actionem, & præscriptis verbis esse : si quidem non omnis actio in factum ex conuentione descendit, omnis tamen actio præscriptis verbis ex conuentione descendit. E

Contraheretur.] Vet. *contrahatur.*

Vtendam.] Vet. *tibi vtendam siue fruendam quis dederit, & inuicem à te aliam vten. siue fr. acceperit.* F

Sed proprium genus.] Vet. *sed proprium genus esse.* sic in l. rogasti.D.de præscr. verb. & inde actio propria,id est,præscriptis verbis in quæstione l.petenti.D.de pign.act. in qua nec ad exhibendum est actio, quia creditor rem non tenet,nec commodati, quia non gratuito, sed res obliganda data est satisfactionis specie.Vt igitur nouum ac proprium est negotium,ita & propria actio.

Alterius bos.] Non est,*alterius.* & paulò post,scribendum,*neq, locati vel conducti.*

De prædiis quæ perpetuò.] Ius ἐμφυτευτικὸν ius prædij est, quod & ἐμβατευτικὸν dicitur in l. sed si pecunia.§.si res. D. de reb.eo. Est autem, vt vulgò dicitur, ius ἐμφυτευτικὸν vel ἐμβατευτικὸν ius perpetuarium.quinimmò temporarium esse potest.l.vlt.D. si ag.vect.id est, emphyt. pet. videlicet si non ad modicum tempus prædia fruenda tradantur. sic enim hæc verba, *ad tempus*, in ea lege interpretes accipiunt argumento superficiarij.l. 1. §. quod autem.de superfic. & rectè, nam idem ferè ius est superficiarij & emphyteuticarij.Vterque in rem actionem habet & Publicianam,&Vti posidetis,vterq; seruitutem imponere potest, vterque posidet, vterque nouum opus nuntiare potest, vterque ius alienandi,vterque seruitutum vindicationem habet : Ille tamen in sola superficie,hic in vniuerso solo ius habet. Locationes ferè vt à censoribus, ita & à priuatis in lustrum fiebant, vt non G

frustra

A frustra Iustin. in No. c x x. nominatim ecclesiæ Constantinopolitanæ permiserit locationes vltra lustrum. atque eo fit, vt putem eas locationes quæ lustrum egrediuntur, ius superficiarium vel emphyteuticarium constituere.

Ad uenditionem.] Zeno dixit, Alienationem. & ex eo quidem apparet alienandi verbo propriè venditionem significari.

Hoc ita.] Vet. *hoc ita statuit.*

Naturalis.] Placet vt scribamus *natura talis.* vt in l. si constante. §. si maritus. D. sol. mat. sic in l. erit. D. de fundo dot. pro *dotalis,* scribendum est *dotis talis.* Vt, inquit, ambulatoria est talis obligatio dotis nempe disiunctiua, ita & potestas legis Iuliæ.

B Conductor autem.] *Autem,* abest à vet. lib.

DE SOCIETATE.

Mancipiorum uendendorum.] Hæc est quæ vænalitiaria negotiatio dicitur.

Quia sæpe opera.] Celsus ait in l. cùm duobus. §. si in coëunda. D. pro soc. *Pretium operæ artis est velamentum:* quæ verba obscura sunt. Credo Celsum dixisse κατ' ἀσυώδετον, Pretium enim operæ artis, quomodo & pleraq; alia in Pandectis præsertim Ethruscis scripta sunt. *Velamentum* autem, (vt in aliis plurimùm dictionibus accidere ostendi in tit. de seruit. s̃.) præpostero litterarum ordine scriptũ, pro *leuamentum.* atq; in vetustiss. Codice prorsus ita se legisse mihi confirmauit Arnol. Ferronius senator Burdegalensis cùm iuris ciuilis tum omnium disciplinarum cognitione eruditissimus. proinde hic erit sensus: In ea etiam societate quam quis ita contraxit vt ipse pecuniam, alter C artem operam've conferret, ab ipso culpam præstari: quòd æstimatio, siue pretium artis vel operæ ei sit leuamentum non mediocre, atq; adeò quod ita contracta societas ipsius quoq; vtilitatem respiciat. Vsus est eadem voce Vlp in l. 3. §. vlt. D. si fam. furt. fec. dic.

Conuenienter fieri existimauit.] Om. vet. cod. *conuenienter sibi existimauit.* quod Græco more dictum est, vt in l. vlt. §. vlt. de bon. dam. l. in ratione. §. si filio. ad leg. falc. & apud M. Tullium, conuenienter naturæ viuere. ὁμοίως ἑαυτῷ, ἀκολούθως ἑαυτῷ.

Lucro esse.] Vet. *Lucri esse.*

Quod tamen ita.] Hic versus ad ea omnia pertinet quæ superius dicta sunt è Seruij sententia contra Mucium, vt constat ex l. Mucius. D. eod. tit.

Quod non captauerit.] Captatoria renuntiatio non valet: Captatoriç scripturç non valent: D deniq; vix est vt captatorium quicquam iure nostro sustineatur. Captatoriæ scripturæ definitio ab Socino primùm explicata est, quem deinde pleriq; omnes secuti sunt. nondum tamen quisquam, quod in mentem tibi venit P. Faber, animaduertisse videtur circa l. illæ. D. de her. inst. quod hoc in loco, & si alienus videatur, vt qui liber it ad te, in eo etiam ipse possis aliquid propriè tuum agnoscere, adnotare non pigebit. Superest, vt ais, in l. illæ. vox MÆVIVS. Nam & si in futurum ita concepta sit institutio, *Qua ex parte me Titius heredem instituerit, ex ea parte Mæuius heres esto,* certè captatoria institutio non est. l. clemens. §. vlt. D. de her. inst. mirarisq; è Constantino Ant. Augustinũ exemisse vocem παῦλος, & vocem Mæuius retinuisse in l. illæ, quæ animaduersio rectissima est. Etiam illud adiungis. perperam Constantino eum addidisse τὸ ἔῤῥονται. siquidem eo in Constantini loco ὁ articulus ἀντὶ τοῦ ἀλλὰ est, vt apud Aristotelem & Platonem sæpe: quod perspicuum est.

E Eligit.] Vet. *elegit.* & in vers. Publicatione, *succedit.*

De se queri.] Scribendum vt in vet. *de se queri,* hoc est, sibi imputare debet.

DE MANDATO.

Quid. vet. cod. *De mandatis.*

Aliena autem tantum.] Non est, *tantum,* in lib. vet. sic & in §. Tua, scribendum est, *Tua gratia interuenit.*

Pecuniam crederes.] Vet. *quod si sine vsuris crederes.* est autem legendum, *quod si vt sine:* vt in l. 2. D. eod. & in Græco, εἰ γὰρ ἵνα ἀτόκως.

F Cui mandabatur.] Quid. vet. *cui dabatur.* & sic est in l. 2. D. eod.

Eam tibi.] Vet. *tibi eam.* & paulò ante, *magis consilium est quàm mandatum.*

Volueris inutiliter.] Vet. *velis, inutiliter te acturum. Diuersæ.*

Stricta.] Strictæ iuris rationi, id est, stricto iuri aduersam facit vtilitatem. ex quo apparet vtilitatis nomen in libris nostris æquitatem & ius gentium significare, ex qua etiam vtiles actiones nomen acceperunt. l. quia actionum. de præsc. ver. l. seruitutes. §. si sublatum. de ser. vrb. l. si longius. in fi. de iudic.

Dicamus.] Vet. *dixerimus.*

DE OBLIGATIONIBVS QVÆ QVASI EX CONTRACTV.

G Quæ quidem.] Vet. *quæ non propriè quidem ex contractu nasci.*

Vltro citróque.] Contractus est negotium ex quo mutua obligatio mutuaq; actio nascitur: & ea quidem actio vel vtrimque directa est: vel hinc directa, illinc contraria. Directa, id est, principalis: Contraria, id est, quæ principalis non est, sed ex contrario in eum datur cui principalis actio competit. Aut igitur vno tantùm ex latere principalis est actio, aut vltro citroque. Contraria actio princi

principalis non est, quia ea indemnitati dumtaxat consulitur: quamobrem nec famosa est, nec in ea iuratur in litem. Rei apud quem. D. depo. A

Quod quis.] Vet. *quod quisque.*

Gesśit negotia.] Rectè vet. lib. *gesserit negotia, habet obligatum dominum negotiorum: ita & contrà.*

Diligentior est.] Non est, *eo.*

Obligati esse.] Postrema dictio abest à vet. & paulò post ita legitur, *Et hoc autem casu*, vt in l. 4. de obl. & act.

Qui coheredi.] Vet. *qui coheredi suo.* finium regundorum non est in personam, nisi ex maleficio. Communi diuidundo & familiæ erciscundæ sunt in personam quasi ex contractu. Petitio hereditatis quæ etiam mixta est actio, est quasi ex contractu. B

Honorantur.] Vet. cod. *honorificantur.*

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ADQVIRITVR.

Quod per seruos.] Vet. *quod per seruos quidem nobis.*

Patre actionem.] Ex profecticiis causis filio vtiles actiones dantur absente patre. Ex aduenticiis si pater vsumfr. respuat, filius agit consensu patris: si amplectatur, ipse agit consensu filij (idque constit. Iustiniani indicat in §. & filius. & §. vbi autem in vnum) vel etiam filius absente aut permittente patre, vt rectè Acc. noster adnotauit in l. si longius. de iudic. Restat ex causis aduenticiis communes esse actiones. proinde vtrinque ratihabitio exigitur, exemplo de dote actionis, quæ iure antiquo communis est patris & filiæ. nec enim similis est pater tutori, curatori, syndico & aliis quibusdam, qui non explorato aliorum consensu agunt. Pater enim non agit ignorãte filio, vel si agit, ideo cauet de rato. C

Ex operis.] Vet. *ex operibus.*

Vel usum.] abest à quibusdam lib. idq; probabilius est.

QVIBVS MODIS TOLLITVR OBLIGATIO.

Tollitur autem.] Aliàs, *soluitur autem.*

Solutione.] Solutio est naturalis datio. Acceptilatio, nouatio, delegatio ciuiles solutiones sunt. propriè autem satisfactiones dicuntur. huc pertinet l. solutam. D. de solut. Pertinet ea lex ad hypothecariam formulam, cuius condiciones eæ sunt, si soluta est pecunia aut satisfactum. sic enim edicto Seruiano comprehensum est. & eæ quidem condiciones in ea lege sic explicantur, vt soluta sit pecunia quæ numerata est, vt satisfactum sit, si acceptum latum sit. At satisdationis verbo lex vtitur non satisfactionis. satisdare autem propriè est fideiussores dare: satisfacere latiùs pertinet. Verùm enim satisdationis nomine interdum satisfactio significatur. l. satisdationis de verb. sign. vt in l. 2. pro here. l. promissor. §. vlt. de const. pec. atque ita satisdationis verbum in l. solutam accipi conuenit: vt sit sensus, si accepto latum sit solutam pecuniam non videri, quod etiam l. promissor confirmat. Verumtamen satisdatum, id est, satisfactum videri. Solutionis quidem inquit, verbum non proficiet, vt in superioribus casibus, quibus dixit solutionem proficere: sed satisdationis sufficit, vt sublata videatur hypothecæ obligatio. Quid autem est quod ait, *vel sine stipulatione accepta sit.* scribendum reor, *vel si sine stipulatione acceptolatum sit.* Superiore casu ipso iure vtilis est acceptilatio, propterea quòd verborum obligatio præcesśit, cuius nomine hypotheca de qua quæritur obligata erat. Hoc casu ipso iure inutilis est acceptilatio: quia acceptilatio solam stipulationem tollit. attamen doli aut pacti exceptio competit. l. cùm emptor. de resc. ven. l. an inutilis. l. si acceptolatum. de acceptil. & ideo satisfecisse is etiam videtur, cui sine stipulatione acceptum latum est. Restat igitur pacto hypothecam solui. l. 5. quib. mod. pig. sol. D E

Nec interest.] Vet. *nec tamen interest:* & paulò post: *siue sciente debitore, siue ign. vel inuito solutio fiat.*

Imaginaria solutio.] Illa fit re, hæc verbis: Illa naturalis, hæc ciuilis est. Seneca lib. VI. de benef. Omnis, inquit, solutio nõ idem reddit sed tantundẽ: nam & pecuniã dicimur reddidisse, quamuis numerauimus pro argenteis aureos, quamuis non interuenerint nummi, sed delegatione & verbis perfecta solutio sit. F

Exigi.] Verbum, *exigi*, demendum est, ex lib. scriptorum auctoritate: quod mihi confictum fuisse videtur ex proximo verbo ἐχεις.

Sed & id quod.] Vet. *sed id quod ex alia causa.* & prox. vers. *in partem debiti.*

Renouat.] Vet. *nouat.*

Dare facere.] Dare, vt dare C. aureos. facere, vt suscipere in se obligationem. l. si mandato. §. quotiens. D. manda. Oportet, præsens tempus significat, & ideo adiicitur, Oportebit. l. si stipulatus fuerim. §. 1. l. si à colono. l. cùm stipulamur. de verb. obl. quæ verba ea quæ sequuntur explicant, *præsens in diem* v. addidêre quidam, *aut sub condicione:* non malè: nam & quod sub condicione debetur, acceptilatione tolli potest. l. quod in diem. de acceptil. l. sub condicione. de solut. sed tamen ea non habentur in vet. lib. in Theoph. ac ne quidem in l. & vno de accept. G

Quod Numerius.] Rectè vet. lib. *Item ex diuerso Numerius Nigidius interrogauit Aulum Agerium,*

A *rium, Quidquid tibi hodierno die per Aquil. stipulationem spopondi, id omne habésne acceptum? Respõdit Aulus Agerius, Habeo acceptúmque tuli.*

Si id quod tibi Seius.] Vet. *si id quod tu Seio debebas, à Titio dari stipulatus sit*, atq; ita scribendum esse sequentia indicant.

Titio debes.] Vet. *Titio debeas.* lego, *debebas*, vt.s.

Nulla est.] Ne naturalis quidem, nimirum quia pupillus animi iudicio caret. l. quod pupillus. de cond.indeb.l.pupillus.de obl.& act.sed tamẽ si pupillus factus sit locupletior, iure naturali obligatur, vt ait l.naturaliter.§.vlt.& l.prox.de condic.indeb.Addatur etiam l.cùm illud.§.heres. quando di.leg.ced.si quidem in ea Flor.legitur, *accepisset, locupletior:* vbi tamen ex priori dictione repetita syllaba legendũ est, *accepisset & locupletior:* vti fit in l.ita tamen.§.1.ad Treb.& alibi passim.

B In posteriori stipulatione.] Vet. *in posteriorem stipulationem.*

Cum nouandi animo.] Et hoc est quod dicitur, Si hoc agatur, si hoc actum sit, in l.2.l.6.l.si Stichum.§.1.& §.si quis ita.& §.vlt.de nouat.l.si vnus.§.pactus. de pact. Quod tamen dicitur in l. si rem aliquam.§.si duo.eod.tit.Cùm id specialiter agit, Iustiniani est:à quo id cõstitutum est, vt nisi id specialiter agatur, ἀναβατεύτως (sic enim legendum in constit.Iustiniani ex vet.lib.) causa procedat.

Tunc sol.non.prioris obligationis.] Hæc subditicia sunt, *prioris obligationis.*

AD LIBRVM IIII. INSTITVTIONVM DN. IVSTINIANI.

C

DE OBLIGATIONIBVS QVÆ EX DELICTO NASCVNTVR.

Et qvasi ex maleficio.] hæc omnia oblitteranda sunt.

Veluti ex furto.] Rectè vet.lib. *veluti ex furto, aut rapina, aut damno, aut iniuria.* hæc verò sunt priuata maleficia quattuor: alia aut sunt publica, aut popularia, aut extraordinaria.

Furtum est.] Solius possessionis furtum fit.l.1.§. Scæuola. D.si quis test.lib. Qui rem alienam quam non tenet aufert, possessionis furtum facit: Commodatarius qui re commodata diutius vti-
D tur, vel qui ea ad aliam rem atq; accepit vtitur, vsus, id est, naturalis possessionis: Depositarius si pro suo possidere instituat eam rem, quam iure depositi tenet, ciuilis possessionis: Debitor qui pignus contrectat vel hypothecam distrahit, naturalis possessionis furtum facit. Solius igitur possessionis furtum fit. Et id verò nec fraude fit nec contrectatione sola, sed contrectatione fraudulosa. fraus in eo versatur vt quis possessionem sibi habeat: Contrectatio in eo vt res loco moueatur.l.3.§. si rem. de adq.poss.

Quo furtum fit.] Vet. *quo fit: veluti qui domi furtũ fecit.* & paulò post, *aut vineto fur deprehẽsus sit.*

Vel deponere destinasset.] Vet. *ac deponere rem destinasset.*

Scilicet concepti.] Vet. *id est, concepti.*

Obseruationem non fiat.] Furtorum quæstiones cum lance & licio euanuerunt. Gel. lib.
E XVI. cap.10. In vet.autem libris hoc in loco scriptum est, *non fit.*

Manifestum sit.] Vet. *manifestissimum sit.*

Tam ex serui quàm ex liberi.] In ciuilibus actionibus furti manifesti liberi separantur à seruis, vt auctor est Aul.Gellius lib. XI. non tamen in prætoriis. Vtimur autem hodie pretoriis non ciuilibus.

Subriperet & ad eum perferret.] Vet.cod. *subripiat & ad eum perferat & ser. id ad Ma.pert. (Mæuius dum vult Titium in ip.del.dep.permisit ser.quas res ad eum perferre) vtrùm.* &c. In hac verò specie nec furtum commissum videtur, nec seruus corruptus est: furti tamen & serui corrupti actio competit.

Sancimus.] Vet.cod. *sanximus.* sic etiam legendum est in l.8.C. de testib.& l.1.C. de numerari.
F & act.non *sanciuimus:* auctoribus eisdem codicibus.

Non concurrant.] Vet. *non currant reg.quæ ser.cor.act.introducerent.*

Perpetretur.] Videtur legendum, *pertentetur*, vt in constit.Iustiniani.

In potestate nostra.] Vet. *in pot. nos. sit.* & in §. prox. *aliquando etiam sua rei furtum quisque committit.*

Interdum quoque.] Particula *quoque*, abest à vet.lib.

Eas acciperet.] Vet. *eos exciperet.*

Panno rubro.] Seneca lib. III. de ira. Taurum, inquit, color rubicundus excitat, ad vmbram aspis exurgit, vrsos leonesque mappa proritat. Theophylactus in epist. ἐρυθρῷ ῥάκει τὰ βουκόλια διετάραξε.

G In factum.] In factum prætoria: aut si præcipitata sunt pecora, in factum ciuilis.

Cuius rei.] Non est, *rei.*

Consilium dedit.] Qui consiliũ dedit, furti non tenetur, nisi consilium etiam effectũ habuerit, id est, nisi furtũ factũ fuerit.l.sæpe.§.vlt.de ver.sign.l.qui seruo.§.1.& §.idem Pomp.l.si quis vxori.§.neq;.de furt.ac tum etiã cõsultor ita rectè cõuenietur, OPE CONSILIO TVO FVRTVM FACTVM

FACTVM ESSE AIO. nam huius formulæ sensus hic est, ope aut consilio. Quin etiã in l. qui seruo, is qui tantummodo consiliũ dedit, opem consiliũ tulisse dicitur, & in l. proinde. de cond. furt. ei noncondici, cuius ope consilio furtum factũ est, quod ad eum dumtaxat pertinet, qui cõsilium dedit: quia enim is, qui opẽ tulit, non multùm abest ab eo, qui contrectauit, ei condici potest. l. sæpe. In hoc etiam §. ex libris scriptis probatioribus sic legendũ est, *Qualis est cuius ope consilio:* Tum deinde, *Ope consilio eius:* & in §. prox. *si verò ope consilio.* Inde illæ antiquorum notæ O. C. quas Petrus Diaconus (nisi mendosus est liber eius de notis) sic malè interpretatur, Ore concilio. De hac autem actione, Ope consilio, in l. si seruus seruum. §. si quis manu. ad leg. Aquil. si, inquit Vlpianus, ad aliquẽ peruenerint, Ope consilio furtum factum agendum. A

Faciunt.] Vet. *illis faciunt.*

Furti actio non nascitur.] Directa non nascitur: Vtilis tamen in factum nascitur aduersus filiumfa. militem, hoc est non περὶ κλοπῆς sed περὶ ὑφαιρέσεως. eadem pater tenetur filiof. militi, mater filio, filius matri. l. si quis vxori. D. de furt. frater fratri vt Const. scribit lib. 1. Epitom. quod probo: id enim officiorum & honestatis ratio exigit, quæ eam quoq; iuris regulam extorsit, vt ne frater fratrẽ capitis reum accerseret. l. si magnum. C. qui acc. non poss. B

Furti actione.] Vet. lib. non habent hîc, *actione.* nec in §. fulloni. *actionem.* Creditori, conductori, colono, mandatario, bonæ fidei emptori & possessori, commodatario, vsuario, fructuario, inspectori & depositario interdum, atq; etiam ei qui precario rogauit, furti actio datur: & generaliter non domino tantùm, sed etiam ei, cuius interest non subripi, furti actio datur, modò si ex honesta causa intersit. furi enim & malæ fidei possessori furti actio non datur. Excipio duos casus, quibus fur furti agit. vnus est in l. qui vas. §. si ego. D. de furt. alter in l. itaq;. §. pen. eod. tit. siquidem dempta negatione, vti res ipsa postulat, sic scribamus: *Et sic fit vt teneatur furti & agat.* quod & si in lib. Flor. deprauatum sit, non tamen aliorum librorum auctoritate caret, & confirmatur à Paulo in lib. 11. sent. tit. de furt. *Rem,* inquit, *pignori datam,* &c. C

Persequi possit.] Vet. *persequi potest. Cùm* pro *quia.*

Omnino.] Vet. *omnimodo,* id est, siue par, siue impar soluendo fuerit.

Vtendi causa.] Quid vet. *vtendum accepit.*

Rem subreptam esse apud eum.] Om. vet. lib. *rem subreptam non esse apud eum, commodati actionem instituit: postea autem re comperta voluit.* sic & in l. vlt. C. de furt.

Cùm manifestiss. sit.] Vet. *cùm man. est.*

Ex aspectu furandi.] Vet. non habent. *furandi.* D

Impuberem.] Actione furti impuberem teneri ex XII. tab. constat, quibus cautum est vt manifesto furto prehensi impuberes prætoris arbitratu verberentur, vtiq; noxa ab eis facta sarciatur.

DE VI BONORVM RAPTORVM.

Non tantùm pœna.] Vet. lib. *non tantùm pœna est & extra pœnam rei persecutio sicut in,* &c. quod placet satis.

Nam qui aliquo.] Vet. *quia qui aliquo.* Credo particulam, *quia,* abundare. sic igitur legamus. *Quia ta. ita com. hæc act. si. d. m. quis rapuerit qui aliq er. duc. rem suam esse putat & impr. iuris eo an. rapit quasi do. lic. rem suam etiam per vim auferre.*

Absolui debet.] Vetustiss. codex, *absolui de pœna rapti non de re debet.* sunt autem ea verba, *de pœna rapti non de re,* sumpta ex sententia constitutionum infra scripta. itaq; manifestum est interpretis ea esse non auctoris. E

Statuta principum.] Vet. non habent, *principum.*

Rei quidem suæ.] Qui rem suam rapit, nec vi bo. raptorum tenetur. l. 2. §. hac actione is demũ. D. eod. nec lege Iulia. l. si quis ad se fundum. C. ad leg. Iul. de vi. sed dominio rei suæ multatur ex l. si quis in tantam. C. vnde vi. qua abrogatur §. vlt. l. 3. C. Th. ad leg. Iul. de vi.

Expectatur.] Lego, *spectatur,* vt in l. 1. §. in hac. D. eod. sic & vet. nonnulli.

Per vim non auferri.] Vet. non habent, *per vim.* Quod autem sequitur, vnum casum exprimit, quo depositarius & furti, & bonis raptis actionem habet. Est & alius, si pretium depositionis non quasi mercedem accepit. & hoc Vlp. explicat in l. 2. §. & generaliter. D. eod. titul. *nam,* inquit, *& furti act. habeo, si in re deposita culpam quoque repromisi, vel pretium depositionis non quasi mercedem accepi. Vtilius* &c. quæ verba ideo contra morem meum rettuli quòd vulgò sunt ab interpunctionibus mendosissima. F

Vel quid aliud iuris.] Vet. *vel quod aliud ius,* vt in d. l. 2.

Non vt.] Vet. *vt non.* atq; ita etiam est in l. 2.

DE LEGE AQVILIA.

Damni iniuriæ.] Videtur legendum, *damni iniuria:* vt in l. impuberem. de furt. l. quemadmodum. §. idemque Labeo. l. si seruus seruum. §. si furnum. §. Proculus. §. si calicem. ad leg. Aq. Cicero pro Flacco. Lite contestata iudicio damni iniuria constituto. Sed veteres etiam dicebant, damni iniuriæ, genitiuum pro ablatiuo vsurpantes: vt in l. sæpe. de verb. sign. *pecunia tutelæ ue. sententia.* & in l. 3. ad leg. Corn. de sicar. *pœna.* & in constit. Iustiniani de confir. Pandect. §. hoc autem quod & ab initio. *voce Romana.* G

Præcisè.] ἀποτόμως, vt in l. 1. §. si ei qui. vt leg. no. cau. Abscisse in l. semper. de iu. imm.

Greg

A Gregatim.] Abest à vet.lib.& à Theophilo.

Pecudum. Vet. *pecorum.*

Qui latronem inf.] Vet. *qui latronem occidit.*

Non minùs ex dolo.] Scribendum alio ordine, *non minus quàm ex dolo, ex culpa.* est similis error in l.iurisgentium.§.pactorum.D.de pact.

Traiecerit.] Vet. *transiecerit.* sic distinguitur, *Nam si id à milite quidem in campo, eóque vbi* &c.

Ad exercitandum.] Vet. *exercitandis.*

Publicam aut uicinalem.] Vicinalis via, & publica est: quia vniuerso populo patet. sed & agraria, quæ è via publica diuertitur in villas aut colonias, publica est: priuata via, id est seruitus, non item. De his in l.vlt.de lo.& it.publ.l.2.§.viarum. Ne quid in lo.pub.l.vlt. de ser.rust. & apud Siculũ
B Flaccum in lib.de cond.agr. Magnopere autem hæsitare me confiteor quid sit via lignaria in Aggeni Vrbici commentario de limit.agr. Plerumq; , inquit, via dum cum limite currit etiam si vicinalis est, aut lignaria, aut priuata, finem præstat.

Culpæ reus est.] Ergo incidit in legem Aquiliam. in legem verò Corneliam etsi non incidat, atq; adeò non sit vltimo supplicio afficiendus.l.in lege.D.ad leg. Corn. de sicar. in metallum tamen damnatur auctore Paulo lib. v. sent.eod.tit.

Præcauere.] Vet. *cauere.* & in §.prox. *curationem, atque ob id.* & infra, *medicamenta ei dederit.*

Aequè culpa tenetur.] Rectè vet. *aquè culpa tenetur.*

Quanti hodie erit.] Vet. *quanti is hodie erit.* & in §.prox. *ex quadriga equorum vnum occiderit.*

Damnum per iniuriam datum.] Rectè vet. *damnum iniuria hac parte vindicatur.* sic in prin-
C cip.tit.prox. *damnum iniuria:* neq; adiicitur, *datum.* & in §.ex maleficiis. de act. *de damno iniuria, mixta est.* & l.1.D.ad leg.Aquil.

Aut ruptum.] Scribendum reor, *aut fractum aut ruptum,* vt generale verbum postremo loco ponatur.l.si seruus.§.Tertio.§.inquit.§.cum eo.D.eod.quod & Decéuiri generaliter acceperũt auctore Sex.Pompeio, in ea vt suspicor lege quæ de damno iniuria est ab eis proposita.l.1.D.eod.

Parte legis Aquiliæ.] Non est, *Aquilia.*

De dolo.] Legendum, *ex dolo aut culpa de cetero damno quemque teneri. Hoc tamen.* Auctores nobis iidem sunt qui fuerunt supra.

Vsa esset.] Vet. *vsa est.* & in §.prox. *tam vehementer.*

Vtilis actio.] Quæ & in factum dicitur. est autem in factum ciuilis, id est, ad instar legis
D Aquiliæ.

Ipsa lege Aquilia.] Hoc est quod dicimus ipso iure.

Neque utilis leg.Aq.actio.] Vet. *neque vtilis Aquilia.*

In factum actione.] Hæc est in factum prætoria, quæ nusquam dicitur vtilis Aquilia: quinimmo hic casus quia à lege Aquilia dissimilis est, non potest in eo vtilis Aquilia dari.l. si mensor. D. si mens.fals.mod.dix.l.si verò.§.de viro. sol.matr. & omnino necessaria est actio in factum prætoria extremum iuris sui persequendi subsidium.

DE INIVRIIS.

Quam Græci ἔγκλημα.] Legendum, *quam Græci ἀδίκημα.* & infra, *quam Græci ἀδικίαν vo-*
E *cant.* Hoc distat ἀδίκημα ἀπὸ τῆς ἀδικίας quo Arist. docet lib. v. Ethic. δικαιοπράγημα distare ἀπὸ τῆς δικαιοσύνης.

Pugno pulsatus.] Quid.cod. *pugno puta.*

Quasi debitoris.] Vet. *quasi debitoris poßideantur ab eo qui intellegebat.* quod placet.

Aut carmen aut historiam.] Duo postrema verba non sunt in veter. libr. Est verò ex XII. tab. de famosis libellis capitalis actio. Ex lege Iulia & ad eam pertinente S. C. non capitalis.

Atrociter uerberauerit.] In vet.non est, *atrociter.*

Talio.] In XII. tab.duplio duplum, talio tale, id est, similem siue reciprocam perpeßionem significat. Impp.dixère reciprocam pœnam in l.3.C.Th.de exhib.reis.l.hi quos.C.Th.de accusat. Verba legis XII. tab. hæc sunt. SI MEMBRVM RVPIT, NI CVM EO PACIT, TALIO
F ESTO. sic enim ea lex cùm in Gellio tum in Sex. Pompeio restituenda est. nondum ab quoquam restituta. Lex ait *pacit* ab antiquo verbo Paco quod est paciscor.

Vt in magna.] Vet. *quasi in magna.*

In iudiciis frequentatur.] Atq; ideo moribus recepta hæc actio dicitur. Mixto autem iure actio legis Corneliæ. Legitima actio abolita est.

Vel domum.] Vet. *domúm ve.* ab his scilicet qui derectarij vocantur, vt Paulus adiicit lib. v. senten.de quibus in l. saccularij de extr.cogn.l.1.de effract.

In summa.] Vet. *in summa igitur.* & paulò post, *ast.fac. quemadmodum dictum est.*

Viri illustres.] Idem Valent.dedit episcopis & presbyteris in No. de episc.iud.

Qui dolo fecit.] Legendum, ne idem repeti videatur, *qui dolo fecit vel qui curauit.* quod & vet.
G lib.confirmant.

DE OBLIGATIONIBVS QVÆ QVASI EX DELICTO NASCVNTVR.

Quasi ex maleficio.] Hæc actio est velut ex maleficio, quia plerumque in imperitum iudicem

 cem

cem datur. Imprudentia verò iudicis prolata sententia οὐκ ἄδικος ἡ κρίσις ἐστὶν, ἔστι δ᾽ ὡς ἄδικος; quemadmodum Aristo. scribit lib. v. Eth. A

Quia plerumque ob alterius.] Et hoc quidem casu cùm ipse nihil nocuerit, certo certius est cessare actionem legis Aquiliæ, atque ideo sic immutatis permutatisque verbis quibusdam legendum esse in l. 5. §. cùm autem. D. de his qui effud. vel deiec. *Cùm autem hac actione propter hoc quis condemnatus est, quòd hospes vel quis alius de cenaculo deiecit, merito ei in factum.* quod & alij quidam adnotarunt.

Cui similis.] Quia & hæc & illa est quasi ex maleficio: Ceterum pœnæ sunt diuersæ. Et hæc quidem popularis est, illa priuata ex primo capite, popularis ex secundo: hæc heredibus non datur, illa datur heredibus ex primo capite: hæc annua est, illa perpetua ex primo capite.

Operas.] Vet. *operarum.* vt in l. vlt. D. eod. B

De dolo.] Scribendum existimo, *de damno*: vt in l. 4. §. vlt. D. de. obl. & act. & paulò post, *hac actio*, non *hic actio.*

Quorum opera.] Factum autem vectorum in hac actione non venit: in actione de recepto, quæ est ex contractu, factum vectorum venit.

DE ACTIONIBVS.

Ius persequendi.] Ius, formula. In iudicio, apud Pedaneos iudices. In iure actione nō vtimur. Debetur autem quodcumq; peti potest: quin etiam debetur & petatur sunt paria. l. si stipulatus, in fi. l. ita stipulatus. de verb. obl. Hæc igitur definitio omnem actionem comprehendit.

Iudices arbitrósue.] Iudices adduntur actionibus strictis, Arbitri actionibus bonæ fidei & arbitrariis: Illi ex formula, hi ex bono & æquo iudicant. sic in l. à D. Pio. D. de re iud. l. 7. D. ad leg. Iul. repetund. C

Vel ex contractu uel ex maleficio.] Hoc etiam trahi debet ad varias causarum figuras ex quibus scilicet agitur quasi ex contractu, vel quasi ex maleficio. sic enim varias causarum figuras accipi oportere, ex collatione & coniunctione l. 1. de obligat. & action. cùm l. 4. liquidò constat.

Et aliis quibusdam modis.] Ex his actionibus quædam & re ipsa & figura verborum in personam sunt: quædam in rem sunt scriptæ, vi ipsa in personam. priores semper aduersus eūdem dantur, posteriores non æquè. Illis intendimus aduersariū dare aut facere oportere: his nō item, quandoquidem eas non in personam sed in rem & generaliter concipimus: Harum exempla hæc sunt, Ad exhibendum, Quod metus causa, Ex causa interdictorum. D

Possessor autem dominum.] Vet. cod. *& possessor dominum.* Hoc verò est contrà vindicare.

Aeque si agat quis.] Abest, *quis*, à vet. lib. & in hoc loco, & in prox. vers.

Altiùs ædes suas tollendi.] Aut iure meo aut iure seruitutis ædes altiùs tollo. Iure meo, si non vicino cessero ius mihi non esse altiùs ædes tollendi: Iure seruitutis, si vicino iam antè cessero ius mihi non esse altiùs ædes tollendi. vt in l. egi tecum. D. de exc. rei vend. l. si domus. de ser. vrb. l. si mihi. de ser. rust. Iure meo ædes altiùs in immensum tollere possum, Iure seruitutis vel vsque ad certam altitudinem, vel in infinitum, dum tamē inferior vicinus ne grauetur. l. cuius. de ser. vrb. Iure meo si ædes sublatas habeo, in earum refectione antiquam formam seruare non cogor: Quòd si iure seruitutis, seruare debeo formam ædium antiquarum, quas ipse cùm depressas haberem, vicino concessa seruitute, is mihi porrò concessit, vt altiùs tollerem: Ergo eisdem fundamentis & eadem seruata crassitudine muri, eas reficere debeo. l. qui luminibus. l. seruitutes. §. si sublatum. de ser. vrb. E

Prospiciendi uel proiiciendi.] Proiectiones sunt mœniana, quæ Græci ἐξώστας vocant. sic verò legendum est in l. mœniana. C. de ædif. priua.

Contrà quoque.] Paulò post ait, vt est in vet. *Inuicem quoque.* & inde nimirum contraria hæc actio dicta est. l. sicuti. D. si ser. vind.

Prospiciendi.] Legendum, *prospiciendi, proiiciendi, immittendi. Ista.*

Negatiuæ.] Sic in l. vti frui. Si vsusfr. pet. frequentius autem negatoriæ dicuntur.

Rem actoris esse.] Actoris, id est, petitoris qui se dominum esse contendit. Possessor in petitorem negatoriam non habet. In ipsum possessorem petitor confessoriam habet. F

Sanè uno casu.] Quid cod. *sanè in vno.* quidam, *sanè vnoq.* Placet à Barone annotata lectio, *Sanè in hoc casu.* i. in controuersiis seruitutum. Vel potius quod quidā cod. habent, *sanè hoc vno casu.*

Sicut in latioribus.] Tit. Si vsusfr. pet. & tit. Si ser. vind. In his libris sic sæpe relegat nos Iustin. ad Pandectas. semper autem non legem aliquam aut caput vnum, sed titulum aliquem aut librum significat, vt in §. rursus. titulum Ex quib. caus. maio. & in §. item si de dote. titulū, De imp. in res dot. fac. & in §. hæc exempli, de except. librum de exceptionibus. & in §. vltim. de public. iudic. librum publicorum.

Vt ecce.] Vet. *Ecce plurimum ita permittitur in rem agere, vt vel actor diceret. Plurimum*, id est, τὸ πλεῖστον, vt in l. vrbana prædia. de verb. sign. Ait *permittitur*, vt in §. rursus. j.

Ex diuerso possessorem aduersarium suum.] Quidam, *ex diuerso possessor dicat.* quod rectum non est. G

Accommodat.] Accommodari propriè dicuntur actiones vtiles, cuiusmodi sunt rescissoriæ omnes & restitutoriæ.

Posses

A Possessis.] Legendum, *ex sententia praesidis possessis.*

Eam rem petere.] Haec actio Pauliana dicitur.est & Fabiana siue Caluisiana. Pauliana est in rem,Fabiana in personam.l.1.§.haec actio.D.si quid in fraud.patr. Cùm enim Fabiana non omnino rescindat traditiones.d.l.1.§.si quis in fraudem. non tam in rem patronus quàm in personam, cum possessore quasi cum debitore agere videtur.l.quod si in diem.§.idem scribit.de pet.her.atq; eo etiã fit,vt non finiatur anno.Rescissoria finitur anno,quia est contra legẽ, id est, contra vsucapionẽ.l. in honorariis.D.de obl.& act.Pauliana aequè anno finitur,quia est contra alienationem iure factam.

Capiunt.] Vet. *capit.*

Pro mercedibus fundi ei tenentur.] Non tacito iure, sed ex pacto.§. interdictum.j. de interd.& hoc certissimum est:nec fuit alia sententia.l.certi.C.de loca.In prediis,inquit, rusticis necesse B est voluntate siue scientia domini pignus induci: quae verba conuentionem significant.l.Pomp. D. in quib.caus.pign.vel hypoth.In vrbanis,conuẽtio non est necessaria. Enimuero res coloni pignoris iure tenentur,non tantùm generali pacto, veluti si conuenerit vt inuecta & illata pignori essent, sed etiam speciali: & hoc quidem pacto etiam ea quae inducta non sunt tenentur. l. si non inducta. C.in quib.caus.pign.tac.contr.Haec de rebus coloni.Ibi nata quia solebãt semper pro mercede obligari.l.si seruus.§.locaui.D.de fur.nemo dubitat in eis tandem receptum fuisse ius pignoris.

Quasi Seruiana.] Et hac igitur actione etiam de rebus inquilini agitur.nam de rebus tantùm coloni Saruiana actio,Saluianumq; interdictum propositum fuit.

Attinet.] Abest à vet.lib.

De qua re.] Siue de pignore siue de hypotheca.

C Hac appellatione.] Malim, *hac actione.* quod & Th.sequitur.

Propriè.] Propriè pignus traditione, hypotheca conuentione constituitur. In actione tamen hypothecaria his nominibus abutimur: & ideo Marcianus de hypothecaria formula tractans, dixit pignus ab hypotheca sono tantùm differre,quod est ac si diceret significatione nõ differre.nam quemadmodum pharmaca quae eadem sunt,odoribus tantùm & coloribus:ita verba quae idem significant, sono tantùm aut syllabis litterisq; inter se differunt. Significatio igitur est eadem: sonus est diuersus,syllabae & litterae sunt diuersae.

Et ea quasi.] Vet. *ea quasi.* & paulò post, *Item praetor proposuit de pec.ser.filiorúmquefa. & ex qua.*

Accommodat.] Et ideo vtilis est actio ad instar iudicati.l.sed etsi pos.§.vlt.l.quod si iuraui.l.si duo.§.1.D.de iureiur.

D Praetor poenae multas.] Legendum, *Praetor bene multas.* sic vet.lib.

Vel libertus sit.] Interpretes addidêre, *an seruus,* quod superfluum est. Addidêre & alia praeiudiciorũ exempla.ipse tria haec dumtaxat agnosco.nam quod ait.l.3.D.de lib.agnosc.locũ esse praeiudicio si disceptetur,an vxor fuerit, eo pertinet, vt in praeiudicio de partu agnoscendo illa quaestio disceptetur an vxor fuerit.& in l.Impp.de pri.cred.non *praeiudicio,* sed *per iudicem* rectius in aliis codicibus legitur hoc sensu:frustra desiderari per principem rescindi venditionem, cùm per iudicem experiri liceat.Legendum enim etiam est,*per principem,* quanquã Flor.dumtaxat legatur,*principem.*

Ex quibus ferè.] Quid cod. *ex quibus ferre.* malim, *ex quibus certè*: fuitq; iam olim similis error in l.quidquid.de verb. oblig. Huius autem sententiae ratio ea meo iudicio verior est quam Placentinus tradit in lib.Actionum.

E Si apparet.] Sunt cod.qui habent, *si paret.* & paulò post, *si apparet,* non, *si appareat.*

Denuntiare.] Denuntiationẽ sequebatur actio in personã. Terentius,Ego te cognatũ dicã,& tibi scribã dicam:vbi Donatus,A denuntiatione,inquit,in personã ne diceret,nõ mihi denuntiasti.

Non manifesti.] Vet. *nec manifesti.*

Plurimi fuerit.] Hoc amplius vet.cod. *plurimi & magni pretij fuerit.*

Item mixta.] Cùm initio dixerit, ex maleficiis: videtur haec actio esse ex maleficio. sed verius est quasi ex contractu eam nasci.§.heres.§.vlt.s̃.de obl.quae quasi ex cont.

Erciscundae.] Sex.Pomp.Erctum scitum quod fit inter consortes,vt in libris legũ Romanarũ legitur.Erctum à coercendo dictũ est.Vnde erciscũdae & ercisci. Sunt autẽ eae tres actiones ex XII. tab.quod & ipsae actionum appellationes indicant quae sunt antiquae,& l.1.fam.ercisc.l.vlt.fin.reg.

F Quamplurimis.] Vet. *quampluribus.* & in extremo §.prox.superius diximus.

Tripli.] Quid.cod. *in triplum,* ab omnibus autem abest *Agimus.*actio furti concepti,furti oblati fuit olim tripli:& de eis Caius sensit in l.3.qui satisd.cog.

Inserunt.] Vet. *inseruit.* Cùm actor plus summa petiit.

Viatores.] Hi sunt qui in ius vocant, qui iudicata exigunt,quibus imminendi (sic enim legẽdum est in l.12.C.de prox.sac.scrin.)litibus solicitudo iniuncta est.

Exigerent.] Legendum, *exegerint.*

Quam proculdubio.] Legendum, *ex qua proculdubio est ex lege condicticiam emanare*, auctoribus lib.vet.Condicticiam,id est,condictionem.In §.prox.sic etiam legendum est,*Item ex lege condicticia ex nostra constitutione oritur,quadrupli condemnationem imponens.*

G Quadrupli autem agitur.] Vet.non habent, *autem agitur.*

Id est damni iniuriae.] Vet. *id est damni iniuria ex lege Aquilia & de dolo interdum depositi.* quod & Acc.notauit.Bene *de dolo*, vt in §.planè si depositi.s̃.

Nostrorum.] Abest à vet.

Quaedam stricti iuris.] Th.legit, *quaedam stricta*, sed non malè etiam stricti iuris dicuntur. l. vnica.

vnica.§.sed etsi non ignoramus.C.de rei vxo.act.Bona fides & syncera fides dicitur in l.2.C.si prop. A
pub.pensit. Bonæ fidei clausula arbitro liberum arbitrium tribuit: doli, pacti, in factum, actionem exceptionemq; & omnia condictionum genera complectitur. Strictum iudicium neq; bonæ fidei neq; arbitrij clausulam habet, ea re dolus stricto iudicio non vindicatur, neq; vlla cum eo cōdictio concurrit, neq; iudici liberum est absoluere, aut quanti velit litem æstimare.

Hereditatis petitio.] Lex sola bonæ fidei iudicia facit. fuit olim stricta ex stipulatu actio pro dote, nunc est bonæ fidei ex constit. Iustiniani: fuit olim petitio hereditatis stricta, nunc est bonæ fidei eodem auctore.

Inter bonæ fidei.] Vet.cod. *siue inter bonæ fidei iud.con.her.pet.esset siue non.* similis à me adnotata est scribendi ratio in §.pretium.s̄.de emp.& vend.

Fuerat antea.] Vet. *fuerat & rei ante vxoriæ* & j. *in ex stipulatu actione quæ de dot.ex prop. transtulimus.* B

In hypothecis.] Tacitis vel manifestis, vt Martino videtur, & verum est. Excipitur fiscus, cui si prior tempore fuerit, mulier non præfertur: videlicet si inter eos solos controuersia sit.l. dotis. C. de iu.dot.namque in hac specie, res obligata est Titio, deinde Fisco, tum doti: Fisco præfertur Titius, Titio mulier, atque ita fit vt dos fisco sit potior. quæ species ab Græcis interpretibus exposita est.

Sed & in stricti.] Vet.cod. *sed & in strictis iudiciis.*

Iniquum.] Vet. *impium.*

Præterea.] Præter strictas & bonæ fidei.

Ex arbitrio.] Arbitrium iudicis & arbitratum dicitur.l.qui restituere de rei vind.l.illud. de eo quod met.causa.& officium.l.metum.§. ex hoc edicto. eod. Actiones autem arbitrariæ non vtique sunt illæ, in quibus condemnationem iussus præcedit: quemadmodum fit in vindicatione, ad exhibendum, Quod metus causa. sed ex quibus condemnatio fit officio arbitrioq; iudicis. In actionibus bonæ fidei condemnatio fit ex actionis natura in qua id additum est, Tum ex bona fide reus damnetur. In actionibus strictis condemnatio fit ex stricta formula, neq; in eis amplius quidquam venit, vel actionis natura vel officio iudicis. C

Nisi arbitrio iudicis.] Non est satis rem restitui, non est satis solui, nisi quod interest ratione loci soluas. Non est satis dedere seruum vt libereris, debes sine dolo dedere. Quid enim si prius venenū dedisti seruo, atq; ita dedidisti? Non est satis restituere te rem, quam metu à me extorsisti, cùm omni causa & fructibus restituere debes. hæc autem officio arbitrioq; iudicis debentur, quæ nisi præstes in ea te condemnat iudex. D

Quod ui.] Vet.carent hîc, *vi.* quod probatur à l.1.de eo quod met.cau.

Vt omnino.] Vet. *vt omnimodo.* & paulò post, *vel certæ rei.*

Intentione sua.] Vet. *in intentione sua plus complexus fuerit, quàm ei competebat, causa cadebat.* & hoc quidem lege XII. tab. proditum fuisse, sunt qui existiment, quòd Cic. in hunc modum scribat in 1.de Orat. Quod alter plus lege agendo petebat quàm quantum lex in XII. tab. permiserat. quibus ipse non assentior. nam de actione tutelæ Cicero loquitur, quæ lege XII. tab. in duplum permissa est.l.tres tutores. de adm. tut. ille autem petitor ea lege agendo plus petierat quàm quantum lex ipsa permisisset, puta triplum vel quadruplum, atque ita litem perdiderat. Patronis nota erat lex XII. tab. non tamen illa iuris definitio, qua cauetur formula excidere eum qui intentione sua plus complexus fuerit quàm ei debeatur. E

vide inf. de except. pag. 69.

Sicut in aliis.] Vet. *sicut in aliis causa cognita.* & paulò post, *solitum fuerat.*

Etiam maiori.] Seneca lib. VI. epist. Quid enim aliud agitis cùm eum quem interrogatis sciētes in fraudem inducitis, quàm vt formula cecidisse videatur? sed quemadmodum illum Prætor, sic hos philosophia in integrum restituit.

Maiorem partem.] Vet. *maiore ex parte.*

Certo loco.] Vet. *certo loco stipulatus est alio in loco.*

Quo se solut. spopondit.] Hæc non sunt in vet.lib.

Alterum petat.] Vet. *alterutrum petat.*

Maioris pretij est.] Vet. *magni pretij sit. Sed hæc quidem, &c.* F

Si minus.] Vet. *si minùs in intentione sua comp.fue.ac.quam ad eum pertineret: veluti si cùm X.*

Eodem iudicio.] Vet. *in eodem iudicio condemnat.*

Non semper solidum.] Vet. *non in solidum exequimur quod debetur nobis, sed modo sol.pers.mo. mi. vt ecce si de filij serui ve peculio agamus.* & paulò post, *pater dominus ve condemnatur.*

De dote in iudicio.] Vet. *de dote iudicio.* & paulò inferius, *quantum facere possit.*

In reliquum.] Vet. *iudex in reliquum.*

Cum eo quoque.] Om.vet.cod *Eum quoque.* & paulò inferius, *creditores cum eo experiuntur.* atq; ita Ang. Aretinus legit. est autem ϕλοισκοφανές.

Fortunis.] Vet. *diuitiis.*

QVOD CVM EO QVI IN ALIENA POTESTATE EST NEGOTIVM GESTVM ESSE DICITVR. G

Seruetur.] Vet. *obseruatur.* vt & initio §.illud.j.& in §.prox.actionem, Quod iussu pollicetur.

Cùm

A Cùm quis seruum suum.] Vet.non habent *suum.* & paulò post habent, *cui præpositus erat,* sic & in versic.institoria. Est autem hæc actio quasi quædam institoria actio.l.4.C.de instit. act. sed tamen à prætore ideo seorsim proposita est, quòd in ea præcipua quædam ex vtilitate nauigantium obseruantur.

Interueniat.] Vet.*interueniebat.*

Ius dicit.] Quid.cod. *ius reddit.* Th. δικαιοδοτεῖ. Intelligit autem edictum prætoris, quo tamen verius ius prædicitur quàm dicitur. & ideo non potest edicere is, cui, vt ius diceret, à prætore aut præside mandatum est.

Debebitur.] Vet. *deberet.*

Et ideo Tributoria uocatur.] Hæc verba, *ideo Tributoria vocatur,* non sunt in vet. lib. certè
B superuacanea sunt:quandoquidem in extremo huius §.*quæ,* ait, *Tributiora appellatur.* sic autem habent vet.libri, *Et quia ipsi domino distributio permittitur. Nam si quis,* quod deleta particula, *nam,* ita corrigendum reor. *Et quia ipsi domino distributio promittitur,si quis,* &c.Apparet ex eo per hanc actionem distributionem non fieri, sed à domino iniquè factam distributionem accusari, quod etiam confirmat l.3.§.si seruus.l.procuratoris.in princip.l.illud.§.si cuius.l.quia non.l.vlt.D.de trib.act.l.3. quan.ex dol.tut.

Patitur.] Vet. *patiatur.* & paulò post, *pro quinque in solidum.*

Licet enim una sit.] Vet. *licet enim vna est.* Actioni de peculio inest adiectio.De in rem verso.nam quodcumque seruo dominus debet,in peculium imputatur.Id autem quod in rem domini versum est,seruo dominus debet.l.1.in fin.l.si pro patre.§.versum. & §.si domini de in rem vers. er-
C go id etiam in peculium imputatur.Condemnationes tamen diuersæ sunt,nam de in rem verso dominus in solidum condemnatur, neque id deduci potest quod domino seruus debet.l.quædam.l. seruus si in rem.§.cum Sticho. D.eod.Aut enim in rem versum nō est,aut domino nihil seruus debet, propterea quòd si domino quid seruus debeat aut debere incipiat, iam ob id ipsum in rem versum non est aut esse desinit.l.si pro patre.§.si domini.§.idem quærit.l. quidam.D.eod.Cùm verò in rem versum nō est,de peculio fit condemnatio deducto eo quod domino debetur.Verùm enim cùm ex his liquidò cōstet actioni de peculio inesse adiectionem de in rem verso, quod possit etiam comprobari à l.1.§.filiusfamilias.D.de in rem ver.l.2.§.apud Iulianum de her.vend.l.2.quan.de pec. ac.anna.sit.tunc solum dicemus necessariam esse actionem de in rem verso,cùm deficit actio de peculio.l.1.l.si pro patre.§.1.l.si in rem.l.filiusfamilias.D.de in rem ver.

D Ei'ue.] Vet. *quid'ue ei.*

In prædijs uel.] Vet. *in prædiis & mancipijs & fœnebri.*

Et nepote.] Vet. *aut nepote & nepte, vel patre & auo in cuius potestate sunt.*

Qui in potestate.] Vet. *qui in parentis erunt potestate.*

Directo.] Paulò post ait,*principaliter.*ex quo apparet idem esse directo & principaliter,vt & in l.vlt.D.de legat.lib.3. Certi condictio principalis est actio siue directa.Quod iussu, De in rem verso, Institoria, Exercitoria, veluti accessoriæ quædam sunt actiones. Ergo agitur cum patre domino'ue aut quasi cum reo principali aut quasi cum accessore.Directa actio vtili opponitur, opponitur contrariæ. idq; translaticium est. opponitur verò etiam honorariæ. l.electio.§.si plurium. de noxal.act. & accessoriæ.l.deferre.§.vlt.de iu.fisci.& præparatoriæ. l.3. §.idem subiungit.l.si quis hominem. D.
E ad exhib.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

Aut ipsum hominem.] Quid. cod. *aut hunc hominem.* quid. *aut hominem.* hos verò probarim potius quàm illos. malim tamen, *aut noxam dedere.* vt in.§.1.ꝟ. de offic. iud. l. 1. D. de nox. act. alioqui non rectè sequitur, *Noxa autem est corpus.* sed noxa etiam pro peccato accipitur. Noxæ igitur hominem dedere,id est,pro peccato.quod alibi ad noxam, in noxam. l.si iure. §.vlt.de nox.act. l.1.§.cùm arietes.si quadr.paup.fec.

Cui deditus est seruus.] Vet.non habent, *seruus.*

F Veluti furti.] Vet. *veluti furti lege 12.tab.damni iniuriæ lege Aquilia.* Rectè autem Acc.noster, furti nec manifesti. Actio enim furti nec manifesti in duplum, est ex XII. tab. Actio furti manifesti in quadruplum, est è iure prætorio quod & ex recentibus Ant. Augustinus probat & Ant.Contius Biturigum scholæ non incelebris doctor fortiter defendit.& mihi verissimum videtur.

Dari,ut pene.] Om.vet.cod. *dare vt pene per corpus pater magis:* rectissimè. Sensus est,Patrem per corpus suum propemodum periclitari magis quàm filium.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

Scripta est.] Deditio reo prodest ad liberationem,quoniam ita lex XII.tab.*scripta est. At quæ* sequuntur,vtputa *si equus* &c.exempli gratia ponuntur,nec sunt ex XII. tab.
G Quia desiit.] Vet.cod. *quia desiuit.*

Pauperies autem.] Quid ergo fiet si quadrupes depasta sit agrum alienum ? depasci enim est vti,Vti autem non est damnum dare.l.qui occidit.§.si quis alienum. D.ad leg.Aquil. sed tamen vna eademq; lege simul.De pauperie quadrupedum & de pastu pecoris prodita est noxalis actio auctore Paulo lib.1.sent.eod.tit.

Hæc quidem.] Vet. *hoc est quod ad noxalem actionem pertinet.* A

Verrem, aprum.] Hinc planum fit in l.hi enim.de ædil.edic.hæc verba superesse, *vel minorem.*

DE HIS, PER QVOS AGERE POSSVMVS.

Pro populo.] Pro populo, syndicus, actor: pro libertate, assertor: pro tutela, tutor: sed & pro populo, pro libertate, & de suspecto tutore, quilibet experiri potest.

Sed quia.] Vet. *& quia.* & paulò post, *multæ iustæ causæ.*

Neque certis uerbis.] Et hoc est quod Paulus ait lib.I. sent. Procuratorem nudis verbis constitui. sequitur ex vet.lib.neq; præsente aduersario, immo & plerumque. B

DE SATISDATIONIBVS.

Si uictus esset.] Vet.non habent, *esset.* Sunt verò huius satisdationis vestigia quædam in l.si petitor.l.si seruus & passim.sub tit.iud.sol.l.pen.de dolo. l.si eum hominem.de fideiuss. l.in causæ.§. si ex parte de procur.l.2.de præt.stip.

Satisdare cogebatur.] Non tantùm de iudicato sed etiam de rato. l.Pomponius. §.sed & is qui.de procurat. De iudicato cauet etiam si apud acta constitutus vel aliàs confirmatus sit. l.I. C.de satisdat.non tamen de rato.

Verba edicti.] L.seruum.§.ait prætor.de procurat. vulgo autem receptum est, vt ne caueant de rato quia domini sunt, & verò rem in iudicium deducunt, nisi si dubitetur an tutores vel curatores sint, vel an administratio eis commissa sit.l.vulgo.de administ.tut.quod & in actoribus vniuersitatum obseruatur. l.item. §.actor.quod cui.vniuers. Actores autem tutorum vel curatorum omnimodo cauent de rato, id est, siue dubitetur de decreto, siue non.l.actor.rem rat.hab.idemq; dicendum est de procuratoribus, siue constet de mandato siue non. C

Omnimodo satisdaret.] Defensor in iudiciis in rem & de rato cauet & iudic.solui. De rato ideo, quia si fortè fortuna ipse vincatur, periculum est, ne reuersus dominus rem, qua de agitur, suam esse petat. In iudiciis in personam, de iudicio cauet non de rato. l.de pupillo. §.pen. §.vlt.de no.op. nunt.nam condemnato defensore, non est ratio, qua possit dominus retractare id, quod actum est, exceptis quibusdam in quibus & ob eam rem de rato exigitur cautio. l.sed & ex. §.vltim.& l.proxi. de procur.

Siue personali.] Vet. *siue in personam.* & in §.si verò reus, *vel personam.* D

Sed pro sua tantùm.] Hodie reus non satisdat iudicatum solui, sed iudicio se adfuturum vsq; ad finem litis aut satisdat, aut iurat, aut repromittit. Iurat vir illustris. l.quotiens.C.de dignit. & qui immobilia possidet. l.sciendum. qui satisd.cog. l.in sacris.3.C.de prox.sac.scrin. l.multis. C.de princ. agent.in reb. No.Valent.de episc.iud. Repromittit clericus in quibusdam causis, qua de re agitur in l.cum clericis.& l.omnes.C.de episc.& cler.

Pro qualitate personæ.] Fideiussores idonei dantur pro qualitate rei, qua de agitur. l.I.D.in ius voc.vt eant.l.si verò.§.I.qui satisd.cog.nō vt Acc.opinatur pro qualitate rei cum quo agitur. Mouetur edicto prætoris, cuius sententia hæc non est à parente quo cum agitur similibusque personis qualescumq; fideiussores dari, sed earum personarum fidei, etiam si locupletes non sint, reos committi. Sensus autem horum verborum, *pro qualitate personæ suæ*, hic est: pro qualitate reorum aut fideiussoriam aut iuratam, aut nudam ab eis repromissionem præstari. E

Satisdationem sollemni stipulatione.] Vet.cod. *satisdationis sollemnes stipulationes.* & rectè. nam tres hæc satisdatio clausulas habet.

Heredes eius.] Vet. *heredes sui.*

In iudicium ueniet.] Quid cod. *in iudicio inuenietur.* & Th. εὑρεθήσεται ἐν τῷ δικαστηρίῳ. quod probo.

Fideiussor.] Omnino delendum est hoc nomen.

Quotidiano.] Vet. *à quotidiano.* & in §.vlt. *cùm necesse est.*

DE PERPETVIS ET TEMPORALIBVS ACTIONIBVS, ET QVÆ AD HEREDES VEL IN HEREDES TRANSEVNT. F

Certos fines.] Omnium autem celeberrima est constitutio Theodosij de præscriptione xxx. annorum.l.sicut.C.de præscript. xxx. de qua & in No.Th. & Valent.de xxx. ann.præsc. & in No. de episc. iud. Sidonius Apollinaris lib.8. Per ipsum ferè tempus, vt decemuiraliter loquar, lex de præscriptione tricennij fuerat proquiritata, cuius peremptoriis abolita rubricis lis omnis in sextum tracta quinquenniū terminabatur. Intelligit autem Sidonius No.de præscript. xxx.anno.nam vt ex eodem auctore apparet Asterio consule ea lex proquiritata (& id quidem decemuirale verbum est) fuit. De hac præscriptione Cassiod.lib.v. Tricennales, inquit, humano generi patrona præscriptio eo quo cunctis vobis iure seruabitur. & Sudas in verbo τρίσκος, ἐμφανῶς ἐπεὶ δὲ ὁ νόμος ἐμποδὼν ἵστατο τὰς μὲν ἄλλας δίκας ἁπάσας ἐς τριακοντοῦτιν παραγραφὴν ἄγων, ὀλίγας δὲ ἄτλας καὶ τὰς ὑποθηκαρίας πάσας μ. ἐνιαυτῶν μήκει ἐκκρούων. Quòd autem ait de hypothecariis & præscriptione xl. annorum, in debitoribus locum obtinet & heredibus creditorum & posterioribus creditoribus quam- G

diu

A diu debitor ſuperſtes eſt, alioquin ad hypothecariam ſufficit XXX. annorum præſcriptio. Addit & in quibuſdam aliis cauſis neceſſariam eſſe præſcriptionem XL. annorum. quod ex tit. de præſcript. XXX. vel XL. anno. quia colligi poteſt, noſque id ad maiorem ſcribendi diligentiam reſeruamus, nunc prætermittemus.

In heredem rei.] Non eſt, *rei.*

Et ſi qua alia ſimilis.] Huic ſimilis fuit actio De moribus.l.vlt.C.Th.de inc.nupt.

Veluti cùm teſtator.] In vet.lib. non eſt, *veluti.* quod rectiſsimum eſt: ne alioquin hæc ſententia pugnare videatur cum l.ad ea.D.de diuerſ.reg.iu. Quando autem non detur in heredem actio ex contractu, ex defuncti dolo, demonſtratum eſt in §.planè.ſ.de actionib. vbi dupli actione de dolo defuncti heres non tenetur.

B

DE EXCEPTIONIBVS.

In factum compoſita.] Quòd ait compoſita, ad ſolam exceptionem in factum referendum eſt, quæ & in factum concepta dicitur.l.quod de bonis.ad l.Falc. Eſt autem hæc erroris exceptio.

Si apparet.] Quid cod. *ſi paret.*

Exceptionem iuriſiurandi.] Defendi etiam poteſt per exceptionem pacti.l.ſed etſi ſeruus.D. de iureiur. nam iuſiurandum ex pactione venit. Ex hac etiam exceptione & aliis omnibus oritur generalis exceptio doli.l.2.§.& generaliter.D.de do.except.

Cùm temerè.] Quia obſtabat exceptio rei iam antè in iudicium temerè deductæ & conſumptæ, id eſt, exceptio rei iudicatæ: atq; ita obſtabat ante tempus dilatoria, poſt tempus peremptoria
C exceptio, ideo rem amittebant. Vt verò res in iudicium illud prius deducta videatur, neceſſe eſt actorem egiſſe purè, ſibi dari oportere: namq; ſi egerit ſub exceptione hac, Cuius pecuniæ dies fuerit, & reus iudici probauerit eius pecuniæ diem nondum eſſe, nec malè egiſſe, nec rem in iudicium dediſſe & conſumpſiſſe videtur. Quamobrem à Q. Pompeio Prætore, vt M.Tullius refert in 1.de Orat. cùm petitor ante diem puram actionem ſibi dari poſtularet, rei patronus perquam ſtultè contendebat, ſine illa exceptione actionem dari non oportere: neq; intelligebat ſi purè actum eſſet litem eum amiſſurum, ſi ſub exceptione, poſt tempus eum denuo rectiſsimè acturum. Similis fuit imperitia Hypſæi & Octauij quæ à me fuit explicata in §.ſi quis agens.ſ.de actionib. Eſt de tutela ex XII. tab. actio Rationibus diſtrahendis in duplum. Hypſæus pro pupillo à M.Craſſo prætore poſtulabat, vt ſibi liceret in triplum agere. Octauius pro tutore non niſi in duplum actionem dari opor-
D tere cōtendebat: neq; intelligebat ſi in triplum actionem impetrari fuiſſet, hoc ſolo ſe tutelæ actione liberatum iri.

Imo totum duplum pœnæ nomine poſtulabat, cum tamen hæc actio in duplo rei perſecutionem contineat. l.2.ff.de tut.et rat.diſt. ut eleganter probat Hotomanus. ad ll.XII.tab.3.§.c.17.pag.129.

Sine offenſa militaris.] In vet.non eſt, *militaris.*

DE REPLICATIONIBVS.

Etiam fideiuſſoribus.] Eis verò quæſita ſemel exceptio inuitis non extorquetur.l.vlt.D.de pact. cui non aduerſatur l.ſi vnus.§.pactus.eod.tit. nam in eo §.hæc verba, *Eadem ratione,* ſic accipienda ſunt, ſi ipſis ſcientibus poſterius pactum interpoſitum eſt, vt qua ratione reus amittit exceptionem, eadem etiam amittant fideiuſſores.

E

DE INTERDICTIS.

Actionis verbo continentur interdicta.l.actionis.D.de oblig.& act. Cic.pro Cæcin. Vtrùm hanc actionem habetis qua nos vſi ſumus. Ceterùm hoc inter ſe diſtant quòd actioni addatur iudex, interdicto non item.

Fiebat.] Quid cod. *faciebat.*

Veluti uim.] Vt in interdicto Vti poſsidetis, & de ſuperficiebus, ADVERSVS EA VIM FIERI VETO: quod & in l.1.D.vti poſſ. & ex Ælio Gallo integrum ab Sext. Pompeio proponitur, vbi quid ſit poſſeſsio definit.

Quia inter duos.] Sic conſtanter habent omnes lib.ſcript. *non quia interim.* Iſidorus tamen & Anianus in Notis ad Paulum lib.v.ſent. interdictum definierunt, ſententiam interim dictam.

F Petitoria actio.] Quid.cod. *petitoris actio inſtitui: quia & ciuilis & naturalis ratio perſuadet vt, &c.*

Et potius poſsidere.] Illa, *& potius,* expungenda ſunt ex auctoritate lib.ſcript.

Nec ulla dubitatio.] Poſſeſsio nudo animo retinetur, nudo animo amittitur, nudo animo non adquiritur. Sunt qui contendant nudo quoque animo poſſeſsionem non amitti ex l.quemadmodum.D.de adquirend.poſſeſſ. ſed ea lex, vt apparet ex inſcriptionum ſimilitudine, conferenda eſt cum l.fere.D.de diuer.reg.iur. In qua meritò additur *fere.* nec enim omnino vt adquiritur, ita etiam amittitur poſſeſsio. nam etſi non amittatur ſolo corpore, propterea quòd ſolo animo retinetur, ſolo tamen animo amittitur. nec eſt alia ratio propter quam videatur additus ille articulus, *fere.* fuit autem hæc Ioannis ſententia, quam his verbis interpretes Græci exprimunt. καλῶς οὖν, τὸ σχε-
G δὸν, καὶ ἐπὶ τούτου τοῦ θέματος πρόσκειται. ᾧ γὰρ τρόπῳ δυνάμεθα κτήσασθαι νομὴν τινὸς πράγματος, οὐ πάντως ταύτῃ τούτῳ καὶ ἀποκλώμεθα.

Interdictum unde ui.] Hoc eſt momenti interdictum, quod & celeris reformatio dicitur. De eo tractatur in tit. Vnde vi & de vi armata. ſic enim legendum eſt, meo iudicio: idq; indicat l.2. §.pen.D.de interd. M.etiam Tullius in Orat.pro Cæcinna duo interdicta facit, Interdictum Vnde vi, &

vi,& interdictum De vi armata,siue De vi hominibus armatis,aut De hominibus armatis. A

De ui publica.] Omnis vis armata,est publica:non tamen omnis vis publica est armata.nam & sine armis offendi potest Respublica,vt in specie l.7.l.8.l.qui dolo.l.vlt.D.de vi publ.

DE POENA TEMERE LITIGANTIVM.

Vel tripli.] Absunt hæc à vet.lib.& meritò : nulla enim est in inficiantem tripli actio.

Ex nostra constitutione.] Additur in quibusdam cod. manu scriptis, *quòd non calumniandi animo litem mouisset, sed existimando se bonam causam habere.* quod mihi valde probatur : nam vt superius iusiurandum rei definitum est,debuit & hoc loco actoris iusiurandum definiri.

DE OFFICIO IVDICIS. B

Aditus est.] Legendũ, *additus est.* vt in l.cùm furiosus.l.iudex.l.si in iudicis. D.de iudic.l.quod si Ephesi.D.de eo quod cert.lo.l.si qua.l.filij. C.famil.ercisc l.debitor.§.vlt.D.ad Trebel.Iudex additur actioni in hunc modum, L. TITIVS IVDEX ESTO, SI PARET PRIMVM SECVNDO C. EX TESTAMENTO DARE OPORTERE, TVM PRIMVS DAMNETVR: idq; ex Cicerone intelligi potest in IIII. Act.in Verr.

In X. aureos.] Vet. *Titio X. aureis.*

Noxam dedere.] Sic in l.1.D.de his qui effud.vel deiec.

Sine frustratione.] Non difficultate restitutionis,sed morandæ restitutionis causa.

Eo quoque nomine.] Et eæ quidem sunt præstationes personales,vt & in §.vlt.J.

Veluti si homo.] Legendum, *vel homo:* auctoribus lib.vet.quod rectum est. C

DE PVBLICIS IVDICIIS.

Cum ceteris.] Vet.lib.non habent, *cum.*

Quod cuiuis ex populo.] Publica ergo iudicia inde nomen trahunt quòd patent omnibus. l.quamuis.2.C.ad leg.Iul.de adult.l.lege Cornelia testamentaria.D.ad leg.Corn.de Falc. Eadem ratione popularia iudicia sunt publica.l.eum qui.§.in popularibus.D.de iureiur.ex quo efficitur vt alia sint iudicia publica ciuilia,alia criminalia.

Plerumque.] Id est, nisi si cui lege aliqua agendi publico iudicio non est potestas. l.palam.§. senatus.D.de ritu nupt.

Afficiunt homines.] Vet.non habent, *homines.* D

Extendit.] Quid.cod. *ostendit.*

Temeratores.] Sacrilegos in l.quamuis.2.C.ad legem Iul. de adult. l.4. C.Th. quor.app.non recip.

Gladio.] Legis Iuliæ pœna relegatio fuit.Quod igitur ait, *gladio*, non est ex rogatione Iulia, sed abrogatione.

Stupratoribus.] Omnes vet.lib. *peccatoribus*, vt in §.item lex Iulia de vi.J. *peccatores.*

Sed & omne.] Vet. *sed & omne significatur quod manu cuiusdam mittitur.*

A Græca uoce.] Vet. *à Græca voce figuratum* ἀπὸ τ͂ τηλȣ͂, vt in l.si caluitur.de verb.sign. malè Theoph. ἀπὸ τ͂ βέλȣς.

Admonet.] Indubitatè legendum hoc in loco est ita,vt in l.si caluitur.& apud Theophilum. E

Sicarij.] Sudas σικάριοι λῃστῶν γένος. σικὰς δὲ τὰ ἐπικάμπη ξίφη ῥωμαῖοι καλȣ͂σιν.

Affinitatis.] Legendum, *affectionis eius quæ nuncupatione parricidij continetur fata properauerit.* vt in constitutione Constantini, cuius sententia parricidæ more maiorum, non Cornelia aut Pompeia lege coërcentur.

Vel aliud instrumentum.] Hoc adiectum est legi Corneliæ. Lex enim ipsa nõ nisi de nummis aut de testamentis falsis promulgata est.

Publicatio.] Addidit Paulus lib.v.sentent. relegationem : quod etiam l.quoniam. & l.seruos. C.ad leg.Iul.de vi.confirmant.

Tunc & raptores.] Om.vet.lib. *tunc & peccatores.*

Qui publicam.] Rectius vet.lib. *qui pecuniam vel rem publicam vel sacram.* F

Repetundarum.] De pecuniis repetundis primus quæstionẽ constituit L.Piso trib.pleb.neq; adduci possum, vt credam eum aut plures alias, aut omnes quæstiones publicas constituisse : nam quod ait M.Tullius in Bruto,Quæstiones perpetuæ hoc adolescente cõstitutæ sunt,quę antea nullæ fuerunt, mihi valde à mendo suspectum est,& quia quæstiones perpetuas nusquam legi, & quia in lib. vet. Sebast. Corradus vir eruditissimus ita scriptum esse annotauit Quæstiones p. Crediderim igitur scriptum initio fuisse Questiones p.rep.quod est pecuniarum repetundarum.alioquin inconsequenter subiicit M.Tullius : L.enim Piso trib.pleb. legem primus de pecuniis repetundis Censorino & Manilio Coss.tulit. Confirmat etiam me plurimùm quòd idem auctor eisdem penè verbis in lib.2.Offic.De pecuniis,inquit,repetundis à L.Pisone.lata est lex nulla antea cùm fuisset.

FINIS.

TITVLI EX CORPORE VLPIANI XXIX.

Mores, sunt tacitus consensus populi, longa consuetudine inueteratus.

AD VLPIANI TIT. XXIX.

IACOBI CVIACII I.C. NOTÆ.

*

TIT. I.

DE LIBERTIS.

IBERTORVM genera ſunt tria, Ciues A
Romani, Latini, Iuniani, Dediticiorum
numero.

Ciues Romani ſunt liberti, qui vindi-
cta, cenſu, aut teſtamento, nullo iure im-
pediente, manumiſſi ſunt.

Vindicta manumittuntur apud magi-
ſtratum, velut Prætorem, Conſulem, Pro- B
conſulem.

Cenſu manumittebantur olim, qui lu-
ſtrali cenſu Romæ iuſſu dominorum, inter ciues Romanos cenſum
profitebantur.

Vt teſtamento manumiſſi liberi ſint, lex duodecim Tabularum facit,
quæ confirmat, quod datum legatum eſt.

Quæ prohibet, exceptis quibuſdam cognatis, & ſi plus donatum ſit, C
non reſcindit, minus quàm perfecta lex eſt, quæ vetat aliquid fieri: & ſi
factum ſit, non reſcindit, ſed pœnam iniungit ei, qui contra legem fecit,
qualis eſt lex Furia teſtamentaria, quæ plus quàm mille aſſium legatum,
mortis'ue cauſa prohibet capere, præter exceptas perſonas: & aduerſus
eum, qui plus ceperit, quadrupli pœnam conſtituit.

Lex aut rogatur, id eſt, fertur: aut abrogatur, id eſt, prior lex tollitur:
aut derogatur, id eſt, pars prima tollitur: aut ſubrogatur, id eſt, adiicitur D
aliquid primæ legi: aut obrogatur, id eſt, mutatur aliquid ex prima lege.
Hodie autem ipſo iure liberi ſunt ex lege Iunia, qua lege Latini ſunt
nominati inter amicos manumiſſi.

Dediticiorum numero ſunt, qui pœnæ cauſa vincti ſunt à domino:
quibus veſtigia ſcripta fuerunt: qui propter noxam torti, nocentesq;
inuenti ſunt: qui'ue traditi ſunt, vt ferro, aut cum beſtiis depugnarent:
vel in cuſtodiam coniecti fuerunt: deinde quoquo modo manumiſſi E
ſunt: idq; lex Ælia Sentia facit.

Eadem lege cautum eſt, vt minor triginta annorum ſeruus vindicta
manumiſſus, ciuis Romanus non fiat, niſi apud conſilium cauſa proba-
ta fuerit: ideò ſine conſilio manumiſſum, ſeruum manere putat. Teſta-
mento

A mento verò manumissum perinde haberi iubet, atq; si domini voluntate in libertate esset, ideoq; Latinus fit.

Eadem lex eum dominum, qui minor viginti annorum est, prohibet seruum manumittere, præterquàm si causam apud consilium probauerit. In consilium autem adhibentur Romæ quinque Senatores, & quinque Equites Romani, in prouincia viginti Recuperatores, ciues Romani.

B Ab eo domino qui soluendo non est, seruus testamento liber esse iussus, & heres institutus, & si minor sit triginta annis, vel in ea causa sit, vt dediticius fieri debeat, ciuis Romanus & heres fit: si tamen alius ex eo testamento nemo heres sit. Quòd si duo plures'ue liberi heredesq; esse iussi sunt, primo loco scriptus liber & heres fit: quod & ipsum lex Ælia sentia facit.

Eadem lex in fraudem creditoris & patroni manumittere prohibet.

C Qui tantùm in bonis, non etiam ex iure Quiritium seruum habet, manumittendo Latinum facit.

In bonis tantùm alicuius seruus est, velut hoc modo, Si ciuis Romanus à ciue Romano seruum emerit, isq; traditus ei sit, neq; tamen mancipatus ei, neq; in iure cessus, neq; ab ipso anno possessus sit. nam quamdiu horum quid fiat, is seruus in bonis quidem emptoris est: ex iure Quiritium autem venditoris est.

D Mulier quæ in tutela est, item pupillus & pupilla manumittere non possunt.

Communem seruum vnus ex dominis manumittendo, partem suam amittit: eaq; adcrescit socio, maximè si eo modo manumiserit, quo, si proprium haberet, ciuem Romanum facturus esset. Nam si inter amicos eum manumiserit, plerisq; placet eum nihil egisse.

Seruus in quo alterius est vsusfructus, alterius proprietas, à proprie-
E tatis domino manumissus, liber non fit, sed seruus sine domino est.

Post mortem heredis, aut ante institutionem heredis, testamento libertas dari non potest, excepto testamento militis.

Inter medias heredum institutiones libertas data, vtrisque adeuntibus non valet: solo autem priore adeunte, iure antiquo valet. Sed post legem Papiam Popeam, quæ partem non adeuntis caducam facit, siquidem primus heres vel ius antiquum habeat, valere eam posse pla-
F cuit: quòd si non habeat, non valere constat, quòd loco non adeuntis, legatarij partis heredes fiunt: sunt tamen qui & hoc casu valere eam posse dicunt.

Qui testamento liber esse iussus est, mox quàm vnus ex heredibus adierit hereditatem, liber fit.

Iusta libertas testamento potest dari his seruis, qui testamenti faciendi, & mortis tempore, ex iure Quiritium testatoris fuerunt.

G Lex Furia Caninia iubet, testamēto ex tribus seruis non plures quàm duos manumitti, & vsque ad decem, dimidiam partem manumittere concedit: à decimo vsque ad triginta, tertiam partem, vt tamen adhuc

quinque manumittere liceat, æquè vt ex priori numero: à triginta A vſque ad centum, quartam partem, æquè vt decem ex priori numero liberari poſſint: à centum vſque ad quingentos, partem quintam ſimiliter, vt ex antecedenti numero viginti quinque poſſint fieri liberi. Eademq́; præcipit, ne plures omninò quàm centum, ex cuiuſdam teſtamento liberi fiant.

Eadem lex cauet, vt libertates ſeruis teſtamento nominatim dentur. B

Quæ confirmat.] Deſunt hæc verba, *Teſtamento datas libertates.* quæ deinde ſequuntur, abundant: nam ad legem Furiam pertinent, cuius ſententia mox clariùs explicatur. Præter exceptas perſonas.] vt j̃.tit.28. His autem ſimilia Th. ſcripſit in tit.de leg.Fal. Quæ prohibet.] l.non eſt dubium.C.de legib. No.Th.ne cur.præd.alt.cond. Macrob.in Som. Scip.ad finem, Inter leges illa imperfecta dicitur, in qua nulla deuiantibus pœna ſancitur. Id eſt pars prima tollitur.] Legendum opinor, *Pars prima legis tollitur:* vt Derogare ſit, partem primæ legi detrahere.l.derogatur.de verb.ſign.quod etiam exrogare eſt auctore Sext.Pompeio.Obrogare, legem primam alia lege lata aliqua ex parte commutare.quod M.Tullius his verbis complexus eſt. Deinde indignum de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, id eſt, vt & ipſe loquitur aliis in locis, legi obrogari. Hodie autem.] Hic talia quædam deſunt, *olim liberi non erant, qui* C *aliter quàm vindicta, cenſu, vel teſtamento manumittebãtur.* Qui pœnæ cauſa vincti.] Huc pertinet l.fideicommiſſaria.2.de fid.lib. cuius ſenſus hic eſt. Fideicommiſſaria libertas non debetur ei, quem poſtea dominus ob delictum vinxit. quia Dediticiorum numero habetur. Secus eſt, ſi heres vinxerit.arg.l.cetera.in fin.de leg.1.& hoc Paulus tradit lib. IIII. ſent.tit.II. ex quo detorta videtur l. fideicommiſſaria. Nam & ſententia ſpeciem habet. Quibus veſtigia.] Legendum videtur, *quibus'ue ſtigmata*, niſi veſtigia ſunt notæ. Seneca lib. I. de benefic. Sic non eſt beneficium, quod ſub oculos venit, ſed beneficij veſtigium & nota. Ergo ſerui compuncti notis, manumiſsione Deditici efficiuntur. Nocentéſque inuenti.] id eſt, confeſsi. Nam qui torti, nec cõfeſsi ſunt, Ciues Rom. fieri poſſunt, vt Paul.in eodem libro ſcribit. Vt ferro.] Ad ludum gladiatorium. Ad ferrum in l. eius qui.§.vlt.de teſta. Ad gladium.in l.ſi quis mihi bona. §.ſi quis planè.de adquir.hered. l.ſi quis à D filio.§.ſed & ſi. de iniuſt.teſta. Vel in cuſtodiam.] In publicum carcerem. Igitur publicus carcer dediticium facit, non priuatus: niſi corpori vincula adhibita ſint. l.verum. de verbor.ſignific.

Teſtamento verò manumiſſum.] Et idcirco quos ad ciuitatem Romanam perduci volebant, iis ita teſtamento libertatem dabant. LIBERI SVNTO, CVM ANNORVM ERVNT XXX. l.ex parte.§.Sticho.famil.erciſc.l.Ariſto.de man.teſt.l.vlt.de reb. dub. l.ſi quis ita.§.vlt. de ſtatu lib. In eo qui cenſu liberatur, nulla ætatis habita eſt ratio. In conſilium.] Hæc eadem & Theophilus ſcribit in tit.qui & quib.ex cau.man.non poſ. Eadem lex in fraudem.] Caius idem lib.I. Inſtit. Porrò in ceteris rebus alienatis in fraudem Reſciſſoria actione vtimur, Pauliana, Fabiana ſiue Caluiſiana: non etiam in libertatibus datis in fraudem. Nam libertates ipſo iure nullæ ſunt, id eſt ex lege Ælia Sentia. Qui tantùm in bonis.] Hunc Theoph.Bonitarium vocat, ſequentem Qui- E ritarium. Communem ſeruum.] §.vlt.de donat. Seruus in quo alterius eſt.] Huius ſententiæ veſtigia quædam ſunt in l.quotiens.in fin.de hered.inſtit.l.2.de man.vind.l.ſi fructuarium.de man.teſta. Nam Iuſtiniani conſtitutio in cõtrarium ſcripta eſt. Legatarij partis.] Hic locus admodùm deprauatus eſt. Crediderim legendum, *Præf.ærarij.* Præfectorum enim ærarij eſt, bona quæ fiſco deferuntur ſpernere, vel agnoſcere.l.ergo.§.plane.de fid.lib.l.edicto.de iur.fiſc. Ph.Geruaſij liber habet, *ea lege ærarium partis heres fiat.* Et mortis tempore.] Vel intra diem cretionis.l.verùm. de man.teſt. & j̃.tit.22. Nam & qui intra diem cretionis hereditatis fit, propè eſt vt defuncti fuiſſe videatur mortis tempore. Lex Furia Caninia.] Quid fiet, ſi ſupra ſtatutum numerum ſeruos in teſtamento manumittat? Et placet liberari eos, qui primo loco ſcripti ſunt, vſque ad legitimum numerum, quod & in lege Ælia ſeruatur. l.qui ſoluendo.2. l.ſi non lex. §.j. de hered.inſtit. F Quid fiet ſi in orbe, ſi permixtè ſeruorum nomina ſcripta ſint? Et placet impediri omnium libertatem. l.qui ſoluendo.j. & l.prox. eod.tit. Quid fiet, ſi in codicillis quidam ſcripti ſint? Et Paulus lib. IIII. ſent, nouiſsimum eis locum tribuit. quod puto verius dici. Rurſus quæro, cùm per legem Furiam totam familiam inter viuos liberare liceat, non etiam in teſtamento: facilius enim quis in teſtamento totam familiam manumittit, quàm inter viuos: & eadem ratione Senatus obligatæ mulieri ſuccurrit, non donanti: lex Iulia hypothecam prædij dotalis inhibet, non alienationem: Conſtitutio Theodoſij Decurionibus venditionem, non donationem aut permutationem: Nouella Iuſtiniani interceſsiones pro marito, non pro extraneo. Quæro, an rectè quis moribundus prætermiſſo teſtamento totam familiam manumittat? Et rectè Caius lib. I. Inſtit. hoc tanquam in fraudem legis excogitatum reſpuit. cui ſimile eſt, quod ad legem Caniniam Paul. ſcribens tractat, G in l.ſi quis eum.de cond.& demonſt. Sed pugnat cum Paulo l.ſi quis quos.de legat.2.niſi dicamus, legati retentionem eſſe non petitionẽ, vt in l.Lucius.§.codicillis.eod.tit. Et hæc de lege Caninia ex iure antiquo adnotare libuit: quæ & ſi ea lex abrogata ſit, nobis in aliis tamen partibus iuris magno vſui eſſe poſſunt. Eadem lex cauet.] §.libertas.de legat.

II.

DE STATV LIBERIS.

VI sub condicione testamento liber esse iussus est, statu liber appellatur.

Satu liber quamdiu pendet condicio, seruus heredis est.

Statu liber seu alienetur ab herede, siue suscipiatur ab aliquo, liber- B tatis condicionem secum trahit.

Sub hac condicione liber esse iussus, si decem milia heredi dederit, & si ab herede abalienatus sit, emptori dando pecuniam, ad libertatem perueniet: idq; lex duodecim Tabularum iubet.

Si per heredem factum sit, quo minùs statu liber condicioni pareat, perinde fit liber, atq; si condicio expleta fuisset.

C Extraneo pecuniam dare iussus, & liber esse, si paratus sit dare, & is cui iussus est dare, aut nollet accipere, aut antequam acceperit moriatur, perinde fit liber, ac si pecuniam dedisset.

Libertas & directò potest dari, hoc modo, LIBER ESTO, LIBER SIT, LIBERVM ESSE IVBEO: & per fideicommissum, vt puta, ROGO, FIDEI COMMITTO HEREDIS MEI, VT STICHVM SERVVM MANVMITTAT.

Is qui directò liber esse iussus est, horcinus fit libertus. Is autem cui D per fideicommissum data est libertas, non testatoris, sed manumissoris fit libertus.

Cuius fidei committi potest ad rem aliquam præstandam, eiusdem etiam libertas fidei committi potest.

Per fideicommissum libertas dari potest tam proprio seruo testatoris, quàm heredis, aut legatarij, vel cuiuslibet extranei seruo.

Alieno seruo per fideicommissum data libertate, si dominus eum E iusto pretio non vendat, extinguitur libertas. quoniam nec pretij computatio pro libertate fieri potest.

Libertas sicut dari, ita & adimi tam testamento, quàm codicillis testamento confirmatis potest; vt tamen eodem modo adimatur, quo & data est.

Id'que lex XII. tab. iubet.] In hac lege emptoris nomine continentur omnes, qui quoq; F iure dominium in statu libero nacti sunt. & hoc Pomponius scribit in l. statu liberi à ceteris. de statu lib. Hac item lege significatur vendi statu liberos posse: & hoc est quod Modestinus in eod. tit. Statu liberos, ait, vænundari posse leges XII. tab. putauerunt: quasi hæc fuerit sententia XII. tab. Sic suprà Vlp. de lege Ælia Sentia. Ideo sine consilio manumissum, seruum manere putat. & M. Tull. lib. IIII. de Rep. Iurgare lex putat inter se vicinos, non litigare. Horcinus fit libertus.] Non malè Horcinus. Nam & horcum quidam dixêre παρὰ τὸ ὅρκος. Hic autem nullius est libertus. l. si necem. de bon. lib. nisi Charontis, Plutonis, Orci. quamobrem & Charonianus ab Theophilo dictus est, ea forma, qua Orcini Senatores (quorum meminit Sueton. Tranquillus) à Plutarcho in M. Antonio Charonitæ dicuntur. Alieno seruo.] Si relinquatur res aliena, & si heres non possit eam redimere, non tamen extinguitur legatum aut fideicommissum. Nam G iustum rei pretium ex testamento debetur. Si relinquatur libertas seruo alieno, quem nulla heres condicione redimere possit, extinguitur fideicommissum libertatis: propterea quòd libertas inæstimabilis res est. Sed videamus an hoc sit perpetuum? quid enim si eius serui dominium heres quandoq; nanciscatur? Et hoc Constitutiones introduxerunt. l. deberi. C. de fid. lib.

 A

I I I.

DE LATINIS.

ATINI ius Quiritium consequuntur his modis, beneficio principali, liberis, iteratione, militia, naue, ædificio, pistrino: præterea ex senatusconsulto, veluti quę sit ter enixa.

Beneficio principali Latinus ciuitatem Romanam accipit, si ab imperatore ius Quiritium impetrauerit.

Liberis ius Quiritium consequitur Latinus, qui minor triginta an- B
norum manumissionis tempore fuit. Nam lege Iunia cautum est, vt si ciuem Romanam, vel Latinam vxorem duxerit testatione interposita, quòd liberorum quærendorum causa vxorem duxerit, posteà filio filia'ue, nato nata'ue, & anniculo facto, possit apud prætorem vel Præsidem prouinciæ causam probare, & fieri ciuem Romanum, tam ipse, quàm filius filia'ue eius & vxor, scilicet si & ipsa Latina sit. nam si vxor ciuis Romana sit, partus quoq; ciuis Romanus est, ex senatusconsulto, C
quod auctore Diuo Adriano factum est.

Iteratione fit ciuis Romanus, qui post Latinitatem, quam acceperat maior triginta annorum, iterum iustè manumissus est ab eo, cuius ex iure Quiritium seruus fuit. Sed huic concessum est ex senatusconsulto, etiam liberis ius Quiritium consequi.

Militia ius Quiritium accipit Latinus, si inter vigiles Romæ sex annis militauerit, ex lege Visillia. Præterea ex senatusconsulto conces- D
sum est ei, vt, si triennio inter vigiles militauerit, ius Quiritium consequatur.

Naue Latinus ciuitatem Romanam accipit, si non minorem quàm decem milia modiorum nauem fabricauerit, & Romam sex annis frumentum portauerit, ex edicto Diui Claudij.

Latinis ius Quiritium.] Igitur meliore condicione sunt Latini, quàm Dediticij. Nam Deditícij nullo prorsus modo ius Quiritium consequuntur. Sed & Latini commercium habent, & testa- E
menti factionem: Deditícij non item. Latini vera libertate potiuntur quamdiu viuunt: Deditícij vmbra & imaginibus libertatis. Ciues autem Romani meliore condicione sunt, quàm Latini. Connubium enim Latini, & patriam potestatem non habent: testamentum facere, tutores'ue dari non possunt, deniq; moriuntur quasi serui. **Nam si vxor ciuis Romana.**] Partum Latinum nasci, argumento erat lex Mensia. de qua in tit.v. propterea quòd Latini non valde distant à peregrinis. **Sed huic concessum est.**] Qui minor xxx. annorum Latinitatem accipit, liberis ius Quiritium consequitur ex lege Iunia. post hanc ætatem qui latinitatem accipit, nõ nisi patroni beneficio: sed ex S. C. etiam liberis ius Quiritium consequitur. **Militia.**] Vigilum septem cohortes D. Augustus in vrbe ita constituit, vt binas regiones vrbis vnaquæque cohors tueretur. Constat enim 14.
fuisse regiones vrbis. l.3. de off. præf. vig. Inter eos qui Latinus sex annis militasset, ex lege Visellia ius F
Quiritium consequebatur: tandem Senatui triennium visum est sufficere. *Visellia* malo quàm *Visillia*: quæ D. Claudij temporibus lata est, rogante L. Visellio Varrone. l.j. C. ad leg. Visel. l.j. C. quand. ciu. ac. cri. præ.

I I I I.

DE HIS, QVI SVI IVRIS SVNT.

VI iuris sunt familiarum suarum principes, id est, parterfamiliæ, itemq; materfamiliæ. G

Qui matre quidem certa, patre autem incerto nati sunt, spurij appellantur.

Spurij

A **Spurij appellantur.**] Spurij ſunt, qui legitimè quæſiti non ſunt. Originem verbi Iuſtinianus explicat his verbis, Vnde ſolent Spurij appellari, vel à Græca voce, quaſi σποράδην concepti, vel quaſi ſine patre filij. in tit. de nupt. ſic in l. diuus. de captiu. ſic Caius lib. 1. Inſtit. ſic Theophilus, ſic libri ſcripti: impreſsi non ſic, quibus non aſſentior.

V.

DE HIS QVI IN POTESTATE SVNT.

B IN poteſtate ſunt liberi parentum, ex iuſto matrimonio nati.

Iuſtum matrimonium eſt, ſi inter eos qui nuptias contrahunt connubium ſit, & tam maſculus pubes quàm femina potens ſit, & vtrique conſentiant, ſi ſui iuris ſunt, aut etiam parentes eorum, ſi in poteſtate ſunt.

Connubium eſt vxoris iure ducendæ facultas.

Connubium habent ciues Romani cum ciuibus Romanis: cum La-
C tinis autem & peregrinis, ita ſi conceſſum ſit.

Cum ſeruis nullum eſt connubium.

Inter parentes & liberos infinitè cuiuſcumque gradus connubium non eſt. Inter cognatos autem ex tranſuerſo gradu, olim quidem vſque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant: nunc autem etiam ex tertio gradu licet vxorem ducere. Si tamen fratris filia, non etiam ſororis filia, aut amita, vel matertera, quamuis eodem gradu ſit:
D eademq; vxore: nouerca, vel priuigna, vel nurus, vel ſocrus noſtra fuit, ducere non poſſumus.

Si quis eam, quam non licet, vxorem duxerit, inceſtum matrimonium contrahit: ideoq; liberi in poteſtate eius non fiunt, ſed quaſi vulgo concepti, ſpurij ſunt.

Connubio interueniente, liberi ſemper patrem ſequuntur: nō interueniente connubio, matris condicioni accedunt, excepto eo, qui ex
E peregrino & ciue Romana, peregrinus naſcitur: quoniam lex Menſia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis condicionem ſequi iubet.

Ex ciue Romano & Latina Latinus naſcitur: & ex libero & ancilla, ſeruus: quoniam cùm his caſibus connubia non ſint, partus ſequitur matrem.

In his qui iure contracto matrimonio naſcuntur, conceptionis tem-
F pus ſpectatur. in his autem, qui non legitimè concipiuntur, editionis: veluti ſi ancilla conceperit, deinde manumiſſa pariat, liberum parit. Nam quamuis non legitimè concepit, cùm editionis tempore libera ſit, partus quoque liber eſt.

Nunc autem etiam ex tertio.] Hic locus ſic meo iudicio reſtituendus eſt. *Nunc autem etiam ex quarto gradu licet vxorem ducere. Sed tamen fratris aut ſororis filiam, neptem've eorum quamuis eodem gradu ſit, amitam vel materteram, eamq́ vxorem, quæ nouerca vel priuigna, vel nurus, vel ſocrus noſtra fuit, ducere non poſſumus.* Olim igitur inter ſe patrueles, amitini, conſobrini ma-
G trimonio iungi non poterant: id quod & Caius ſcribit lib. 1. Inſtitut. hodie ex Conſtitutionibus poſſunt. Perperam ex tertio gradu. nam iure ciuili ex tertio gradu vxorem ducere numquam licuit: neque verò nunc licet. Cetera quàm ineptè deſcripta fuerint, ex Caij & Iuſtiniani Inſtitutionibus, & graduum ratione deprehendi poteſt. **Inceſtum matrimonium.**] Ergo nō tantùm inter parentes & liberos inceſtæ ſunt nuptiæ, ſed & inter eos, qui ex tranſuerſo, vel qui affinitate coniuncti

 ſunt:

ſunt: quod & Caius ſcribit lib. 1. Inſtitut. & Paulus in l.ſororis. de rit.nupt. Et præterquàm quòd A
iure gentium inter parentes & liberos, ceterùm iure ciuili inceſtæ ſunt nuptiæ. Quoniam lex Menſia.] l.lex naturæ.de ſtat. hom. Veluti ſi ancilla conceperit.] Quòd ſi libera conceperit, deinde ancilla pepererit, partus quoq; ſeruus eſt, ſi hanc iuris ciuilis regulam ſequamur: quod & Caius ſcribit lib.1. Inſtit.ſed fauore libertatis placuit eum liberum naſci.& ita Marc.ſcribit in l.& ſeruorum.de ſtat.hom.& Paul.lib.11.ſent.

V I.

DE DOTIBVS.

Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur. B

Dotem dicere poteſt mulier, quæ nuptura eſt: & debitor mulieris, ſi iuſſu eius dicat inſtitutus: parens mulieris virilis ſexus per virilem ſexum cognatione iunctus, velut pater, auus paternus. Dare, promittere dotem omnes poſſunt.

Dos aut profecticia dicitur, id eſt, quam pater mulieris dedit: aut aduenticia, id eſt, ea, quæ à quouis alio data eſt.

Mortua in matrimonio muliere, dos à patre profecta, ad patrem re- C
uertitur, quintis in ſingulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quòd ſi pater non ſit, apud maritum remanet.

Aduenticia autem dos ſemper penes maritum remanet, præterquam ſi is qui dedit, vt ſibi redderetur ſtipulatus fuit: quæ dos ſpecialiter recepticia dicitur.

Diuortio facto, ſiquidem ſui iuris ſit mulier, ipſa habet actionem, id
eſt, dotis repetitionem: quòd ſi in poteſtate patris ſit, pater adiuncta D
filiæ perſona habet actionem reuera: nec intereſt aduenticia ſit dos, an profecticia.

Poſt diuortium defuncta muliere, heredi eius actio non aliter datur, quàm ſi moram in dote mulieri reddenda maritus fecerit.

Dos ſi pondere, numero, menſura contineatur, annua, bima, trima die reddetur: niſi ſi, vt præſens reddatur, conuenerit. Reliquæ dotes
ſtatim redduntur. E

Retentiones ex dote fiunt, aut propter liberos, aut propter mores, aut propter impenſas, aut propter res donatas, aut propter res amotas.

Propter liberos retentio fit, ſi culpa mulieris aut patris, cuius in poteſtate eſt, diuortium factum ſit: tunc enim ſingulorum liberorum nomine ſextæ retinentur ex dote: non plures tamen quàm tres ſextæ in retentione ſunt, non in petitione.

Dos quæ ſemel functa eſt, amplius fungi non poteſt, niſi aliud ma- F
trimonium ſit.

Morum nomine, grauiorum quidem, ſextæ retinentur: leuiorum autem, octaua. Grauiores mores ſunt, adulteria tantùm: leuiores omnes reliqui.

Mariti mores puniuntur, in ea quidem dote, quæ à die reddi debet. Ita propter maiores mores præſentem dotem reddit: propter mi-
nores ſenum menſum die. In ea autem, quæ præſens reddi ſolet, tantum G
ex fructibus iubetur reddere, quantum in illa dote quadriennio redditur: quod repræſentatio facit.

Impen

A Impenſarum ſpecies ſunt tres:aut enim neceſſariæ dicuntur, aut vti-
les,aut voluptuoſæ.

Neceſſariæ ſunt impenſæ,quibus non factis, dos deterior futura eſt:
veluti ſi quis ruinoſas ædes refecerit.

Vtiles ſunt, quibus non factis quidem, deterior dos non fuerit:
factis autem, fructuoſior dos effecta eſt :veluti ſi vineta & olıueta fe-
cerit.

B Voluptuoſæ ſunt quibus neque omiſsis, deterior dos fieret : neque
factis, fructuoſior effecta eſt: quod euenit in viridariis, & pictoriis, ſi-
milibusq; rebus.

Dos aut datur.] Dos dicitur ſollemnibus verbis ſine interrogatione. Dotis actio tam ex di-
ctione naſcitur,quàm ex ſtipulatione:hodie etiã ex nuda pollicitatione & nudo pacto.l.2.C.Theo.
de inc.nupt.l.vlt.C.Theo.de dotib. Sublata autem eſt dicendæ dotis ſollemnitas:ideoq; à l. ad exa-
ctionem.C.de do.prom. vt ex Cod. Theo.apparet, Tribonianus amouit hæc verba, *Dictio vel:* &
quibus in locis prudentes ſcripſerant, *Doti dicere*, ſubſcripſit, *Doti promittere*, inuſitata loquendi
C forma.l.ſi rem.§.vlt.de nouat.l.auus.de iu.dot.l.ſi marito.§.1.l.ſi ſocer.§.Lucius.ſol.mat. Denique in
l.1.C.de iu.dot.cùm Seuerus Imp.ſcripſiſſet, *Dictio vel promiſsio:* & paulò poſt, *Ex dictione vel ex ſti-
pulatione* (necdum enim ex pollicitatione dotis actio erat) pollicitationem Trib. adſcripſit,& con-
dictionem ex pollicitatione:cùm tamen ex pactis,vel pollicitationibus præſcriptis verbis,non con-
dictio dari ſoleat. Inſtitutus.] Ad hanc rem conſtitutus. Dare, promittere.] Idem Paulus
in l.promittendo,de iu.dot. Dicendo igitur tres dumtaxat perſonæ obligantur, promittendo om-
nes. Quam pater mulieris.] Adde vel parens virilis ſexus,per virilem ſexum cognatione iun-
ctus. Quintis.] l.1.C.Theod.de dotib.l.vlt.C.Theo.de repud. Semper.] ſiue ſint liberi,ſiue
nõ. Recepticia.] l.mortis cauſa.§.ſed & ſi dos,de don.cau.mor.Seruus autẽ recepticius,de quo
Aul.Gell.& Non.Marcellus ſcribũt,neq; dotalis eſt,neq; ex paraphernis:quia ad virũ non defertur.
D Sunt hæc omnia diuerſa,bona recepticia, dotes, *παράφερνα, ἀντίφερνα, θεώρετρα, ὑπόβολα.* Παράφερνα
ſunt,quæ extra dotem ad virum deferuntur,quæ & peculij nomine ſignificantur.l.ſi ego.§.dotis,de
iu.dot.l.donationes.§.ſpecies,de donat. Αντίφερνα ſunt donationes propter nuptias.l.vlt.C. de don.
ante nup.quibus proxima ſunt θεώρετρα, & ὑπόβολα, de quibus Conſtantinus Harmenopulus ſcri-
bit. Vnde & Hypobolica inſtrumenta apud Sid. Apoll. lib. VII. Epiſt. quamquam ſunt, qui legant
Hyperbolica : alij quidam Paraphernica, omninò male. Nec intereſt.] Obſtare videtur l.2.§.
quod ſi in patris.ſol.matr.Goueanus in lib.var.lect.Triboniani in eo §.facinus adnotauit:Ant.Go-
ueanus, cui ex omnibus, quotquot ſunt aut fuêre, Iuſtinianei iuris interpretibus, ſi quæramus quis
vnus excellat,palma deferenda eſt.Proinde dos aduenticia communis eſt ex iure antiquo,mulieris
propria ex iure nouo. Actio dotis aduenticiæ cõmunis eſt etiam Iure nouo.l.vlt.C.de bo.quæ.lib.l.
E neq; verò propriam eſſe actionem rectè colligitur ex l.Caius.ſol.mat.quia non dicit ſoli filiæ actio-
nem dari:verùm ideo filiæ dicit non patri,quia filiæ cautum fuit non patri.ceterùm per filiam patri
quæritur actio. Poſt diuortium.] Inde ſi poſt diuortium maritus in reddenda dote moram
fecerit,& heredi vxoris competit actio:ſi moram non fecerit,ſecus eſt. Quamobrem & mortua in
matrimonio vxore, heredi non competit actio.l.vſufruct.ſol.mat.l.cùm in fundo.§.ſi autem vſum-
fruct.de iu.dot. Annua bima.] Hodie annua die ex conſtitutione Iuſtiniani:cui à Triboniano
aptata eſt l.1.de do.præleg.in qua legitur, annua die pecuniam dotalem reddi. Non plures ta-
men quàm tres.] id eſt, media pars, vt Paulus ait lib. II. Inſtit.tit.de dotibus, cuius verba Boë-
thius Seuerinus refert. Nam ſex ſextæ, integrum conficiunt. Non in petitione.] Quæ ex aliis
cauſis retinentur,& in petitione ſunt. Suſtulit verò Iuſtin.quintas & ſextas, & alia omnia retentio-
F num genera.Sunt tamen compenſationum ex eis cauſis leges quamplurimæ.l.fructus.§.ob dona-
tiones.l.rei.§.1.l.ſi conſtante.§.ſi vxor.l.pe.§.1.ſol.mat.l.vtilium.de impenſ.in res dot.l.neque. C. de
compenſ. l.1.C.rer.amot. Sed & de moribus actionem ſuſtulit. l.vlt.C.de repud. de qua in l.5.D. de
pac. dot.l.vlt.C.Th.de inc.nup.l.1.C.Theo.vic.ciu.cri.ag.non poſ.quæ & accuſatio dicitur in l.viro.l.
cùm mulier.D.ſol.mat.quemadmodum actio ſuſpecti,actio ingrati,actio inofficioſi,accuſatio ſuſpe-
cti, accuſatio ingrati, accuſatio inofficioſi ſuis locis. Dos quæ ſemel.] Niſi redintegratum ſit
matrimonium, dos quæ ſemel dos eſſe deſiit, dos effici amplius non poteſt. Redintegrato matri-
monio,tacitè redintegratur & dos, niſi ſit recepticia.l.ſi mulier diuerterit.l.in inſulam.§. vltim. ſol.
mat. Item octaua.] Legendum autem *octauæ.* Quæ à die reddi debet.Ita propter.] Le-
gendum, *quæ annua bima trima die reddi debet, propter.* Pictoriis.] Lego,picturis.& paulò ante,
G *deterior dos fuerit.* Viridariis.] In Pand. Flor.virdiaria in l.ſi cuius.§.fructuarius.de vſufruct. l. in
inſtrumento de inſtr. vel inſtrum. leg. & viridia in l. quotiens. §. ſeruitutum de ſeruit. l. ædificia.de
ſer.vrb.l.impenſæ. de verb.ſignific.Vnde & viridiaria alij deduxêre, alij viridaria. *Sed nihil hæc ad*
Vlpianum.

 A

VII.

DE IVRE DONATIONVM INTER VIRVM ET VXOREM.

INTER virum & vxorem donatio non valet, nisi certis ex causis: mortis causa, diuortij causa, serui manumittendi gratia. Hoc amplius principalibus constitutionibus concessum est mulieri, in hoc donare viro suo, vt is ab Imperatore lato B clauo, vel equo publico, similíve honore honoretur.

Si maritus diuortij causa res mouerit, rerum quoque amotarum actione tenebitur.

Si maritus pro muliere se obligauerit, vel in rem eius impenderit, diuortio facto, eo nomine cauere sibi solet stipulatione tribunicia.

In potestate parentum sunt etiam hi liberi, quorum causa probata est, per errorem contracto matrimonio inter dispares condignis personas. C Nam seu ciuis Romanus Latinam aut peregrinam, vel eam, quæ Dediticiorum numero est quasi per ignorantiam vxorem duxerit: siue ciuis Romana per errorem peregrino, vel ei qui Dediticiorum numero est, aut etiam si Latino ex lege Ælia Sentia nupta fuerit, causa probata, ciuitas redditur tam liberis quàm parentibus, præter eos qui Dediticiorum numero sunt, & ex eo fiunt in potestate parentum liberi.

Principalibus.] Antonini Imp. l. nuper. de don. inter vir. & vxo. **Si maritus diuortij.**] D Non tantùm in vxorem, sed & in virum rerum amotarũ actio est. l. contra. §. item. rer. amot. **Stipulatione tribunicia.**] Vt in l. cùm mulier de dote. solut. matr. Hæc stipulatio honoraria est, quia ex iurisdictione tribunorum venit: vt prætoria, vt ædilicia ex iurisdictione prætoris, ex iurisdictione ædilium. In Institutionibus, de ædiliciis vulgò malè scriptum est, *quia ex iurisdictione prætoris veniunt.* Superest enim vox, *prætoris*, auctore Theophilo, & Pomponio in l. 5. de verbor. obligat.

Dispares condignis.] Lego, disparis condicionis. **Ex lege Aelia Sentia.**] Legendum, opinor, ex lege Iunia, vt in tit. de Latinis ex lege Iunia, id est, vti lege Iunia comprehensum est. Est autem ab hac sententia non absimile id, quod Impp. rescripserunt in l. qui in prouincia. §. Diuus. de rit. nup.

E

VIII.

DE ADOPTIONIBVS.

NON tantùm naturales liberi in potestate parentum sunt, sed etiam adoptiui.

Adoptio fit, aut per populum, aut per prætorem, vel præsidem prouinciæ. Illa adoptio quæ per populum fit, specialiter adrogatio dicitur. F

Per populum qui sui iuris sunt adrogantur: per prætorem autem, filij familiæ à parentibus dantur in adoptionem.

Adrogatio Romæ tantùm fit: adoptio autem, etiam in prouincia apud præsidem.

Per prætorem vel præsidem prouinciæ adoptari tam masculi quàm feminæ, & tam puberes quàm impuberes possunt: per populum verò Romanum, feminæ quidem non adrogant. Pupilli anteà quidem non G poterant adrogari: nunc autem possunt ex constitutione Diui Antonini.

Hi

A Hi qui generare non poſſunt, velut ſpado, vtroq; modo poſſunt adoptare. Idem iuris eſt in perſona cœlibe.

Item is qui filium non habet, in locum nepotis adoptare poteſt.

Si paterfamiliæ adrogandum ſe dederit, liberi quoque eius quaſi nepotes, in poteſtate fiunt adrogatoris. Feminæ verò neutro modo poſſunt adoptare: quoniam nec naturales liberos in poteſtate habent.

Aut per populum.] l.2.C. de adopt. Hodie per imperatorem. Adrogatio Romæ tan-
B tum fit.] Quoniam curiatis comitiis fit. Feminæ quidem non adrogant.] Legendum *adrogantur*. Cauſa illa eſt, quia nulla cum feminis comitiorum communio eſt. Ceterùm per principem feminæ adrogantur. l. nam feminæ. D. de adop.

I X.

DE HIS QVI IN MANV SVNT.

FARRE conuenitur in manum, certis verbis, & teſtibus x.
C præſentibus, & ſollemni ſacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.

In manu eſt vxor, quę conuenit in manum. In manum aut confarratione conuenitur, aut coëmptione. Sed omiſſa eſt confarreandi adſuetudo, vt Cornelius Tacitus lib. IIII. Annalium ſcribit. Omiſſa quoque tandem eſt coëmptio. Denique omiſſa eſt omnis conuentio in manum. Quamobrem Tribonianus in l. vxorem. de rit. nupt. l. ex parte. §. 1. de verbo. oblig. ſcripſit, *in matrimonium conuenire*: cùm tamen Pap. ſcripſiſſet, *in manum conuenire*. & in l. ſi concub ina rer. amot. *conuenit* pro *in manu conuenit*.

D

X.

QVI IN POTESTATE MANCIPIO'VE SVNT QVEMADMODVM EO IVRE LIBERENTVR.

LIBERI parentum poteſtate liberantur, emancipatione, id eſt, ſi poſteaquam mancipati fuerint, manumiſſi ſint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumiſſus, ſui iuris fit. Id
E enim lex duodecim Tabularum iubet his verbis, SI PATER FILIVM TER VENVNDAVIT, FILIVS A PATRE LIBER ESTO. Ceteri autem liberi præter filium tam maſculi quàm feminæ, vna mancipatione manumiſſioneq; ſui iuris fiunt.

Morte patris filius & filia ſui iuris fiunt. morte autem aui, nepotes ita demum ſui iuris fiunt, ſi poſt mortem aui in poteſtate patris futuri non
F ſunt: veluti ſi moriente auo pater eorum aut iam deceſſit, aut de poteſtate dimiſſus eſt. Nam ſi mortis aui tempore, pater eorum in poteſtate eius ſit, mortuo auo, in patris ſui poteſtate fiunt.

Si patri, vel filio, aqua & igni interdictum ſit, patria poteſtas tollitur: quia peregrinus fit is, cui aqua & igni interdictum eſt. Neque autem peregrinus ciuem Romanum, neque ciuis Romanus peregrinum in poteſtate habere poteſt.

Si pater ab hoſtibus captus ſit, quamuis ſeruus hoſtium fiat: tamen
G cùm reuerſus fuerit, omnia priſtina iura recipit, iure poſtliminij. Sed quamdiu apud hoſtes eſt, patria poteſtas in filio eius interim pendebit: & cùm reuerſus fuerit ab hoſtibus, in poteſtate filium habebit. Si verò ibi

ibi deceſſerit,ſui iuris filius erit.Filius quoque ſi captus fuerit ab hoſti- A
bus,ſimiliter propter ius poſtliminij,patria poteſtas interim pendebit.

In poteſtate parentum eſſe deſinunt & hi,qui Flamines Diales inaugurantur,& quæ virgines Veſtæ capiuntur.

Qui flamines Diales.] Qui morte parentis ſui iuris fit,capite non minuitur.l.3.§.vlt.ad Maced. Adiungo etiam eum qui Flaminio Diali,aut Veſtali ſacerdotio ſui iuris fit.l.2.quod cum eo.l.1. §.ſed etſi alio.quan.de pecul. auctore Gellio lib .1. cap. 13. Et hoc nimirum eſt quod ait Vlpianus in d.l.3. *vel aliàs ſui iuris*, &c. Idem & in eo Iuſtinianus conſtituit, qui dignitate ſui iuris fit.in nou. 81. B
At is profectò qui emancipatione ſui iuris fit, capite minuitur: credo quia in imaginariam ſeruitutis formam deducitur. l. liberos. de cap. minutis: immò quia ſublata eſt legitima emancipatio, vigetque aut Anaſtaſiana,aut Iuſtiniana emancipatio,qui emancipatur hodie, capite non minuitur. Proinde meritò ex Iuſtiniani conſtitutionibus ſuo exæquatur emancipatus. Vſusfructus emancipatione non finitur. Id deniq; reſtat, vt capite non minuantur hodie, qui cùm alieni iuris forent, ſui iuris efficiuntur. His autem quæ in hoc loco dicuntur ab Vlpiano,addenda eſt, quæ in manum flaminis conuenit, Cornelius Tacitus lib.IIII. quando exiret è iure patrio qui id flaminium apiſceretur,quæq; in manum flaminis conueniret.

X I. C

DE TVTELIS.

TVTORES conſtituuntur tam maſculis, quàm feminis: ſed maſculis,quidem impuberibus, dumtaxat propter ætatis infirmitatem: feminis autem tam impuberibus, quàm puberibus, & propter ſexus infirmitatem, & propter forenſium rerum ignorantiam.

Tutores autem legitimi ſunt, aut ſenatuſconſultis conſtituti, aut D
moribus introducti.

Legitimi tutores ſunt, qui ex lege aliqua deſcendunt. Per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex lege duodecim Tabularum introducuntur,ſeu propalàm, quales ſunt agnati,ſeu per conſequentiam, quales ſunt patroni.

Agnati ſunt, à patre cognati virilis ſexus, per virilem ſexum deſcen-
dentes,eiuſdem familiæ:veluti patrui,fratres,filij fratris patruelis. E

Qui liberum caput mancipatum ſibi, vel à parente, vel à coëmptore manumiſit,per ſimilitudinem patroni tutor efficitur,qui fiduciarius tutor appellatur.

Legitimi tutores,alij tutela in iure cedere poſſunt.

Is cui tutela in iure ceſſa eſt,Ceſſicus tutor appellatur: qui ſiue mortuus fuerit, ſiue capite minutus, ſiue alij tutela ceſſerit, redit ad legiti-
mum tutorem tutela. Sed & ſi legitimus deceſſerit.aut capite minutus F
fuerit,ceſſicia quoque tutela extinguitur.

Quantùm ad agnatos pertinet, hodie ceſſicia tutela non procedit: quoniam permiſſum erat in iure cedere tutela feminarum tantùm, non etiam maſculorum. Feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia ſuſtinet.

Excepta tutela patronorum, legitima tutela capitis deminutione
amittitur. G

Capitis minutionis ſpecies ſunt tres.maxima,media,minima.

Maxima capitis deminutio eſt, per quam & ciuitas, & libertas amittitur:

A titur: veluti cùm incensus aliquis venierit: aut cùm mulier alieno seruo se iunxerit, denuntiante domino, & ancilla facta fuerit, ex senatusconsulto Claudiano.

Media capitis deminutio dicitur, per quam sola ciuitate amissa, libertas retinetur: quod fit in eo, cui aqua & igni interdicitur.

Minima capitis deminutio est, per quam & ciuitate & libertate salua, status dumtaxat hominis mutatur: quod fit adoptione, & in ma-
B num conuentione.

Testamento quoque nominatim tutores dati confirmantur eadem lege duodecim Tabularum, his verbis: VTI LEGASSIT SVPER PECVNIA TVTELA'VE SVÆ REI, ITA IVS ESTO: qui tutores datiui appellantur.

Dari testamento tutores possunt liberis qui in potestate sunt.

Testamento tutores dari possunt hi, cum quibus testamenti facien-
C di ius est, præter Latinum Iunianum. Nam Latinus habet quidem testamenti factionem, sed tamen tutor dari non potest. id enim lex Iunia prohibet.

Si capite deminutus fuerit tutor testamento datus, non amittit tutelam: sed si abdicauerit se tutela, desinit esse tutor. Abdicare autē est, dicere nolle se tutorem esse in iure. Cedere autem tutela testamēto datus non potest. nam & legitimus in iure cedere potest, abdicare se nō potest.

D Lex Attilia iubet mulieribus, pupillis've non habentibus tutores, dari à prætore, & maiore parte Tribunorum plebis: quos tutores Attilianos appellamus. Sed quia lex Attilia Romæ tantùm locum habet, lege Iulia & Titia prospectum est, vt in prouincia quoque similiter à præsidibus earum dentur tutores.

Lex Iunia tutorem fieri iubet Latino, vel Latinis impuberibus eum, qui etiam ante manumissionem ex iure Quiritium fuit.

E Ex lege Iulia de maritandis ordinibus, tutor datur à Prætore vrbis ei mulieri virginíve, quam ex hac ipsa lege nubere oportet, ad dotem dādam, dicendam, promittendam've, si legitimum tutorem pupilla non habeat. Sed posteà Senatus censuit, vt etiam in prouincia quoq;, similiter à præsidibus earum ex eadem causa tutores dentur.

Prætereà etiam in locum muti, furiosi've tutoris, alterum dandum esse tutorem ad dotem constituendam Senatus censuit.

F Item ex Senatusconsulto tutor datur mulieri ei, cuius tutor abest, præterquàm si patronus sit, qui abest. Nam in locum patroni absentis alter peti non potest, nisi ad hereditatem adeundam, & nuptias contrahendas. Idemq; permisit in pupillo patroni filio.

Hoc amplius Senatus censuit, vt si tutor pupilli pupillæ've suspectus à tutela submotus fuerit, vel etiam iusta de causa excusatus, in locū eius tutor alius detur.

G Moribus tutor datur mulieri pupillo've, qui cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere vult, vt auctore eo agat (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest) qui prætorianus tutor dicitur, quia à

prætor

prætore vrbis dari consueuit. A

Pupillorum pupillarumq; tutores & negotia gerunt,& auctoritatem interponunt.Mulierũ autem tutores auctoritatẽ dumtaxat interponũt.

Si plures sunt tutores,omnes in omni re debẽt auctoritatẽ accõmodare,pręter eos qui tunc dati sunt:nã ex his vel vnius auctoritas sufficit.

Tutoris auctoritas necessaria est, mulieribus quidem in his rebus, si lege aut legitimo iudicio agant,si se obligent, si ciuile negotium gerãt, si libertæ suæ permittant in contubernio alieni serui morari, si manci- B
pia alienent. Pupillis autem hoc amplius, etiam in rerum nec mancipi alienatione tutoris auctoritate opus est.

Liberantur tutela, masculi quidem pubertate. Puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id est,qui generare potest: Proculeij autẽ,eum qui quattuordecim annos expleuit:verùm Priscus eum Puberem esse,in quem vtrumq; concurrit, & habitus corporis,& numerus annorũ.Feminæ autẽ tutela liberantur. C

XII.

DE CVRATORIBVS.

CVRATORES aut legitimi sunt, id est, qui ex lege duodecim Tabularum dantur: aut honorarij, id est, qui à prætore constituuntur.

Lex duodecim Tabularum furiosum, itemq; prodigum, D
cui bonis interdictum est, in curatione iubet esse agnatorum.

A prætore constituitur curator, quem ipse prætor voluerit, libertinis,prodigis,itemq; ingenuis,qui ex testamento parentis heredes facti, malè dissipant bona:his enim ex lege,curator dari non poterat:cùm ingenuus quidem non ab intestato,sed ex testamento heres factus sit patri:libertinus autem nullo modo patri heres fieri possit,qui nec patrem habuisse videtur,cùm seruilis cognatio nulla sit. E

Præterea dat curatorem ei etiam,qui nuper pubes factus,idoneè negotia sua tueri non potest.

Virilis sexus.] In tutelarum quæstione ita definiũtur agnati:propterea quod tutela virile munus est.Ceteroquin & feminæ agnatæ sunt. Eadem est agnatorum definitio in quæstione intestatæ succesſionis.l.2.§.agnati.de suis & legit.her.& infra tit.26.quia etsi consanguinea consanguineo intestato heres existat, agnata tamen agnato cuiquam intestato ex lege Voconia heres non est.§. ceterum de legit.agnat.succ.Sic in lege Vellea,Qui testamentum faciet,is omneis virilis sexus, qui ei sui heredes futuri erunt, &c. etiam si parente viuo nascantur. Ideò ait, Virilis sexus, quia sequuntur F
hæc verba, Vt nominatim eos exheredet,vel instituat. §.postumorum.in fi.de exh.lib. Soli autem postumi mares nominatim exheredandi sunt. §. postumi quoque. §. postumorum. de exheredat. lib. Vnde & in l.3.de iniusto rupt. aio sic Vlpianum scripsisse, *Postumi virilis sexus*: & ex Iustiniani constitutione id Tribonianum immutasse. **Eiusdem familiæ.**] l. pronuntiatio. §. communi. de verb.sig. **Fratres.**] Legendum, *Fratres patrueles, filij fratris patruelis.* **Qui liberum caput.**] Agnatus est tutor ex l. XII. tab. patronus ex interpretatione legis: parens ex contractu fiduciæ. Cur non & parens ex interpretatione legis? Quia nulla talis in lege interpretatio adhiberi potuit. Nec enim vt patronis, sic parentibus nominatim lege defertur hereditas. Igitur duæ tantùm sunt species legitimæ tutelæ, Agnatorum, & Patronorum: id quod Vlpianus tradit. in l.1. de leg.tut.Verùm in l.3.§.vltim.eod.titul.parentem emancipatorem non legitimum, sed vicem ait le- G
gitimi tutoris obtinere, id est, fiduciarium tutorem esse. Non nego moribus inde receptum, vt nominetur legitima,quæ propriè est fiduciaria.tit.de leg.par. tut. fiduciariæ tutelæ nomen ad liberos transmitti, legitimæ non transmitti: denique hoc liberos patronorum distare à liberis parentum. Ceterùm ratio differentiæ tradita à Iustiniano in titul. de fiduc. tut. falsa est in patre & auo:

certè

A certè subtilior est quàm verior. An igitur quia non vt liberis patroni, ita liberis emancipatoris lege debetur hereditas? l.1.§.liberos. si quis à par.fuerit manu. sed de his satis. Vel à parente, vel à coëmptore.] Qui à parente, is est pater fiduciarius: qui à coëmptore, is est pater naturalis. Lex Claudia sustinet.] Lege, *sustulit*. Rursus verò lex Claudia sublata est constitutione Constãtini.l. 3.C.de leg.tut.l.2.C. Th.de tut.& cur.crean. Ait Constantinus. In feminis tutelam legitimã consanguineus vel patruus nõ recuset. Excepta tutela patronorum.] Hoc est quod ait l.tutelas.de cap.minutis. Tutelas etiam non amittit capitis deminutio, exceptis his quæ L. A. P. P. deferuntur, id est, quæ iure agnationis proximis potißimum deferuntur. Tribonianus non sic. Equidem scio Tribonianum, cùm multa in libris prudentũ notis perscripta essent, auctore Iustiniano in l.2.C.de vet. iu. enuc. in eis explicandis cadere frequenter & labi. Ceterùm tutela patronorum minima capitis
B deminutione non perit, quia nec ius patronatus perit. Aequè testamentaria & datiua tutela non perit. At quia minima capitis deminutione ius agnationis perit, & legitima agnatorum tutela perit. Dixi, Proximis potißimum, vt in edicto trãslaticio Verris, Tum vti proximum quemque potißimũ heredem esse oporteret, si is intestatò mortuus esset. Vnde eximenda non sunt posteriora verba l.1. vnde legit. Quinimmò in Asconio ita malè leguntur, quasi si Asconij essent, non Tullij. Item alio in edicto, Sec.tab.testamenti potißimùm hereditatem dabo. Veluti cùm incensus aliquis venierit.] Hoc M.Tullius explicat in extremo orationis pro Cecinna. Denuntiante domino.] Trina denuntiatione opus est: denuntiari etiam testatò oportet, idq; denuntiari vt seruo abstineat. Denuntiationem sequitur prætoris, aut præsidis sententia. Inde Tertullianus lib. II. ad vxorem.
C Nonne insuper censuerunt seruituti vindicandos, qui cum alieno seruo post dominorum denuntiationem in consuetudine perseuerarunt? Exemplo S. C. si ingenuæ, quæ ad gynæciarium se, vel monetarium applicat, similis denuntiatio fiat, nisi dicto audiens fuerit, eiusdem ipsa condicionis ex constitutionibus efficitur.l.edicimus.C.Th.de murileg.l. senatusconsult. C. Th.de decur. Sed hæc à Iustiniano mutata sunt in tit. de S. C. Claud.toll. Status dumtaxat hominis.] Saluo statu publici iuris.l.1.§.capitis.ad S. C. Tertyll.priuatus hominis status commutatur. In manum conuentione.] Quæ conuenit in manum mariti, capite minuitur: quia in familiam eius, & sui heredis locum venit, vt in tit.23.& apud Gellium lib XVIII. cap.6. Vti legaßit.] Integra lex est, Paterf. vti legaßit, auctore Cornificio lib.1.ad Herennium. Ait, Paterf. atq; ideò filiusfam.testamentum facere non potest, etiam si hoc velit pater: quod tamen in donatione nulla lex vetat. Ait, *super pecunia, tutelá ve sua rei.* quæ verba coniunctim accipienda sunt. Nam tutorem instituere filiis suis pater,
D nisi in testamento, non potest, in quo & pecuniæ suæ heredem instituat.l.sæpe de verb.sign. Qui tutores datiui.] Legitimi non dantur sed ipso iure fiunt tutores.l.legitimos.D.de legit.tuto. Testamentarij, Attiliani, Iuliani datione tutores fiunt. Plerumq; autem Attiliani, & Iuliani datiui tutores appellantur.l.datiuus.D.rem pup.sal.for.l.generaliter.C.de episc.& cler.l.vlt.C.de leg.tut. Abdicare autem.] M. Tullius lib. VI.ad Att. Itaq; aut tutela cogito me abdicare, aut, vt pro Glabrione Scæuola, fœnus & impendium recusare. Nihil ab abdicatione distat excusatio. Excusatione datiui dumtaxat vtuntur.l. εἰδέναι. D.de exc.tut.§.qui excusare.Inst.eod. Nullum verò in iure ciuili excusationis proximis agnatis datæ extat exemplum. Proinde rectè ait legitimos tutela se abdicare nõ posse. Ratio illa est quia ipso iure tutores existunt. Quæ ratio etiam efficit, vt sui heredes repudiare hereditatem non poßint. Verùm enim vt in iure, hi se hereditate abstinere, ita & illi in iure, id est,
E apud prætorem, tutela feminarum cedere possunt. In pupillis maribus, vt iam superius ab Vlpiano dictum est, ceßicia tutela non procedit. In iure cedere autem.] Lego, *In iure autem cedere.*

Qui etiam ante manumißionem.] Non eum solùm qui in bonis, sed etiã qui ex iure Quiritium dominus fuit. Si legitimum tutorem pupilla non habeat.] Delenda est vox *pupilla:* nam de pubere hìc agitur, non de pupilla. Ceterùm quamuis regula iuris hæc sit, Certæ rei vel causæ tutorem non dari, ex lege tamen Iulia & senatusconsultis tutor ex causa datur ad dotem constituendam. Item, vt paulò post tradit, ad adeundam hereditatem specialis tutor datur: quod etiam cõfirmat l.impuberi.D.de tut.& cur.datis.l.cùm in vna.§.tutor. de appellat. Ad dotem constituendam.] Si ad dotem constituendam, erit hoc contrarium superiori regulæ iuris, quæ dictat,
F Certæ rei tutorem non dari: si generaliter (quod & ipsum, si mutus aut furiosus sit legitimus tutor, ex S. C. fieri potest.l.pe.D.de tutel.) obstat illa regula, qua cauetur, Tutorem habenti tutorem non dari: ideoq; S. C. opus fuit. Idémque permisit in pupillo patroni filio.] Malo, *Idemq; permisit in patroni filio:* nimirùm vt in eius locum non nisi ad adeundam hereditatem, vel dotem constituendam tutor detur. Quod & generaliter in tutoribus pupillorum iure ciuili locum obtinet. Hoc amplius.] Huius S. C. fit mentio in l.si quis sub condicione.de testam.tut.& hi quidẽ sunt tutores, qui ex S. C. dantur: de quibus intelligenda est l.tutelas.de cap. minutis. Sequuntur hi, qui moribus dantur. Moribus tutor.] Hodie, quia extraordinaria sunt iudicia, curator datur. §.vlt.de aucto.tut. In ordinariis iudiciis tutor exigitur.l.curatorem.D.eod.l.vlt.C.de in lit.dan.tut.

Lege aut legitimo iudicio.] Lege agere latius patet, quàm legitimo iudicio agere. nam sine iudicio lege agi potest. Qui tunc dati sunt.] Legendum, *Qui testamento dati sunt.* l. vlt. C. de
G auct.præst.l.4.l.5.in principio,& §.item ipse.l.quòd dicimus.§.1.D.eod. M.Tullius pro Flacco, Nihil potest de legitima tutela sine omnium tutorũ auctoritate deminui. Proculeij.] Quorum sententia Iustiniano placet. Feminæ autem tutela liberantur.] Imperfecta oratio est. Ceterùm vnus ponitur casus in tit.vlt.in quo libertæ tutela patronorum liberantur. Denique omnes feminæ conuentione in manum liberantur, auctore Boëthio in Topicis Ciceronis.

XIII.

DE COELIBE, ORBO, ET SOLITARIO PATRE.

EGE Iulia prohibentur vxores ducere, ſenatores quidem liberíque eorum, libertinas, & quæ ipſæ, quarúmve pater matérve artem ludicram fecerit : item corpore quæſtum facientem. B

Ceteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, à lenone lena've manumiſſam, & in adulterio deprehenſam, & iudicio publico damnatam, & quæ artem ludicram fecerit : adiicit Mauricianus, & à ſenatu damnatam.

Ceteri autem ingenui.] Et has quoque ſenatores non ducent. l. Iulia. §. vlt. de ritu nup. non tamen idem eſt è contrario : nam ingenui libertinas ducent. l. lege Papia. eod. Eſt in eandem rem auctoritate Marci & Commodi factum plenius S. C. de quo in l. oratio. de ſponſ. l. oratione. l. palàm. §. ſenatus de rit. nupt. Extat & de eadem re Conſtantini conſtitutio. in. l. I. C. de nat. li. & nou. Marciani, de mat. ſenat. quæ tamen ambæ ſublatæ ſunt in nou. Iuſtiniani CXVII. & LXXXIX. ex qua id etiam didicimus, corruptè in dicta l. I. ſcriptum eſſe, *Præfectos* : legendum enim eſt, *Perfectiſſimos*, id eſt, διασημοτάτους : atque ita conſtanter habent omnes veteres Codices. Error manauit ex errore nou. Marciani. Lex quoque Iulia de ſenatorum & libertinarum nuptiis à Iuſtiniano ſublata eſt. Mauricianus.] Qui ad leges Iulias libros ſcripſit. C

vide J. ad tt. de excusat. tut. ... At Ant. Aug. in l. ... legendum putat: Praefectos.

XIIII.

DE POENA LEGIS IVLIÆ. D

EMINIS lex Iulia à morte viri anni tribuit vacationem : à diuortio, ſex menſum. lex autem Papia à morte viri, biennij : à repudio, anni & ſex menſium.

Pœna legis Iuliæ hæc eſt, ne cœlibes, ne orbi ex ciuium Romanorum teſtamentis capiant. l. ſi is qui heres. de vulg. ſubſt. Tertullianus in lib. de monogamia, Aliud eſt ſi & apud Chriſtum legibus Iuliis agi credunt, & exiſtimant cœlibes & orbos, ex teſtamento Dei ſolidum capere non poſſe. Sed hæc pœna ſublata eſt à l. I. C. de infir. pœn. cœl. & orbit. Tribuit vacationem.] Hoc eſt, vt interim, etiam ſi cœlibem vitam agant, capere ex aliorum teſtamentis poſsint. Biennij.] Legendum, *trienny*. Vt enim altero tanto à morte viri vacatio, quæ lege Iulia tribuitur, eam ſuperat quæ à diuortio tribuitur, eadem vt ſit proportio neceſſe eſt in lege Papia, quæ tempora legis Iuliæ prorogauit. Denique triennium Auguſti lege tribui Suetonius auctor eſt : nimirùm enim lex Papia Popæa lata eſt auctore D. Auguſto poſt Iulias rogationes, M. Papio, Q. Popœo COSS. ſuffectis, non ordinariis, vt Dion & Iſidorus ſcribunt. Similis eſt error in l. vlt. C. de aduoc. diuer. iudic. vt cõſtat ex l. per hanc. eod. tit. E

F

XV.

DE DECIMIS.

IR & vxor inter ſe matrimonij nomine decimam capere poſſunt. Quòd ſi ex alio matrimonio liberos ſuperſtites habeant, præter decimam, quam matrimonij nomine capiunt, totidem decimas pro numero liberorum accipiunt. Item cõmunis filius, filiáve, poſt nonum diem amiſſus, amiſſa've, vnam decimã adiicit: duo autem, poſt nonũ diem amiſſi, duas decimas adiiciunt. Præter G

A ter decimam, etiam vſumfructum tertiæ partis bonorum eius capere poſſunt: & quotcumque liberos habuerint, eiuſdem partis proprietatem. Hoc amplius mulier petere præter decimam dotem poteſt legatam ſibi.

Lege Iulia coniuges, præter ea quæ in hoc tit. enumerantur, inter ſe capere nihil poſſunt. & hoc in vxore manifeſtò tradit. l. 1. C. de his qui ſe def. lib. x. Sunt & multa huius rei veſtigia in Cod. Th. l. vlt. de inoff. dot. l. vlt. de leg. her. l. 1. l. ſi aliquis de bo. proſcrip. l. pro commoditate. de nauicul. & in
B nou. Valent. de teſta. Sed in l. pro cõmoditate. pro, *liberis*, perperam ſcriptum eſt *lucris*. Interdum verò ne decimas quidem capere poſſunt. contrà interdum & ſolidum capere poſſunt: hodie omnimodo. l. 2. C. de inf. pœ. cœl. & orbit. & decimis ſublatis. Duo autem.] Tres poſt nonum diem amiſsi ſolidum adiiciunt, tit. prox.

X V I.

DE SOLIDI CAPACITATE INTER VIRVM ET VXOREM.

C ALIQVANDO vir & vxor inter ſe ſolidum capere poſſunt: velut ſi vterque, vel alteruter eorum nondum eius ætatis ſit, quæ quidem liberos exigit: id eſt, ſi vir minor annorum viginti quinque ſit, aut vxor annorum viginti minor. item ſi vtrique lege Papia finitos annos in matrimonio exceſſerint, id eſt, vir ſexaginta annos, vxor quinquaginta. item ſi cognati inter ſe coierint vſque ad ſextum gradum: aut ſi vir abſit, & donec abeſſet, intra annum
D poſtquam abeſſe deſierit, libera inter eos teſtamenti factio eſt. Si ius liberorum à principe impetrauerint: aut ſi filium filiam've communem habeant: aut quattuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amiſerint: vel ſi duos trimos, vel ſi tres poſt nonum diem amiſerint, vt intra annum tamen & ſex menſes. Etiam vnus cuiuſcumque ætatis impubes amiſſus, ſolidi capiendi ius præſtat. Item ſi poſt mortem viri intra decem menſes vxor ex eo peperit, ſolidum ex bonis eius capit.

E Aliquando nihil inter ſe capiunt, id eſt, ſi contra legem Iuliam, Papiamq; Popeam contraxerint matrimonium: verbi gratia, ſi famoſam quis vxorem duxerit, aut libertinam ſenator.

Qui intra ſexageſimum, vel quæ intra quinquageſimum annum neutri legi paruerit, licet ipſis legibus poſt hanc ætatem liberatus eſſet, perpetuis tamen pœnis tenebitur, ex ſenatuſconſulto Perniciano. Sed Claudiano ſenatuſconſulto maior ſexagenario, ſi minorem quinqua-
F genaria duxerit, perinde habebitur, ac ſi minor ſexaginta annorum duxiſſet vxorem.

Quòd ſi maior quinquagenaria minori ſexagenario nupſerit, impar matrimonium appellatur: & ſenatuſconſulto Caluitiano iubetur non proficere ad capiendas hereditates & legatas dotes. Itaque mortua muliere, dos caduca erit.

Vſque ad ſextum gradum.] Nam à ſexto gradu cognatio nulla eſt. §. vltim. de ſucceſſ. cog.
G Abeſſet intra.] Lego, *Abeſt & intra.* Credo hæc vera eſſe, ſi abſit Reipub. cauſa. Nam annus eis tantùm dari ſolet, qui Reipub. cauſa abeſſe deſierunt. Si ius liberorum.] Iſidorus, auctor ſanè vel eo nomine probandus, quòd, vt ex hoc libello nonnulla, ita ex optimis auctoribus quibus nunc deſtituti ſumus, deſcripta quàmplurima cõtineat, lib. v. Ius, inquit, liberorum eſt coniugum ſine liberis inuicem pro loco pignorum hereditatis alterna conſcriptio. quam definitionem

confirmat nou. Valent. de testa. & l. valeat. C. Th. de infi. his quæ sub tyran. Et hoc quidem ius liberorum Impp. omnibus dant, in l. 1. C. de iur. lib. Nec enim se ius trium dicunt, aut quattuor liberorũ dare, sed ius liberorum: id nempe quod superiùs exposuimus, idemq; coniuncta ea lege cum l. 2. C. de infir. pœ. ex qua ea l. pendet, vti perspici ex inscriptionibus & subscriptionibus potest, clariùs demonstratur: alioquin superuacua est constitutio Iustiniani de iure trium aut quattuor liberorum. l. 2. C. de iur. lib. Si igitur ius liberorum à principe impetrauerint, liberam inter se coniuges, vt Vlpianus noster ait, testamenti factionem habent. Denique vno filio filiáve communi superstite, aut vno filio 14. filiáve 12. annorum amisso amissáve, tribus post nonum diem amissis, duobus trimis amissis, vno cuiuscumque ætatis impubere amisso intra annum matrimonij & sex menses, idem ius habent. **Vt intra annum.**] Lego, *vt intra annum & sex menses etiam vnus &c. præstet.* A

Neutri legi.] Si neque liberos susceperit, neque matrimonium contraxerit. Iulia est de contrahendo matrimonio: Papia, de procreandis liberis. Inde Tertullianus in Apologetico. Nónne vanissimas Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quàm Iuliæ matrimonium contrahi, post tantæ auctoritatis senectutem heri Seuerus constantissimus princeps exclusit? Definiti autem sunt in viro anni sexaginta: in muliere quinquaginta. l. penul. C. de nup. l. si maior. C. de leg. her. quæ definitio S. C. Claudiano in feminis probatur. Nam mulier post quinquagesimum annum non gignit. l. si sterilis. in princ. de act. empt. in maribus non probatur: nam & sexagenarij idonei sunt ad generandum. Aristot. lib. v. περὶ ζώων ἱστορίας. Γεννᾷ δ' ἄνθρωπος τὸ ἔσχατον μέχρις ἑβδομήκοντα ἐτῶν ὁ ἄρρην, γυνὴ δὲ μέχρι πεντήκοντα. **Caluitiano.**] Vide num legendum sit, Claudiano: vt suprà. **Dos caduca erit.**] Vt in l. si quis officium. § . veterem. l. dote. de rit. nup. B

C

XVII.

DE CADVCIS.

QVOD quis sibi testamento relictum, ita vt iure ciuili capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, veluti cecidit ab eo: verbi gratia, si cœlibi, vel Latino Iuniano legatum fuerit, nec intra dies centum vel cœlebs legi paruerit, vel Latinus ius Quiritium consecutus sit: aut si ex parte heres scriptus, vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel peræger factus sit. D

Hodie ex constitutione imperatoris Antonini, omnia caduca fisco vindicantur, sed seruato iure antiquo liberis & parentibus.

Caduca cum suo onere fiunt: ideoq; libertates & legata & fideicommissa ab eo data, ex cuius persona hereditas caduca facta est, salua sunt: scilicet & legata, & fideicommissa cum suo onere fiunt caduca. E

Eorum quæ in testamentis scribuntur, quædam pro non scriptis sunt, quædam in causa caduci, quædam caduca. Pro non scriptis hæc sunt, quæ incapacibus relinquuntur: quæ non intelliguntur: quæ sibi testamentarius adscribit: quæ sunt captatoria: quæ ei, qui in rebus humanis non est, adscribuntur. Pro non scriptis igitur sunt, quæ in ipso initio deficiunt. In causa caduci sunt, quæ paulò post testamentum viuo testatore deficiunt: vt puta, si legatarius viuo testatore decedat, aut condicione excludatur. Caduca sunt, quæ mortuo testatore deficiunt: vt puta: si heres vel legatarius ante apertas tabulas decesserit. vel aliâs incapax factus fuerit. Caduca, & in causa caducorum legibus Iuliis fisco vindicantur: legibus Iustiniani apud heredem remanent cum onere. Quæ pro non scriptis habentur, & nouo, & antiquo iure apud heredem remanent sine onere. **Veluti cecidit.**] Malim, *veluti ceciderit.* Constantinus dixit, cadere in casum. l. omnes. C. de delat. **Si cœlibi, vel Latino Iuniano.**] Ergo & cum cœlibe & cum Latino testamenti factio est: & hoc de Latino nominatim proditum est in tit. 11. & 20. Nam neque cœlibem lex Iulia, neque Latinum lex Iunia heredem institui, aut ei legari quidpiam vetat: sed ex iisdem legibus caduca fiunt ea, quæ ipsis relinquuntur, nisi intra centum dies hic ciuis Romanus fiat, ille matrimonio iungatur, vt in titul. 22. **Peræger.**] Mallem *peregrinus.* **Hodie ex constitutione Imp. Antonini.**] Immò ex lege Papia. Quamobrem videntur mihi hæc esse transposita, atque restituenda esse in hunc modum, *Omnia caduca fisco vindicantur, sed seruato iure antiquo liberis & parentibus. Hodie ex constitutione Imp. Antonini, caduca cum suo onere fiunt:* & quæ sequuntur: vt intelligatur constitutio ea cuius fit mentio in l. licet de leg. 1. l. 4. C. ad Trebell. Quæ enim ille de substitutis, ad coheredes & ad fiscum transferuntur. l. si Titio. § . 1. de legat. 2. l. quidam. § . quotiens. de leg. 1 F G

A

XVIII.

QVI HABEANT IVS ANTIQVVM IN CADVCIS.

TEM liberis & parentibus testatores vsque ad tertium gradum lex Papia ius antiquum dedit: vt heredibus illis institutis, quod quis ex eo testamento non capit, ad hos pertineat, aut totum, aut ex parte, prout pertinere possit. B

Ea quæ mortuo testatore deficiunt ex iure antiquo, apud heredem remanent, post legem Iuliam & Papiam caduca fiunt: ius tamen ea lege antiquum seruatur liberis & parentibus vsque ad tertium gradum. § .& cùm lex.C.de caduc.toll.quod & in tit.proximo.& tit.1.& tit.25. Vlpianus notat. Inde Celsus in l.pater meus.§.vlt.de leg.2. Si filio, inquit, heredi pars eius, à quo nominatim legatum est, accrescit, non præstabit legatum quod iure antiquo capit. Id verò immixtum portioni hereditatis eo iure capit, quòd legem Papiam antecessit, quoniam filius est. Ceterùm vt de Iuliano Vlpianus in l.si Titio, ita nos de Celso dicere possumus. Celsus quidem ait legatum non præstari, Sed post constitutionẽ Seueri & Antonini alio iure vtimur: ac frustra nostri interpretes Celsum, qui C Hadriani temporibus floruit vnà cum Iuliano, cum rescripto D. Seueri in concordiam adducere conantur. Sed hæc aliàs subtilius.

XIX.

DE DOMINIIS ET ADQVISITIONIBVS RERVM.

MNES res aut mancipi sunt, aut necmancipi. Mancipi res sunt prædia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus: D quàm vrbana, qualis domus. Item iura prædiorum rusticorum: velut via, iter, actus, & aquæductus. Item serui & quadrupedes, quæ dorso collo've domantur, velut boues, muli, equi, asini: ceteræ res necmancipi sunt. Elephanti & cameli, quamuis collo dorso've domentur, necmancipi sunt: quoniam bestiarum numero sunt.

Singularum rerum dominia nobis adquiruntur, mancipatione, tra-
E ditione, vsucapione, in iure cessione, adiudicatione, lege.

Mancipatio propria species alienationis est, & rerum mancipi: eaq; fit certis verbis, libripende, & quinque testibus præsentibus.

Mancipatio locum habet inter ciues Romanos, & Latinos Colonarios, Latinosque Iunianos, eosque peregrinos, quibus commercium datum est.

F Commercium est emendi vendendiq; inuicem ius.

Res mobiles non nisi præsentes mancipari possunt, & non plures quàm quæ manu capi possunt. Immobiles autem, etiam plures simul, & quæ diuersis locis sunt, mancipari possunt.

Traditio, propriè est alienatio rerum. Necmancipi rerum dominia, ipsa traditione adprehendimus: scilicet, si ex iusta causa traditæ sunt nobis.

Vsucapione dominia adipiscimur, tam mancipi rerum, quàm nec
G mancipi. Vsucapio est autem dominij adeptio, per continuationem possessionis anni, vel biennij: rerum mobiliũ anni, immobiliũ biennij.

In iure cessio quoque communis alienatio est, & mancipi rerum &

necmancipi,quæ fit per tres perſonas, in iure cedentes,vindicantes,addicentes. A

In iure cedit dominus:vindicat is cui ceditur:addicit prætor.

In iure cedi res etiam incorporales poſſunt, velut vſusfructus, & hereditas,& tutela legitima,& libertas.

Hereditas in iure ceditur, vel antequam adeatur, vel poſteà quàm adita fuerit.

Antequàm adeatur in iure cedi poteſt ab herede legitimo: poſteà B quàm adita eſt, tam à legitimo, quàm ab eo qui teſtamento heres ſcriptus eſt.

Si antequàm adeatur hereditas, in iure ceſſa ſit, perinde heres fit cui ceſſa eſt,ac ſi ipſe heres legitimus eſſet. Quòd ſi poſteà quàm adita fuerit,in iure ceſſa ſit,is cui ceſſa eſt,permanet heres,& ob id creditoribus defuncti manet obligatus:debita verò pereunt,id eſt, debitores defun- C cti liberantur.

Res autem corporales,quotiens ſingulæ in iure ceſſæ ſunt, tranſeunt ad eum cui ceſſa eſt hereditas.

Adiudicatione dominia nanciſcimur, per formulam Familiæ erciſcundæ, quæ locum habet inter coheredes: & per formulam Communi diuidundo, cui locus eſt inter ſocios: & per formulam Finium regundorum, quæ eſt inter vicinos. Nam ſi iudex vni ex heredibus, aut ſociis,aut vicinis rem aliquam adiudicauerit,ſtatim illi adquiritur, ſiue D mancipi,ſiue necmancipi ſit.

Lege nobis adquiritur, velut caducum, vel erepticium ex lege Papia Popea: item legatum ex lege duodecim Tabularum, ſiue mancipi res ſint,ſiue necmancipi.

Adquiritur autem nobis etiam per eas perſonas, quas in poteſtate, manu,mancipio've habemus.Itaque ſiquidem(mancipio puta)acceperint,aut traditum eis ſit,vel ſtipulati fuerint,ad nos pertinet. E

Item ſi heredes inſtituti ſint, legatúmve eis ſit: & hereditatem iuſſu noſtro adeuntes nobis adquirunt,& legatum ad nos pertinet.

Si ſeruus alterius in bonis,alterius ex iure Quiritium ſit,ex omnibus cauſis adquiret ei,cuius in bonis eſt.

Is quem bona fide poſſidemus,ſiue liber, ſiue alienus ſeruus ſit, nobis adquirit ex duabus cauſis tantùm,id eſt,quod ex re noſtra, & quod ex operibus ſuis adquirit:extra has autem cauſas,aut ſibi adquirit, ſi li- F ber ſit: aut domino, ſi alienus ſeruus ſit. Eadem ſunt & in eo ſeruo, in quo tantùm vſumfructum habemus.

Elephanti & cameli.] Videntur quidem mancipij eſſe,non ſunt tamen:quia feræ beſtię ſunt. l.2.§.vlt.ad leg. Aquil.Iſidorus, Mancipium, inquit, eſt quidquid manu capi ſubdiq; poteſt, vt homo,equus,ouis:hæc enim animalia ſtatim vt nata ſunt, mancipium eſſe putantur. nam & ea quæ in beſtiarum numero ſunt,tunc videntur mancipium eſſe,quando capi,ſiue domari cœperint. Tollitur verò hæc rerum differentia in titul.de vſucap.transf.C. Et rerum mancipij.] Supereſt, *Et.* G Eáque fit certis verbis.] Exempla ſunt in §.prætereà.quib.mod.ius poteſt.ſol.& §.1.de teſta. ord.quę,cùm explicata ſint à multis,longiora non faciam. Latinos Colonarios.] Horum exéplo Iuniani introducti ſunt,vt Iuſtinianus ſcribit in tit.de lat.lib. Commercium.] Commerciú eſt permutatio.l.ex hoc iure.de iuſt.& iure. Ex permutatione originem cepit emptio & venditio:in qua &

A qua & si vtrinq; merx nõ sit, vt in permutatione, sed aliud pretium, aliud merx, de ea tamen cõmercium dicitur frequentissimè: inde & mercari, & promercium, & promercalis res. Traditio.] Legendum, *Traditio propria est alienatio rerum nec mancipi. Nec mancipi rerum,* &c. Vsucapio est autem dominij adeptio.] Modestinus ait in l.3. de vsurp. & vsuc. *adiectio dominij*. mallem, *adeptio*, vt in hoc loco: consueuerunt enim Iurisconsulti eisdem rerum definitionibus vti. Equidem quia hæc duo verba tantam inter se adfinitatem habent, vt alterum pro altero facilè potuerit obrepere: quod etiam possum Vlpiano auctore, non metuo emendare in Modestino, *adeptio dominij*. Nam & capionis verbo adeptio significatur, non adiectio. Rerum mobilium anni.] In iure ciuili quæri plerumque solet, vtrùm continuus, an vtilis annus sit. Idem & in hoc loco quæri potest. sed verius est continuum annum numerari: & hoc Paulus scripserat in l. numquam. §. j. de vsurpat. & vsuc. B Quia tamen annus in triennium mutatus est, Tribonianus scripsit *continuum tempus*: sed debuit & vocem hanc, *mobilium* circumscribere. Nam idem prorsus est in vsucapionibus rerum immobilium. Scitum planè est huius erroris causam in Triboniani ignorantiã conferre. In iure cessio.] Tribus verbis omne officium prætoris continetur, Do, dico, addico, Dat iudices, Dicit ius, Addicit, exempli gratia, in cessionibus. Addicit bona libertatum conseruandarum causa. Vnde & in antiquis legibus Manilia, Peducea, Alliena, Fabia de finibus agrorum ita legitur, DE'QVE EA RE CVRATORIS, QVI HAC LEGE ERIT, IVRISDICTIO, RECIPERATORVM'QVE DATIO, ADDICTIO ESTO. SI CVRATOR HAC LEGE NON ERIT, TVNC QVICVMQVE MAGISTRATVS IN EA COLONIA, MVNICIPIO, PRÆFECTVRA, FORO, CONCILIABVLO IVRIDICVNDO PRÆERIT, MAGISTRATVS DE C EA RE IVRISDICTIO, IVDICIS'QVE DATIO, ADDICTIO ESTO. Velut vsusfructus.] Vsusfructus siue domino cedatur, siue extraneo, cessione finitur. Nam & extraneo cessus, ad proprietatem recurrit. l. si vsusfructus. de iure dot. Nihil verò agitur in persona extranei. v. Cuiac. §. inst. de vsufr.

Tutela legitima & libertas.] De tutela Cessicia, tit. 11. dictum est. Libertas cessicia ea est, quæ vindicta datur: cedit enim libertatem dominus, vindicat seruus, addicit prætor: & inde scipioni lictoris, quem liberandis seruis gerit, vindictæ nomen. Is cui cessa est.] Videtur legendum, *Is à quo cessa est*: quoniam subinfert, *Permanet heres*. Atque facit quidem ab hac coniectura ipsa iuris ratio. Ideò enim tenetur creditoribus, quòd adeundo cum eis contraxisse videatur. l. 3. in fin. l. 4. qui. ex caus. in poss. eat. Ideò ei debitores nõ tenentur, quòd se omni heredis iure abdicauerit. Sed neq; cessicio heredi tenentur, quia ei non sunt obligati: attamẽ emptori hereditatis vtiles actiones dan- D tur, venditori directæ. l. emptor. C. de hered. vend. Aliud ergo est cedere hereditatem in iure, longè aliud vendere hereditatem. De cessicia hereditate in libris Iustiniani mentio, quod sciam, nulla fit.

Res autem corporales.] Dixit de rebus incorporalibus quæ ceduntur in iure, nunc de rebus corporalibus. Quid est igitur quod ait in extremo huius sententiæ, *Cui cessa est hereditas*? Malim, *Cui cessæ sunt*. Adiudicatione. Idem Iustinianus scribit in extremo tit. de offic. iud. neque verò vllus est alius casus, in quo iudicis sententia dominium adquiratur. Vel erepticium.] Nescio quid sit erepticium: nisi id forsitan sit, quod aliàs in causa caduci esse dicitur. Neque enim id cadit à nobis (quandoquidem viuo testatore deficit) sed heredi eripitur: caduca cadunt à nobis. Item legatum ex lege XII. tab.] l. verbis legis. de verb. signific. Si seruus alterius in bonis.] Dominus Bonitarius præfertur domino Quiritiario. Ex operibus suis.] Alij dicunt *ex operis*: sed E hoc quoq; rectũ est, vt auctoribus scriptis libris, in §. de his. per quas pers. nob. adq. §. item. per quas pers. obligat. nob. adq. & auctoribus Florentinis, in l. quod seruus. de stip. ser.

XX.

DE TESTAMENTIS.

TESTAMENTVM, est mentis nostræ iusta contestatio, in id sollemniter factum, vt post mortem nostram valeat.

F Testamentorum genera fuerunt tria: vnum, quod Calatis comitiis, alterum quod in procinctu, tertium quod per æs & libram appellatum est. Illis duobus testamentis abolitis hodie solum in vsu est, quod per æs & libram fit: id est, per mancipationem imaginariam, in quo testamento libripens adhibetur, & familiæ emptor, & non minus quàm quinque testes, cum quibus testamenti factio est.

G Qui in potestate testatoris est, aut familiæ emptoris, testis ad libræ pensa adhiberi non potest: quoniam familiæ mancipatio inter testatorem, & familiæ emptorem fit: & ob id domestici testes adhibendi non sunt.

Filio familiæ emente, pater eius testis esse non potest. A

Ex duobus fratribus qui in eadem patris potestate sunt, alter familiæ emptor, alter testis esse non potest: quoniam quod vnus ex his mancipium accipit, adquirit patri, cui filius suus testis esse non debet: pariter & qui in potestate eius est constitutus.

Duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes vtrique, vel alter testis, alter libripens fieri possunt, alio familiam emente: quoniam nihil nocet ex vna domo plures testes alieno negotio adhiberi. B

Mutus, surdus, furiosus, pupillus, femina, neq; familiæ emptor, neq; testis, libripens'ue fieri potest.

Latinus Iunianus, & familiæ emptor, & testis, & libripens fieri potest: quoniam cum eo testamenti factio est.

In testamento, quod per æs & libram fit, duæ res aguntur, familiæ mancipatio, & nuncupatio testamenti. Nuncupatur testamentum in hunc modum: tabulas testamenti testator tenens ita dicit, HÆC VTI C HIS TABVLIS CERIS'VE SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR. ITAQVE VOS QVIRITES TESTIMONIVM PRÆBITOTE. quæ nuncupatio & testatio vocatur.

Filius familiæ testamentum facere non potest: quoniam nihil suum habet, vt testari de eo possit. Sed Diuus Augustus Marcus constituit, vt filiusfamiliæ miles, de eo peculio quod in castris adquisiuit, testamentum facere possit. D

Qui de statu suo incertus est (facito quòd patre peregrè mortuo, ignorat se sui iuris esse) testamentum facere non potest.

Impubes, licet sui iuris sit, testamentum facere non potest: quoniam nondum plenum iudicium animi habet.

Mutus, surdus, furiosus, itemq; prodigus, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non possunt: mutus, quoniam verba nuncupationis loqui non potest: surdus, quoniam verba familiæ emptoris exau- E dire non potest: furiosus, quoniam mentem non habet, vt testari de ea re possit: prodigus, quoniam commercium illi interdictum est, & ob id familiam mancipare non potest.

Latinus Iunianus, item is qui Dediticiorum numero est, testamentum facere non potest: Latinus quidem, quoniam nominatim lege Iunia prohibitus est: is autem qui Dediticiorum numero est, quoniam nec quasi ciuis Romanus testari potest, cùm sit peregrinus: nec quasi F peregrinus: quoniam nullius certæ ciuitatis, sciens vt aduersus leges ciuitatis suæ testetur.

Feminæ post duodecimum annum ætatis testamenta facere possunt tutore auctore, donec in tutela sint.

Seruus publicus prætoris'ue, parte dimidia testamenti faciendi habet ius.

Testamentorum genera fuerunt tria.] Iure ciuili. Fuit & quartum, iure prætorio. Est & G quintum, ciuili, prætorio, & principali iure permixto. Ad libræ pensa.] Lege, *Aut libripens.* Inter testatorem & familiæ emptorem.] Et ideò seorsim in tabulis heres scriptus (plerumque enim cui fit mancipatio non sit nuncupatio) ad testamentum testis adhiberi potest: at

sublata

A ſublata mancipatione, ſanè creditur hodie, vt rectè Iuſtinia.ait in §.ſed neque. de teſta.ord.totum
hoc negotium inter teſtatorem & heredem agi. Proinde heres, aut qui per poteſtatem heredi
coniunctus eſt, teſtis adhiberi non poteſt. Pariter & qui in poteſtate.] Lego, *Pater, & qui in
poteſtate eius eſt conſtitutus, & duo fratres* &c. de l.pater. de teſt. Femina.] De feminæ teſtimo-
nio rata hæc ſunt: Femina, ἐν ταῖς ἀποδεικτικαῖς teſtis loco produci poteſt. l.ex eo.de teſt. l.qui te-
ſtamento.§.mulier.de teſtam. Femina, ἐν ταῖς συστατικαῖς teſtis adhiberi non poteſt. & hoc Græcus
interpres tradit. Latinus Iunianus, & familiæ.] Quoniam commercium habet, vt ſ.tit.prox.
Sed diuus Auguſtus Marcus.] Supereſt, *Marcus.* §.j. quib.non eſt per.fac.teſt. Qui de
ſtatu.] l.de ſtatu.de teſtam. Mutus, ſurdus.] Surdus mutus ita natus, teſtamentum facere non
poteſt. Surdus mutus ita factus, teſtamentum facere poteſt, ſi ſciat litteras. Æquè ſurdus ita natus aut
factus, teſtamentum facere poteſt: itemq; mutus ita natus aut factus, ſi ſciat litteras. Ceterùm hæc
B eſt Iuſtiniani onſtitutio, ex qua in l.nutu.de legat.3. additum eſt, *Niſi ſuperueniens morbus ei impedi-
mento ſit.* Quoniam commercium.] Quamquam hæc ratio deficiat hodie, non tamen habet
prodigus teſtamenti factionem: nimirum quia non tantùm cõmercio ei, ſed etiam bonis ſuis inter-
dicitur. Ait enim prætor, vt eſt in formula interdictionis. OB EAM REM TIBI EA RE COM-
MERCIO'QVE INTERDICO. Ea re, id eſt, bonis paternis auitisq;. Certæ ciuitatis ſciẽs.]
Lego, *Certæ ciuitatis ciuis eſt.* vel, *certæ ciuitatis ſit.* Vt aduerſus leges.] Aduerſus, pro ſecũdùm,
poſitũ eſt: vt ſit.ſecundùm leges. Sic in tit.28. Bono.poſſeſsio aduerſus tabulas, quæ iuxta tabulas in
tit.23. Sic in l.naturaliter.de vſur.& vſuc. Caius ait, Poſſeſsionẽ non tantùm aduerſus eum interrum-
pi qui eripit, ſed aduerſus omnes: id eſt, non ei tãtùm vtilem eſſe vſurpationem qui eripit, ſed etiam
omnibus: id quod intelligi poteſt ex tit.quemad.ſeruit.amitt.in quo multis in locis oſtenditur, ſer-
C uitutes vſurpari per ſocium, & quemcumque poſſeſſorem, per eum etiam qui ſe ſuo iure vti non pu-
tat. Seruus publicus prætoris'ue.] Legendum, *Seruus publicus P.Romani.* cui non abſimilis
error eſt in tit.24. Plus ergo iuris habent ſerui publici P.Romani, quàm aut ciuitatum, aut priua-
torum ſerui.

et in l. 1. D. de iure fisci. Callistratus ait. vel aduersus leges commissum factum esse.

XXI.

QVEMADMODVM HERES INSTITVI DEBEAT.

D HERES inſtitui rectè poteſt his verbis, TITIVS HERES ESTO, TITIVS HERES SIT, TITIVM HEREDEM ESSE IVBEO. Illa autem inſtitutio, HEREDEM INSTITVO, HEREDEM FACIO, pleriſque improbata eſt.

Cur hæc inſtitutio pleriſq; improbata eſt, HEREDEM INSTITVO, HEREDEM FACIO? vtrùm quia ſola lex heredem inſtituit, heredem facit? an quia hæc verba pleriſque videntur non eſſe directa? Sed hæc verborum ſollemnitas abolita eſt.l.quoniam.C.de teſtam.

E

XXII.

QVI HEREDES INSTITVI POSSVNT.

HEREDES inſtitui poſſunt, qui teſtamenti factionem cum teſtatore habent.

F Dediticiorum numero heres inſtitui non poteſt, quia peregrinus eſt.

Cum quo teſtamenti factio non eſt, ſi quidem mortis teſtatoris tempore, vel intra diem cretionis ciuis Romanus ſit, heres eſſe poteſt: quòd ſi Latinus manſerit, lege Iunia, capere hereditatem prohibetur. Idem iuris eſt in perſona cœlibis propter legem Iuliam.

Incerta perſona heres inſtitui non poteſt, velut hoc modo: QVISQVIS PRIMVS AD FVNVS MEVM VENERIT, HERES
G ESTO: quoniam certum conſilium debet eſſe teſtantis.

Nec municipia, nec municipes heredes inſtitui poſſunt: quoniam incertum corpus eſt, vt neque cernere vniuerſi, neque pro libito de

herede cernere poſſunt vt heredes fiant. Senatus conſulto tamen conceſſum eſt, vt à libertis ſuis heredes inſtitui poſsint. Sed fideicommiſſa hereditas municipibus reſtitui poteſt: idq́ue hoc ſenatuſconſulto proſpectum eſt. A

Deos heredes inſtituere non poſſumus, præter eos, quos ſenatuſconſulto, conſtitutionibus principum inſtituere conceſſum eſt: ſicuti Iouem Tarpeium, Apollinem Didymæum, ſicuti Martem in Gallia, Mineruam Melienſem, Herculem Gaditanum, Dianam Epheſiam, matrem deorum Cybelem, eam quæ Smyrnæ colitur, & Cæleſtum Salinenſem Carthaginis. B

Seruos heredes inſtituere poſſumus, noſtros, cum libertate: alienos, ſine libertate: communes, cum libertate, vel ſine libertate.

Eum ſeruum, qui tantùm in bonis noſter eſt, nec cum libertate heredem inſtituere poſſumus, quia Latinitatem conſequitur: quod non proficit ad hereditatem capiendam. C

Alienos ſeruos heredes inſtituere poſſumus: eos tamen, quorũ cum dominis teſtamenti factionem habemus.

Cõmunis ſeruus cum libertate rectè quidem heres inſtituitur, quaſi proprius, pro parte noſtra: ſine libertate autem, quaſi alienus, propter ſocij partem.

Proprius ſeruus cum libertate heres inſtitutus, ſi quidem in eadem cauſa permanſerit, ex teſtamento liber & heres fit, id eſt, neceſſarius. D

Quòd ſi ab ipſo teſtatore viuente manumiſſus, vel alienatus ſit: ſuo arbitrio, vel iuſſu emptoris, hereditatem adire poteſt. Sed ſi ſine libertate ſit inſtitutus, omnino non conſtat inſtitutio.

Alienus ſeruus heres inſtitutus, ſiquidem in ea cauſa permanſerit, iuſſu domini debet hereditatem adire. Quòd ſi viuo teſtatore manumiſſus, aut alienatus à domino fuerit: aut ſuo arbitrio, aut iuſſu emptoris poterit adire hereditatem. E

Sui heredes inſtituendi ſunt, vel exheredandi. Sui autem heredes ſunt liberi quos in poteſtate habemus, tam naturales, quàm adoptiui: item vxor quæ in manu eſt, & nurus quæ in manu eſt filij, quem in poteſtate habemus.

Poſtumi quoque liberi, id eſt, qui in vtero ſunt, ſi tales ſunt, vt nati in poteſtate noſtra futuri ſint, ſuorum heredum numero ſunt.

Ex ſuis heredibus filius quidem neque heres inſtitutus, neque nominatim exheredatus, non patitur valere teſtamentum. Reliquæ verò perſonæ liberorum, velut filia, nepos, neptis, ſi præteritæ ſint, valet teſtamentum. F

Scriptis heredibus adcreſcunt, ſuis quidem heredibus in partem virilem: extraneis autem, in partem dimidiam.

Poſtumi quoque liberi cuiuſcumque ſexus omiſſi, quod valuit teſtamentum agnatione rumpitur. G

Eos qui in vtero ſunt, ſi nati ſui heredes nobis futuri ſunt, poſſumus inſtituere heredes: ſi quidem poſt mortem noſtram naſcantur, ex iure

ciuili

A civili: si verò viuentibus nobis, ex lege Iulia.

Filius qui in potestate est, si non instituatur heres, nominatim exheredari debet: reliqui sui heredes vtriusque sexus aut nominatim, aut inter ceteros.

Postumus filius nominatim exheredandus est: filia postuma, ceteræq; postumæ feminæ vel nominatim, vel inter ceteros: dummodò inter ceteros exheredatis aliquid legetur.

B Nepotes & pronepotes, ceteriq; masculi postumi præter filium, vel nominatim, vel inter ceteros cum adiectione legati sunt exheredandi: sed tutius est tamen nominatim eos exheredari: & id obseruatur magis.

Mancipatos liberos cùm iure ciuili neq; heredes instituere, neq; exheredare necesse sit: tamen prætor iubet, si non instituantur heredes, exheredari masculos omnes nominatim, feminas vel inter ceteros: alioquin contra tabulas bonorum possessionem eis pollicetur.

C Inter necessarios heredes, id est, seruos cum libertate heredes scriptos, & suos scilicet necessarios, id est, liberos qui in potestate sunt, iure ciuili nihil interest (nam vtrique etiam inuiti heredes sunt) sed iure prætorio suis & necessariis heredibus abstinere se à parentis hereditate permittitur: necessariis autem tantùm heredibus abstinendi potestas non datur.

Extraneus heres, siquidem cum cretione sit heres institutus, cernendo fit heres: siue sine cretione, pro herede gerendo.

D

Pro herede gerit, qui rebus hereditariis tamquam dominus vtitur: velut qui actionem rerum hereditariarum facit: aut seruis hereditariis cibaria mandat.

Cretio est certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, vtrùm expediat ei adire hereditatem, nécne: velut, TITIVS HERES ESTO, CERNITO'QVE IN DIEBVS CENTVM PROXIMIS, QVIBVS SCIERIS, POTERIS'QVE: NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO.

E

Cernere, est verba cretionis dicere, ad hunc modum, CVM ME MÆVIVS HEREDEM INSTITVERIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNO'QVE.

Sine cretione heres institutus, si constituerit, nolle se heredem esse, statim excluditur ab hereditate, & amplius eam adire non potest.

F Cum cretione verò heres institutus, sicut cernendo fit heres, ita non aliter excluditur, quàm si intra diem cretionis nō creuerit: ideoq; etiam si constituerit nolle se heredem esse, tamen si supersint dies cretionis, pœnitentia actus, cernendo heres fieri potest.

Cretio autem vulgaris dicitur, aut continua. Vulgaris, in qua adiiciuntur hæc verba, QVIBVS SCIERIS, POTERIS'QVE. Continua, in qua non adiiciuntur.

G Ei qui vulgarem cretionem habet, dies illi dati computantur, quibus scit se heredem institutū esse, & potuit cernere. Ei verò qui continuam habet cretionem, etiam illi dies computantur quibus ignorauit se heredem

redem institutum,aut sciuit,sed non potuit cernere.

Heredes aut instituti dicuntur,aut substituti:instituti,qui primo gradu scripti sunt: substituti,qui secundo gradu,vel sequentibus.

Heredes scripti sunt,velut: TITIVS HERES ESTO, CERNITO'QVE IN DIEBVS PROXIMIS CENTVM, QVIBVS SCIERIS POTERIS'QVE: NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO: TVNC MÆVIVS HERES ESTO, CERNITO'QVE IN DIE- B
BVS, & reliqua. Similiter & deinceps substitui potest.

Si sub imperfectam cretionem heres institutus sit, id est, non adiectis his verbis, SI NON CREVERIS, EXHERES ESTO: sed si ita, SI NON CREVERIS, TVNC MÆVIVS HERES ESTO: cernendo quidem,superior inferiorem excludit: non cernendo autem, sed pro herede gerendo, in partem admittit substitutum. Sed posteà Diuus Marcus constituit, vt & pro herede gerendo, ex asse fiat heres. C
Quòd si neque creuerit, neque pro herede gesserit, ipse excluditur, & substitutus ex asse fit heres.

Quia peregrinus est,cum quo testamenti factio non est,siquidem.] Ex his quæ diximus in tit.17.apparet ita hunc locum emendari oportere, *Quia peregrinus est,cum quo testamenti factio non est. Latinus Iunianus, siquidem mortis*,&c. Nam cum Latino proculdubio testamenti factio est: alioquin, nec si intra diem cretionis ciuis Romanus fiat, rectè heres instituitur.§.in extraneis de her.qual.& diff. Nec municipia nec municipes.] Plinius lib.v.Epistol.nec heredem institui, nec præcipere posse Rempub. constat. Neque pro libito de herede cernere.] Videtur legendum, *neque pro herede gerere*: nam aut cretione,aut pro herede geritione heredes fiunt. Se- D
natusconsulto tamen.] l.1.de libert.vniuers. Denique hoc S.C.] Senatusconsulto Aproniano,quod factum est temporibus D.Marci.l.omnibus,ab Trebel. Meliensem.] Aut Melitensem,aut à Melio vrbe non procul ab Euphrate. Cælestum Salinensem.] Tertullian. aduersus gentes. Vnicuique etiam prouinciæ & ciuitati suus Deus est,vt Africæ Cælestus. De eo etiam dæmone Saluianus scribit lib. VIII. de prouid.Dei: & Ambrosius in Epist.ad Valent.Imp. Cum libertate,vel sine libertate.] Si cum libertate,socio adcrescit: si sine libertate,seruus communis est heredis & socij. l.verùm. §.si seruum. pro soc. Quod non proficit ad hereditatem capiendã.] Nisi intra diem cretionis ciuis Romanus fiat. Eos tamen quorum cum dominis.] Si cum domino est testamenti factio,est & cum seruo: vice versa,si cum domino non est testamenti factio,nec item est cum seruo.l.seruus hereditarius.l.non minus.de hered.inst.Ceterùm ex perso- E
na serui id quod relinquitur valet,id est, si ei libero relictum valeat. Ex quo efficitur vt seruo legari non possit seruitus ad fundum domini.l.& si maximè.de seruit.leg.contrà vt & possit legari res domini,quamuis res sua domino legari non possit.l.debitor. §.seruo.de legat.2. Quod si ab ipso testatore.] Alienatione, manumissione libertas reuocatur. non hereditas: cui rei non obstat regula l.si ita scriptum. de lib.& postu. talis namque est, Seruo cum libertate ex asse herede instituto, libertatem seruo eodem testamento à semetipso adimi non posse,vt in l.sed & si condicioni. in fin. de hered.instit.Ibidem scriptum est,hereditatem adimi non posse,quod falsum est.at lego, *Qua constitutum est libertatem*. In libertatis & hereditatis nominibus, sæpius legum auctores errare contigit. Omnino non constat.] Hodie constat ex constitutione Iustiniani. Tam naturales.] Hi sunt sui naturales, reliqui sui non naturales,vt ĩ.tit.vlt. Scriptis.] Legendum, *Sed scriptis*. §.1.de F
exhered.lib. Postumi quoque liberi cuiuscumque sexus.] In natis differentia est sexus & personarum, in postumis non item. Denique omnes postumi præteriti si nascantur,rumpunt, filij statim ab initio iniustum faciunt: vtrumque fit iure ciuili: iure prætorio vtrisque datur contra tab. Rumpitur.] Legendum, *Rumpunt*. Eos qui in vtero sunt.] Postumi sui sunt, qui post mortem, aut post testamentum sui nascuntur, vel quasi nascuntur: nati post mortem ex iure antiquo instituuntur,nati post testamẽtum,ex iure nouo,id est,lege Iulia Vellea. De his qui quasi nascuntur non est quæstio,an institui possint,quia nati sunt tempore testamenti,de quibus lex Iulia tractat in secundo capite: at nati non sui post testamentum,succedentes tamen in locum sui,moribus institui possunt,id est,ex Iuliani sentẽtia.l.Gallus.de lib.& postu.Postumi alieni iure ciuili,id est, G
XII. tab. institui non possunt, sed neque eis legari potest: iure prætorio institui possunt: iure prætorio legata capere non possunt,quia prætori curæ legata non fuere: at fideicommissa capere possunt: ex Iustiniani constitutione cum eis,quasi ex iure ciuili, testamenti factio est. Hæc vt breuia ita absoluta sunt. Ex iure ciuili.] Lege XII. tab. quod ius antiquum dicitur in l.Gallus. Huic autem iuri & Galli consilium congruit. Sed tutius est tamen.] Ergo postumæ feminæ inter ce-

teros

A teros cum adiectione legati, ne per obliuionem omissæ videatur: postumi mares cuiuscumq; gradus
nominatim. §. postumi quoq;. de exhered. lib. superstites, præter filium, inter ceteros sine adiectione
legati, quia superstitum non æquè obliuiscimur. Sed hæc Iustinianus emendauit. Mancipatos
liberos.] Emancipati, & mancipati rectè dicuntur: sed mancipati nomen in malam partem accipi
potest. Plinius lib. IIII. Epistol. Filium regulus emancipauit, vt heres matris existeret. Mancipatum
(ita vulgò ex moribus hominis loquebantur) fœda & insolita parentibus indulgentiæ simulatione
captabat. Inter necessarios.] Sui beneficium abstentionis habent: necessarij beneficium se-
parationis, abstentionis non æquè. Separatio facit vt ne væneant quæ posteà sibi heres adquisierit:
abstentio, vt ne sit heredis loco. Actionem.] Pro *auctionem*, vt in l. 2. §. tutor. §. procuratorem.
pro empt. l. si existimans. de vsurp. & vsucap. l. 2. §. fin. de col. bon. Cretio est.] Hereditas adqui-
B ritur cretione, aditione, pro herede geritione, immixtione, agnitione. Cretio, est eorum qui sub
cretione heredes instituuntur. Pro herede geritio, eorum qui sine cretione, vel etiam cum cretione
imperfecta, ex constitutione D. Marci. Immixtio, est necessariorum & suorum. Agnitio nuda hodie
est in vsu tam in ciuili, quàm in prætorio iure. §. vlt. de hered, qualit. & diff. §. vlt, de bono. poss. Sub-
lata est cretio à Constantino in maternis successionibus. l. 1. C. Th. de mat. bonis. & mat. gen. cret. sub.
ab Theodosio penitus. l. cretionum. C. de iur. delib. l. 1. C. Th. de cret. vel bon. poss. Cernitóque.]
Id est, facito vt videant te esse heredē. sic Varro interpretatur in lib. v. de ling. Latin. Itaq;, inquit, in
cretione adhiberi iubent testes. Quibus scieris poterísque.] Sunt igitur vtiles dies, non con-
tinui. l. 2. quis ord. in bonor. possess. ser. Inde M. Tullius lib. 1. de Orat. De his, credo, rebus, inquit
Crassus, vt in cretionibus scribi solet, quibus sciam poteroq;. quem feliciter nobis locum Francisc.
C Hotomanus emendauit vir ingenij probi & recti. Est similis error in lib. Gratiani, cap. ius Quiritium.
1. dist. vbi loco horum verborum, *Vel curationibus, vel de contractibus*, scribendum est, *vel cretionibus*.
Nisi ita creueris exheres esto.] In suo, aut emancipato herede non scripto exheredatio va-
let, quia hic prætorio, ille ciuili iure heres est: in extraneo herede nō scripto exheredatio inanis est.
l. quidam. de verb. oblig. l. non putauit. §. si quis emancipatum. de bon. poss. contra tab. in scripto va-
let, vt in hac formula, & in l. paterfamilias. de heredib. instit. l. Seius. ad leg. Falc. l. vxorem, §. heres. de
legat. 3. Vulgaris.] Legitima & vtilis.

XXIII.

D

QVEMADMODVM TESTAMENTA RVMPVNTVR.

TESTAMENTVM iure factum infirmatur duobus modis: si rumptum, aut irritum factum sit.

Rumpitur testamentum mutatione, id est, si posteà aliud testamentum iure factum sit: item agnatione, id est, si suus heres agnascatur, qui neq; heres institutus, neq; vt oportet, exheredatus sit.

E Agnascitur suus heres, aut agnascendo, aut adoptādo, aut in manum conueniendo, aut in locum sui heredis succedendo: velut nepos mortuo filio, vel emancipato: aut manumissione, id est, si filius ex prima secunda'ue mancipatione manumissus, reuersus sit in patris potestatem.

Irritum fit testamētum, si testator capite deminutus fuerit, aut si iure facto testamento, nemo extiterit heres.

Si is qui testamentum fecit, ab hostibus captus sit, testamentum eius
F valet: si quidem reuersus fuerit, iure postliminij: si non ibi decesserit, ex lege Corneliana, quæ perinde successionem eius confirmat, atque si in ciuitate decessisset.

Si septem signis testium signatum sit testamentum, licet iure ciuili ruptum, vel irritum factum sit, prætor scriptis heredibus iuxta tabulas bonorum possesionem dat, si testator & ciuis Romanus, & suæ potestatis cùm moreretur fuit, quæ bonorum possesio cum re, id est, cum
G effectu habetur, si nemo alius iure heres sit.

Liberis impuberibus in potestate manētibus, tam natis quàm postumis, heredes substituere parentes possunt duplici modo: id est, aut eo

quo extraneis, vt ſi heredes non extiterint liberi, ſubſtitutus heres fiat: A
aut proprio iure, id eſt, ſi poſt mortem parentis heredes facti, intra pu-
bertatem deceſſerint, ſubſtitutus heres fiat.

Etiam exheredatis filiis ſubſtituere parentibus licet.

Non aliter impuberi filio ſubſtituere quis heredem poteſt, quàm ſi
ſibi quis heredem inſtitueret, vel ipſum filium, vel quemlibet alium.

Milites quomodocumq; fecerint teſtamenta, valent, id eſt, etiam ſine
legitima obſeruatione. Nam principalibus conſtitutionibus permiſſum B
eſt illis, quomodocumq; vellent, quomodocumque poſſent teſtari: idq;
teſtamentum quod miles contra iuris regulam fecit, ita demum valet, ſi
vel in caſtris mortuus ſit, vel poſt miſsionem intra annum.

Item agnatione.] Agnatione ex iure antiquo, ſi naſcantur poſt mortẽ: ex iure nouo, ſi in vita:
ſucceſsione, ex iure nouo: nam iure antiquo ſui naſcuntur, non fiunt. Ait verò lex noua, *In locum ſuo-
rum ſui heredes ſuccedunto.* l. Gallus. §. videndum. Aut manumiſsione.] Filius tribus emanci-
pationibus, & tribus manumiſsionibus ſui iuris fit: ceteri liberi vna emancipatione. Singulæ manu-
miſsiones aliis diebus, aliiſq; adhibitis teſtibus fieri poſſunt, auctore Paulo lib. I I. ſenten. Igitur poſt C
primam & ſecundam manumiſsionem filius præteritus rumpit teſtamẽtum patris, quia in eius po-
teſtatem reuertitur. Ceteri liberi ſemel emancipati, iam ampliùs non redeunt in poteſtatem, & ideò
nec patris teſtamentũ rumpunt. l. verum. §. vlt. de iniuſt. teſta. Si non ibi deceſſerit.] Legẽdum,
Si verò. Ex lege Corneliana.] Ex lege Cornelia. vtrumq; fit fictione quadam: nã re vera capti-
uitate, irrita teſtamenta fiunt. Duplex igitur eſt fictio, Poſtliminij, & Cornelia. hæc iuris ciuilis eſt: illa
iuriſgentium: hæc retrò fingit tẽpore captiuitatis eum deceſsiſſe, qui non rediit: illa verò in ciuitate
fuiſſe eum qui rediit. Lex X I I. tab. ciuibus Rom. conſtituit heredes teſtamentarios & legitimos: lex
Cornelia captiuis. Si nemo alius iure.] Iure legitimo, vel ab inteſtato. Quòd ſi alius iure heres
ſit, vt ſi exiſtat filius præteritus, ſecund. tab. bon. poſſ. erit ſine re. Verùm enim quia vtcũq; ſecundùm
tab. dari poteſt, quamuis iure ciuili nullum ſit teſtamentũ: iure prætorio neceſſaria eſt filio contr. tab. D
bon. poſſeſſ. Reſtat autem vt ex iniuſto nullo, rupto agnatione, detur bon. poſſeſſ. item ex irrito, ſi
modò reuerſus teſtator in antiquum ſtatum non mutata voluntate è vita deceſſerit. Nam tria exigit
prætor: vt non minus quàm ſeptem teſtium ſignis obſignatũ ſit teſtamentum: vt is cuius bonorum
poſſeſsio datur, mortis & teſtamenti tẽpore teſtamenri factionem habuerit: deniq; vt ſupremum te-
ſtamentum ſit. §. non tamen. quib. mod. teſt. infirm. l. I. de bon. poſſ. ſecundùm tab. Cum re.] Hoc
explicatur in tit. 28. l. filiis. C. de inoffic. teſt. Aut proprio iure.] Hæc eſt pupillaris ſubſtitutio, illa
vulgaris: hæc moribus, illa X I I. tab. introducta eſt: hæc pubertate, illa aditione finitur: hac ſuccedi-
tur pupillo, illa teſtatori: hæc fit in euentum adquiſitæ hereditatis & mortis, aut in euentum mortis
dumtaxat, illa in euentum non adquiſitæ hereditatis. Ex conſtitutione autẽ diuorum fratrum omnis
ſuſtitutio facta pupillo, duplex eſt. Etiam exheredatis.] Subſtitutio plerumq; æſtimatur ex ra- E
tione ſucceſsionis. hæc ex ratione ſcripturæ æſtimatur, nõ ſucceſsionis. proinde in ea ordo ſcripturæ
obſeruatur: & ita intellegendum eſt initium §. prius. l. moribus. vtpote cùm pẽdeat ex §. quiſquis. &
§ interdum. quos ſi quidem quis diligenter excutiat, inueniet ad eam dumtaxat ſubſtitutionem per-
tinere, quæ fit exheredato. Ac inde in fin. §. prius. ait. *Quòd igitur, dictum eſt, etiam exheredatis liberis*
(ſic enim legendum eſſe ſcio) *ſubſtituere licet, ideò adiectum eſt, vt declaretur non eſſe à filij impube-
ris teſtamento incipiendum:* quandoquidem ſi ab eo incipias exheredato, hoc non eſt ſubſtituere.
Denique odioſa hæc ſubſtitutio eſt. l. cùm quidam. C. de legat. & ideò rigor iuris, id eſt, ordo ſcri-
pturæ, qui in ceteris relaxatur, in ea diligenter cuſtoditur. Sunt & quamplurima alia exempla ſub-
ſtitutionum, quæ ex ſcriptura æſtimantur, non ſucceſsione: vt in formula Galli, in ſpecie l. cùm ex fi-
lio. §. vlt. l. ſed ſi plures. §. vlt. l. vlt. §. j. de vulgar. ſubſtit. vt verè quis ita ſtatuere poſsit. Subſtitutus
eſt is, qui ſecundo loco ſcriptus eſt, quamuis ei non ſuccedat qui primo loco heres ſcriptus eſt. Sub- F
ſtitutus eſt is, qui ſecundo loco ſcriptus eſt, etiam ſi ei poſt mortem teſtatoris primò deferatur here-
ditas. Subſtitutus eſt is, qui ſemel atq; iterum heres ſcriptus eſt, quamuis ei non niſi ſemel defera-
tur hereditas.

X X I I I I.

DE LEGATIS. G

LEGATVM, eſt quod legis modo, id eſt, imperatiuè, teſta-
mento relinquitur. Nam ea quæ precatiuo modo relinquun-
tur, fideicommiſſa vocantur.

Legamus autem quattuor modis, per vindicationem, per

A damnationem,sinendi modo,per præceptionem.

Per vindicationem, his verbis legamus, DO, LEGO, CAPITO, SVMITO, SIVE HABETO.

Per damnationem his verbis, HERES MEVS DAMNAS ESTO DARE, DATO, FACITO, HEREDEM MEVM DARE IVBEO.

Sinendi modo ita, HERES MEVS DAMNAS ESTO SINERE, LVCIVM TITIVM SVMERE ILLAM REM, SIBIQVE B HABERE.

Per præceptionem sic, LVCIVS TITIVS ILLAM REM PRÆCIPITO.

Per vindicationem legari possunt res, quæ vtroque tempore ex iure Quiritium testatoris fuerunt, mortis,& quando testamentum faciebat: præterquàm si pondere,mensura,numero contineantur:in his enim satis est,si vel mortis dumtaxat tempore fuerint ex iure Quiritium.

C Per damnationem omnes res legari possunt,etiam quæ non sunt testatoris,dummodò tales sint,quæ dari posint.

Liber homo, aut res populi, aut sacra, aut religiosa, nec per damnationem legari potest: quoniam dari non potest.

Sinendi modo legari possunt res propriæ testatoris,& heredis eius.

Per præceptionem legari possunt res,quæ etiam per vindicationem, si ea res quæ non fuit vtroque tempore testatoris ex iure Quiritium, D per vindicationẽ legata sit,licet iure ciuili nõ valeat legatum,tamen senatusconsulto Neroniano firmatur:quo cautum est,vt quod minus pactis verbis legatum est,perinde sit,ac si optimo iure legatum esset.

Optimum autem ius legati per damnationem est, si duobus eadem res per vindicationẽ legata sit:siquidem disiunctim,singulis in solidum debentur: si verò coniunctim, velut TITIO ET SEIO, HOMINEM STICHVM DO, LEGO, iure ciuili concursu partes fiebant. E Non currẽte altero,pars eius alteri adcrescebat. Sed post legem Papiam Popeam, non capientis pars caduca fit.

Si per damnationem eadem res duobus legata sit, siquidem coniunctim,singulis partes debentur, & non capientis pars iure ciuili in hereditatem remanebat,nunc autem caduca fit: quòd si disiunctim, singulis in solidum debetur.

Optione autem legati, per vindicationem data, legatarij electio est, F veluti, HOMINEM OPTATO, ELIGITO. Idemq; est, & si tacitè legauerim, TITIO HOMINEM AVT DECEM HERES MEVS DATO: hominem dare heredis electio est.

Ante heredis institutionem legari non potest: quoniam & potestas testamenti ab heredis institutione incipit.

Post mortem heredis legari non potest, ne ab heredis herede legari videatur: quod iuris ciuilis ratio non patitur. In mortis autem heredis G tempus legari potest: velut CVM HERES MORIATVR.

Pœnæ causa legari non potest. Pœnæ autem causa legatur, quod coërcendi heredis causa relinquitur, vt faciat quidem aut non faciat,

 non

non vt legatum pertineat: vt puta hoc modo, SI FILIAM TVAM IN MATRIMONIO TITIO CONLOCAVERIS, DECEM MILIA SEIO DATO. A

Incertæ personæ legari non poteſt: veluti, QVICVMQVE FILIO MEO FILIAM SVAM IN MATRIMONIO CONLOCAVERIT, EI HOMINI TOT MILIA DATO. Sub certa tamen demonſtratione incertæ perſonæ legari poteſt: velut, EX COGNATIS MEIS QVI NVNC SVNT, QVI PRIMO AD FVNVS MEVM VENERIT, EI HERES MEVS ILLVD DATO. B

Neque ex falſa demonſtratione, neque ex falſa cauſa legatum infirmatur. Falſa demonſtratio eſt, velut, TITIO FVNDVM, QVEM A TITIO EMI DO, LEGO, cùm fundus à Titio emptus non ſit. Falſa cauſa eſt: velut, TITIO, QVONIAM NEGOTIA MEA CVRAVIT FVNDVM DO, LEGO, vt negotia eius numquam Titius curaſſet. C

A legatario legari non poteſt.

Legatum ei tantùm dari poteſt, qui extraneus eſt. Ideóque filio familiæ heredi inſtituto, vel ſeruo, neque à patre, neque à domino legari poteſt.

Heredi à ſemetipſo legari non poteſt.

Ei qui in poteſtate, manu, mancipióue eſt ſcripti heredis, ſub condicione legari poteſt: ſed requiritur, vt quo tempore dies legati cedit, in poteſtate heredis non ſit. D

Ei cuius in poteſtate, manu, mancipióue eſt heres ſcriptus, legari non poteſt.

Sicut ſingulæ res legari poſſunt, ita vniuerſarum quoque ſumma legari poteſt: vtputa, MÆVIVS HERES MEVS CVM TITIO HEREDITATEM MEAM PARTITO DIVIDITO: quo caſu dimidia pars bonorum legata videtur. Poteſt autem & alia pars, velut tertia vel quarta legari: quæ ſpecies partitio appellatur. E

Vſusfructus iure ciuili legari poteſt earum rerum, quarum ſalua ſubſtantia vtendi fruendi poteſt eſſe facultas, & tam ſingularũ rerum, quàm plurium, id eſt, partis.

Senatuſconſulto cautum eſt, vt etiam ſi earum rerum quæ in abuſu continentur, vt puta vini, olei, tritici vſusfructus legatus ſit, legatario res tradantur cautionibus interpoſitis de reſtituendis eis, cùm vſusfructus ad legatarium pertinere deſierit. F

Ciuitatibus omnibus, quæ ſub imperio prætoriani ſunt, legari poteſt: idq́; à Diuo Nerua introductum, poſtea à Senatu auctore Adriano diligentius conſtitutum eſt.

Legatum quod datum eſt, adimi poteſt, vel eodem teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis: dum tamen eodem modo adimatur, quo modo datum eſt. G

Ad heredem legatarij legata non aliter tranſeunt, niſi ſi iam die legatorum cedente, legatarius deceſſerit.

Legat

A Legatorum quæ purè vel in diem certum relicta ſunt, dies cedit: antiquo quidem iure, ex mortis teſtatoris tempore: per legem autem Papiam Popeam, ex apertis tabulis teſtamenti: eorum verò quæ ſub condicione relicta ſunt, cùm condicio extiterit. Lex Falcidia iubet, non plus quàm dodrantem totius patrimonij legari, vt omni modo quadrans integer apud heredem remaneat.

Legatorum perperàm ſolutorum repetitio non eſt.

B Id eſt imperatiue.] Imperatiua verba, ſunt verba directa.l.quoniam.Cod.de teſtamen. Per præceptionem.] Hoc modo heredibus legatur, vt in iudicio id familiæ erciſcundæ, quod legatum eſt præcipiant, hoc & prælegatum dicitur & præcipuum. Sid.Apoll.lib. v I. Epiſt. Illud autem deberi tibi quodam, vt iuriſconſulti dicunt præcipui, titulo. Et heredis eius.] Non etiam alienæ: quod tamen perperàm additum eſt apud Caium lib. I I. Inſtitut.tit.de leg. Quæ etiam per vindicationem.] Hæc ita diſtinguenda ſunt, *Quæ etiam per vindicationem. Si ea res*, &c. Vt quod minus pactis.] Id eſt, conceptis & legitimis verbis. Cicer.pro Roſc.Comœ. Non enim ex pactione verborum, quibus iuſiurandum comprehenditur. Arnobius lib. v I I. contra gentes. Quam cum pactionibus adorat & formulis. Optimum autem ius.] Nempe quia laxius & expeditius eſt. Sic optimum ius vſurarum in l.1.Cod.de vſur. optimum ius poſſeſsionis.l.fideiuſſor.§.pater.de vſur.

C Si duobus eadem res.] Hæc quoq; diuelli debent à ſuperiore ſententia. Si quidem diſiunctim.] Diſiunctim legatur, ſi re tantùm legatarij iungantur: coniunctim, ſi re & verbis.§.ſi eadem.de leg.tit.de cad.toll.tit.de vſufr. adcreſc. verborum coniunctio aut pro nihilo, aut pro duplici coniunctione accipitur. Singulis in ſolidum debentur.] Legendum, *Singulis partes debentur.* & hoc Iuſtinianus indicat in §.ſui autem diſiunctim.Cod.de cad.toll. Paulus in ſententiis, Caius in Inſtit. Non currente.] Legendum, *Non concurrente.* Si per damnationem.] Re coniuncti ſunt quibus eadem res diſiunctim per vindicationem legatur, quoniam à principio ſolidum, concurſu partes habent. proinde re coniunctis adcreſcit deficientium portio, idq; ſine onere. Re coniuncti non ſunt, quibus eadem res diſiunctim per damnationem legatur, quoniam ſolidum ſingulis debetur, vni res, alteri pretium: ideoq; nec ius adcreſcendi inter ſe habent. Sed ex conſtitutione

D Iuſtiniani eodem iure eſt damnationis, quo & vindicationis legatum. Re & verbis coniuncti ſunt, quibus eadem res coniunctim per vindicationem legatur. nam & concurſu partes habent, & ideò ius inter eos adcreſcendi eſt, cum onere tamen. Re & verbis coniuncti non ſunt, quibus eadem res coniunctim per damnationem legatur: quoniam ſingulis ab initio partes debentur. proinde ſiue diſiunctim, ſiue coniunctim per damnationem legatum ſit, numquam inter eos verſatur ius adcreſcendi. Ius adcreſcendi cùm dicimus, ius antiquum dicimus. Ius caduci, ius nouum eſt. & hæc eſt ſententia huius loci. Hinc verò apparet l.coniunctim.de legat.3.de legato vindicationis. l.planè. §.ſi cōiunctim.de legat.1.de legato damnationis accipiendam eſſe. Sed hoc ideò in eis locis ſuppreſſum eſt, quòd iam ſublatæ eſſent ab Iuſtiniano legatorum differentiæ: non tamen ita ab eis locis ſublatæ ſunt, vt hæc manifeſtò non ſuperſint huius differentiæ veſtigia, quæ prima ſpecie, quaſi cōtra ſe ſtare

E videantur, vt planè iam ex eo appareat, quàm hebetes aut indiligētes fuerint hi, quibus ſtudium fuit Pandectarum capita ex veterum Iuriſconſultorum libris decerpere. Ceterùm & id quod diximus de legato damnationis, nominatim traditur in l.7.de legat.2. vnde & in l.huiuſmodi.§.ſi Titio.l.ſi duobus.de legat.1. optimo iure legatū fuiſſe neceſſe eſt vt ſtatuamus: alioquin pars vacans adcreſcit coniuncto, cum quo partes per concurſum fiunt. Quod deinde ſequitur in §.ſi coniunctim. *Sed ſi in pupillari*, ad re coniunctos pertinet qui concurſu partes habēt. vnde in extremo ita ſcriptum oportuit, *Interim igitur totum.* quod & Azo & Hugolinus intellexêre. Optione autem legati.] Hic locus mirum in modum deformatus eſt. Ipſe ratione iuris ductus, ſic emendaui. *Optione autem legati per vindicationem data, legatarij electio eſt: veluti, Hominem optato, eligito. Idemq; eſt ſi tacitè legauerim Ti-*

F *tio hominem. At ſi ita, Heres meus damnas eſto hominem dare, heredis electio eſt.* Si tacitè, id eſt, non data optione. Homine igitur per vindicationem generaliter legato, legatarij electio eſt.l.legato.de legat.1. per damnationem, heredis. l.ſi à ſubſtituto.§.1.eod. Similiter in diſiunctiuis legatis electio eſt legatarij, ſi per vindicationem.l.planè.§.pen.de legat.1.l.Lucio.de legat.2. heredis, ſi per damnationem. l.ſi is cui.l.ſi ita relictum.§.vlt.de legat.2. Et hæ quidem duæ differentiæ non ſunt ſublatæ, quia inducuntur ex voluntate teſtatoris. Pœnæ cauſa. Quemadmodum ſuperiores duæ ſententiæ, ita & hæc à Iuſtiniano ſublata eſt. Hodie igitur valet legatum tale, *Heres meus ſi Stichum alienauerit, Caio centum dato.* Non idem eſt, ſi impoſsibile, probroſum, illicitum ſit legatum: veluti, *Si mare non ebiberis, Titio centum dato. Si ſororem vxorem non duxeris, aut ſi pupillam filio nuptum non collocaueris, Titio centum dato.* §.fin.de legat.in l.1.de his quæ pœn.cauſ.relin. Hæc verba, *Illicitè vel probroſè*, ſunt Tribo-

G niani. Vt faciat quidem.] Puto legi debere *Quid*, non *quidem*. Vt negotia.] Lego, *Cùm negotia.* Legatum ei tantum dari poteſt.] Hic quoq; locus valde corruptus eſt. Lego, *Legatum ab eo tantùm dari poteſt, qui ex ſua perſona heres eſt. Ideoq;*, & quæ ſequuntur. In poteſtate manu mancipio'ue.] In poteſtate eſt filius familias, in manu vxor mater familias, in mancipio ſeruus. Quo caſu dimidia pars bonorum.] l.nomen.§. Partitò diuidito.] Malim, *Partito, diuidito.*

men.§.partitionis. de verb.signifi. Partiarius legatarius partis suæ commoda,& pro parte sua onera sustinere debet.l.cùm filius.§.1.l.si quis seruum.§.fin.de legat.3.& in eam rem partis & pro parte stipulationes interponuntur.§.sed quia.de fideicom.hered.& in tit.prox.Quòd si ita legatum sit, *Bonorum meorum partem tertiam,* non est partitio. Non affero capita legum, quæ sunt notissima. Id est partis.] l.etiam partis.de vsufr. Senatusconsulto.] Huius S. C. fit mentio in tit.de vsufr.earum rer.l.1.l.vxorem.de vsufr.legat.l.vlt.vsufructu.quemadm.caueat.l.vsufructu.ad leg.Falc.l.1.C.de vsufr. §.constituitur.inst.eod. S. C. opus fuit,quia neque naturali, neq; ciuili iure earum rerum est vsusfr. quæ sunt in abusu. Senatus autem id satisdationibus explicat: quæ in rebus difficillimis certissima sunt iuris subsidia.l.vsufructu.solut.matrimo. Prætoriani.] Legendum, *P. Romani.* l.omnibus.ad Trebell. Auctore Adriano.] Immò fortasse Marco.l.cùm Senatus.de reb.dub. Est in propriis nominibus facillimus auctorum lapsus. Dum tamen eodem modo.] Sic de libertate in tit.2. exempla hæc sunto. *Do,lego.non do,non lego.heres dato,heres ne dato.* l.nisi.de accept. Ex apertis tabulis.] Sunt huius iuris vestigia quædam in l.eum qui post.l.in testamento.de condic.& demonst. l.fin.de donat.caus.mort.l.3.§.fin.l.qui soluendo.de hered.institu. Hodie verò ius antiquum sequimur, cuius iuris regula quædam est Catonis regula: ad ea namq; pertinet, quæ à morte testatoris cedunt: ad nouas leges,id est,ad leges Papias non pertinet,ex quibus ex apertura tabularum legata cedunt.l.vlt.de regul.Catoni.nam neq; ad ea pertinet, quæ ab aditione,vel ab euentu condicionis cedunt. Repetitio non est.] Immo repetitio est,l.2.& 3.de cond.indeb.l.fideicommissum. Cod.eod.l.error.C.ad leg.Falc.& in Pauli sententiis lib.III. tit.9. Aut igitur hæc sententia accipienda est de legatis damnationis: quibus adiici possunt legata incertis personis soluta.§.fin.de obl.quæ qua.ex con.§.incertis.de legat.aut,quod magis est,negatione abundat.

X X V.

DE FIDEICOMMISSIS.

FIDEICOMMISSVM est, quod non ciuilibus verbis, sed precatiuè relinquitur:nec ex rigore iuris ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.

Verba fideicõmissorũ in vsu fere sunt hæc, FIDEICOMMITTO, PETO, VOLO DARI, & similia.

Etiam nutu relinquere fideicommissum,in vsu receptum est.

Fideicommissum relinquere possunt, qui testamentum facere possunt, licet non fecerint. Nam intestatus quis moriturus, fideicommissum relinquere potest.

Res per fideicommissum relinqui possunt,quæ etiam per damnationem legari possunt.

Fideicommissa dari possunt his,quibus legari potest.

Latini Iuniani fideicommissum capere possunt,licet legatum capere non possint.

Fideicommissum & ante heredis institutionem,& post mortem heredis, & codicillis, etiam non confirmatis testamento,dari potest, licet legari non possit.

Item Græcè fideicommissum scriptum valet, licet legatum Græcè scriptum non valeat.

Filio qui in potestate est, seruo'ue heredibus institutis, seu si his legatum sit,patris vel domini fidei committi potest, quamuis ab eo legari non possit. Qui testamento heres institutus est, codicillis etiam non confirmatis rogari potest, vel vt hereditatem totam, vel ex parte alij restituat, quamuis ex directo heres institui, ne quidem confirmatis codicillis possit.

Fideicommissa non per formulam petuntur, vt legata: sed cognitio est Romæ quidem consulum,aut prætoris,qui fideicommissarius vocatur:

A tur:in prouinciis verò,præſidum prouinciarum.

Pœnæ cauſa certæ vel incertæ perſonæ, ne quidem fideicommiſſa dari poſſunt.

Is qui rogatus eſt alij reſtituere hereditatem, lege quidem Falcidia locum non habente, quoniam non plus,puta quàm dodrantem, reſtituere rogatus eſt, ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituit,vt ei & in eũ dentur actiones, cui reſtituta eſt hereditas.Lege autem Falcidia inter-
B ueniente, quoniam plus quàm dodrantem, vel etiam totam hereditatem reſtituere rogatus ſit, ex Pegaſiano ſenatuſconſulto reſtituit, vel deducta parte quarta, ipſe qui ſcriptus eſt heres, hereditatem reſtituat, & in ipſum actiones conſeruentur: is autem qui recepit hereditatem, legatarij loco habeatur.

Ex Pegaſiano ſenatuſconſulto reſtituta hereditate, commoda & incommoda hereditatis communicantur.Inter heredem,& eum cui reli-
C quæ partes reſtitutæ ſunt interpoſitis ſtipulationibus ad exemplum partis & pro parte ſtipulationum. Partis autem & pro parte ſtipulationes propriè dicuntur, quæ de lucro & damno communicando ſolent interponi inter heredem & legatarium partiarium,id eſt,cum quo partitus eſt heres.

Si heres damnoſam hereditatem dicat, cogetur à prætore adire, & reſtituere totam, ita vt ei & in eum qui recipit hereditatem actiones
D dentur, perinde atq; ſi ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituta fuiſſet: idq; vt ita fiat,Pegaſiano ſenatuſconſulto cautum eſt.

Si quis in fraudem tacitam fidem adcommodauerit,vt non capienti fideicommiſſum reſtituat, nec quadrantem eum deducere Senatus cenſuit:nec caducum vindicare exeo teſtamento,ſi liberos habeat.

Libertas dari poteſt per fideicommiſſum.

E Non ciuilibus verbis.] Directis verbis, vt in l. verbis.de vulg. ſubſtitut. Etiam nutu.] l. nutu.de legat.3.ſecus tamen eſt in legato. Secus inquam eſt in legato iure antiquo. Fideicommiſſum relinquere.] Idem Vlp.in l.2.de legat.1.quæ. *Si quærantur exempla*, coniungenda eſt cum l.1. de legat.3. nam ex eodem libro ſunt ambæ. Poſt mortem heredis.] l. ſi fuerit de legat.3.hoc autem tacitè fieri poteſt,non nominatim,vt puta,à Titio ſubſtituto exheredati legatarij. l. cùm quidam.Cod. de legat. Item Græcè.] l. fideicommiſſa in princip. de leg. 2. Licet legatum Græcè.] Quæ ſunt iuris ciuilis Latinæ, quæ iuriſgentium qualibet lingua.l. an inutilis in fin.de accept.Teſtamenta igitur Latinè fiunt,vnde meritò dubitatur in l.qui teſtamento. §. veteres de teſtamen.an teſtes ad teſtamentum adhibiti Latinè ſcire debeant: ſed hoc Impp.emendarunt.l. hac conſultiſsima.§.fin.Cod.de teſtament.l.vlt.Cod. de teſtam.tut.l.directas.C.de teſtam.manu. Si
F quandoque ſtipulationem contendas eſſe iuriſgentium, hæc verè maſcula erit ratio. nam ſtipulatio qualibet lingua ſemper fieri potuit. Quamuis directò heres.] In confirmatis omnia directò relinqui poſſunt excepta hereditate. Per formulam.] Per actionem, vt formula hypothecaria, & in tit.19.formula communi diuidundo,familiæ erciſcundæ,finium regundorum.Actio porrò nihil aliud eſt, quàm formula. Qui fideicommiſſarius.] §.1.de fidei.hered.l. is cui legatum.de cond. & demonſtr. l. Licinnius.quib. ad.libert.procl.non lic.l.quæſitum.§.penult.de leg.3.l.2.Cod. qui potio.in pign.l. 2. de orig.iur. In prouinciis verò.] l.cùm etiam.Cod.de reb.cred. Hodie fideicommiſſa per actionem petuntur, & omnino ſublatæ ſunt à Iuſtiniano legatorum & fideicommiſſorũ differentiæ.Quod eſt in l.1.de legat.1. *Per omnia*, Triboniani eſt: cetera Vlpiani. Vel deducta parte.] Lego, *vt*.Hæc verò de Pegaſiano & Trebelliano fuſiùs explicantur in Inſtitutio-
G nibus Iuſtiniani,neque deſiderant interpretationem meam. Tacitam fidem.] Tacita fides eſt, ſi quis non palàm rogatus, in fraudem legis tacitè promittat, ſe id quod accepit, cœlibi aut orbo redditurum l.in fraudem.de his quib.vt indig.l.in tacitis.de legat.1.Extat præclarum exemplum taciti fideicommiſsi apud M.Fabium Quintilianum Auum in Declama.cccxv. Senatus cenſuit.] Planciano S.C. l.beneficio ad leg.falc. Igitur ſi de hereditate incapaci reſtituenda promiſerit, pri-

mùm omnium hereditas fiſco vindicatur: nec ſi exhauſta ſit hereditas, Falcidia retinetur, verùm Falcidia fiſco applicatur ex reſcripto Diui Pij l. 3. Cod. ad leg. Falc. l. heres. D. de his quib. vt indig. Si liberos habeat.] Scriptum oportuit, *si ex liberis exiſtat.* idq; liquidò conſtat ex his, quæ dicta ſunt tit. 18. A

XXVI.

DE LEGITIMIS HEREDIBVS.

INTESTATORVM ingenuorum hereditates pertinẽt, primum ad ſuos heredes, id eſt, liberos, qui in poteſtate ſunt, ceteroſq; qui in liberorum loco ſunt. Si ſui heredes non ſunt, ad conſanguineos, id eſt, fratres & ſorores ex eodem patre. Si nec hi ſunt, ad reliquos agnatos proximos, id eſt, cognatos virilis ſexus, per mares deſcendẽtes, eiuſdem familiæ: id enim cautum eſt lege duodecim Tabularũ, AC SI INTESTATVS MORITVR, CVI SVVS EXTABIT HERES, NEC AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO. B C

Si defunctus ſit filius ex altero filio mortuo, iam nepos vnus, vel etiã plures, ad omnes hereditas pertinet, non vt in capita diuidatur, ſed vt in ſtirpes, id eſt, vt filius ſolus mediam partem habeat, & nepotes quotquot ſunt alteram dimidiam. Aequum eſt enim nepotes patris ſui loco ſuccedere, & eam partem habere, quam pater eorum ſi viueret, habiturus eſſet. D

Quamdiu ſuus heres ſperatur heres fieri poſſe, tamdiu locus agnatis non eſt: velut ſi vxor defuncti prægnans ſit, aut filius apud hoſtes ſit.

Agnatorum hereditates diuiduntur in capita, veluti ſi ſit fratris filius, & alterius fratris duo plures've liberi: quotquot ſunt ab vtraq; parte perſonæ, tot fiunt portiones, vt ſinguli ſingulas capiant.

Si plures eodem gradu ſunt agnati, & quidem eorum hereditatem ad ſe pertinere noluerint, vel ante quàm adierint deceſſerint, eorũ pars adcreſcit his qui adierint. Quòd ſi nemo eorum adierit, ad inſequentem gradum ex lege hereditas non tranſmittitur: quoniam in legitimis hereditatibus ſucceſſio non eſt. E

Ad feminas vltra cõſanguineorum gradum legitima hereditas non pertinet: itaq; ſoror fratri ſorori've legitima heres fit.

Ad liberos matris inteſtatæ hereditas ex lege duodecim Tabularum nõ pertinebat: quia feminæ ſuos heredes non habẽt. Sed poſteà IMPP. Antonini & Commodi oratione in Senatu recitata, id actum eſt, vt ſine in manu conuentione, matrum legitimæ hereditates ad filios pertineant, excluſis conſanguineis, & reliquis agnatis. F

Inteſtati filij hereditas ad matrem ex lege duodecim Tabularum nõ pertinet: ſed ſi ius liberorum habeat, ingenua trium, libertina quattuor, legitima heres fit ex ſenatuſconſulto Tertulliano: ſi tamen ei filio neq; ſuus heres ſit, qui've inter ſuos heredes ad bonorum poſſeſſionem à prætore vocatur: neque pater ad quem lege hereditas, bonorum've poſſeſſio cum re pertinet, neque frater conſanguineus. Quòd ſi ſoror G

conſan

A consanguinea sit, ad vtrasque pertinere iubetur hereditas.

Cui suus extabit heres nec.] Hæc sunt perturbata. Legendum est, *Ac si intestatus moritur cui suus heres nec extabit.* & hæc prima legis verba Paulus interpretatur in l. si quis postumos. §. pen. de lib. & post. reliqua in l. pronuntiatio. de verb. sign. Apparet autem ex hac XII. tab. lege suorum nomen esse ex XII. tab. quod & Callistratus tradit in l. liberorum. de verb. sign. Hos enim omnes, inquit, suorum appellatione lex XII. tab. comprehendit. Igitur in l. vlt. de bon. damn. In iure ciuili, id est, in XII. tab. Possim similia exempla proferre quamplurima, in quibus ius ciuile pro XII. tab. accipitur. Si defunctus sit filius.] Legendum, *si defuncti sit filius, & ex altero filio iam mortuo nepos.* §. cum filius. de hered. quæ ab intest. defer. Sensus hic est. Nepotes ex filio iam mortuo, auo
B in stirpes cum patruo succedere. Planè sunt hæ perpetuò in liberorum linea obseruandæ regulæ, Proximior vlteriorem non excludit, Hereditates pro stirpibus diuiduntur, non pro virilibus portionibus. Quamdiu suus heres.] Hæc antiquorum definitio est. l. 3. si pars hered. petat. l. pen. vnde legit. l. cùm quidam. §. 1. de adquir. hered. Agnatorum hereditates.] Ergo superiores duæ regulæ in agnatorum serie non obseruantur, nam & si sit frater, & filius fratris iam mortui, frater solus succedit. §. hoc etiam. §. si plures. de legit. agnat. success. Ex nouella Iustiniani frater non præfertur, atque vnà fratrum filij in stirpem succedũt. Vltra fratrum filios in capita fit diuisio, quod & inter ipsos fratrum filios nullis concurrentibus fratribus obseruari Constantinus probat lib. v. epitom. & verum est. Si plures.] l. si ex pluribus. de suis & legit. hered. Quod si nemo.] In suis, in legitimis non est successio. quia, vt Paulus ait lib. IIII. senten. omnis legitima successio pro-
C ximiori defertur. In honorariis est successio, vt ecce, non petente auunculo magno, succedit propior sobrinus. l. 2. Cod. de success. edict. At filio non adeunte, nepos non admittitur, nisi ex iure prætorio ex parte Vnde liberi. Ex cõstit. Iustiniani in suis & in legitimis est successio. §. placebat de leg. ag. suc. nam & in legitimis tutoribus est successio. l. 3. §. penult. de leg. tut. Impp. Antonini.] l. sacratissimi. ad S. C. Tertyll. quam & S. C. secutum est quod dicitur Orfitianum. Vt sine in manum conuentione.] Etiam si vulgò quæsiti sunt liberi. Ex S. C. Tertulliano.] Quod factũ est D. Pij temporibus. Quive inter suos.] Vt puta emancipatus. Neque pater ad quẽ lege hereditas.] Hereditas, aut bonorũ poss. Vnde legitimi, si in emancipatione manumissor extiterit. Bonorúmve possessio.] Vnde decẽ personæ, si in emancipatione manumissor non extiterit. l. si ad patrem de suis & legit. hered. §. sunt autẽ. de bonor. poss. Sic ex testamento si præteritus
D sit, non manumissori datur querela. l. 1. §. fin. si à paren. quis fuer. manum. manumissori bonorum possessio cont. tab. vt manumissori, querela vt patri. l. si à milite. §. fin. de militar. testam. l. pater filiũ. l. filio. §. 1. de inoff. test. ex Iustiniani constitutione pater pro manumissore semper habetur, id est, contraxisse fiduciam semper videtur. Ad vtrasque.] Ad matrem pro dimidia si filia decesserit, pro virili si filius. l. 2. Cod. Theo. de sec. nupt. Sed hæc vt sint à Iustiniano mutata, vide in Institutionibus. Nobis id potissimum in animo fuit, vt ius antiquum explicaremus, cuius cognitio studioso iuris noui non vtilis tantùm, sed etiam necessaria est. De iure nouo eadem via faciente Deo quandoque disseremus, qua & ius antiquum aggressi sumus.

E

XXVII.

DE LIBERTORVM SVCCESSIONIBVS VEL BONIS.

LIBERTORVM intestatorum hereditas primùm ad suos heredes pertinet: deinde ad eos quorum liberti sunt, velut patronum, patronam liberos've patroni.

Si sit patronus & alterius patroni filius, ad solum patronũ
F hereditas pertinet.

Item patroni filius patroni nepotibus obstat.

Ad liberos patronorum hereditas defuncti pertinet, vt in capita, nõ in stirpes diuidatur.

Legitimæ hereditatis ius quod ex lege duodecim Tabularum descendit, capitis minutione amittitur.

Ad liberos patronorum.] l. si libertus præterito. §. vlt. de bon. libert. Legitimæ here-
G ditatis.] Hæc sententia de ingenuorum hereditate accipienda est. l. capitis. de suis & legit. hered. non libertorum. l. si libertus præterito. in princ. eademq; de tutela legitima diximus tit. 11. nec verò quispiam ex inscriptione huius tituli argumentetur. nam eæ sectiones non sunt Vlpiani, quinimmò sunt omnia meo iudicio legenda vno contextu. eis quidem certè nihil est inconcinnius.

XXVIII.

DE POSSESSIONIBVS DANDIS.

BONORVM possessio datur, aut contra tabulas testamenti, aut aduersus tabulas intestati.

Contra tabulas bonorum possessio datur liberis emancipatis, testamento præteritis, licet legitima ad eos non pertineat hereditas. B

Bonorum possessio contra tabulas liberis tam naturalibus, quàm adoptiuis datur. Sed naturalibus quidem emancipatis: non tamen & illis, qui in adoptiua familia sunt. Adoptiuis autem, his tantùm qui in potestate manserunt.

Emancipatis liberis ex edicto datur bonorũ possessio, si parati sunt cauere patribus suis, qui in potestate manserunt bona, quæ moriente patre habuerunt, se collaturos. C

Secundùm tabulas bonorum possessio datur scriptis heredibus, scilicet si eorum quibus contra tabulas competit, nemo sit, aut petere nolint.

Etiam si iure ciuili non valeat testamentum, fortè quòd familiæ mancipatio vel nuncupatio defuit, si signatum testamentum sit, non minùs quàm septem testium ciuium Romanorum signis, bonorum possessio datur. D

Intestati datur bonorum possessio per septem gradus. Primo gradu liberis: Secundo legitimis heredibus: Tertio proximis cognatis: Quarto familiæ: Quinto patrono, patronæ, liberis've patroni, patronæ've: Sexto viro, vxori: Septimo cognatis manumissoris, quibus per legem Furiam plus mille asses capere licet, si nemo sit ad quem bonorum possessio pertinere possit: aut sit quidem, sed ius suum omiserit, populo bona deferuntur ex lege Iulia caducaria. E

Liberis bonorum possessio datur, tam his qui in potestatem vsque in mortis tempus fuerunt, quàm emancipatis: item adoptiuis, non tamen etiam in adoptionem datis.

Proximi cognati bonorum possessionem accipiunt, non solùm per feminini sexus personam cognati, sed etiam agnati capite deminuti. Nam licet legitimum ius agnationis capitis minutione amiserint, natura tamen cognati manent. F

Bonorum possessio datur parentibus & liberis intra annum, ex quo petere potuerunt: ceteris intra centum dies.

Qui omnes intra id tempus si non petierint, ad bonorum possessionem sequens gradus admittitur, perinde ac si superiores non essent, idq; per septem gradus fit.

Hi quibus ex successorio edicto bonorum possessio datur, heredes quidem non sunt, sed heredis loco constituuntur beneficio Prætoris. G Ideoq; seu ipsi agant, seu cum his agatur, ficticiis actionibus opus est: in quibus heredes esse finguntur. Bonorum possessio aut cum re datur,

A aut sine re. Cum re, si is qui accepit cum effectu bona retineat: sine re, quum alius iure ciuili euincere hereditatem possit: veluti si suus heres intestato sit. Bonorum possessio sine re est cùm suus heres euincere hereditatem iure legitimo possit.

Intestati.] Legendum, *aut intestati.* Emancipatis.] immò & suis. Sed non est necessaria iure ciuili. Non tamen ex illis.] Eos qui in adoptiua familia sunt, Prætor non nouit, non vocat inter suos. Vnde consequens est inter legitimos quoq; eos non vocari. nam qui sui nō sunt, pro- B culdubio nec legitimi sunt. l. scripto. vnd. lib. l. de bonis. §. 1. de Carbon. edict. Patribus.] Manifestum est legi debere, *fratribus.* Cauere autem debent vel re ipsa conferre. Scilicet si eorum quibus contra tabulas.] Nam prior est contra tabulas quàm secundùm tabulas. inde ex prima parte vel ex primo edicto bonorum possesionem dari, id est, contra tabulas. l. ideoq;. l. scriptus de Carbon. edicto. l. 2. de bonis libert. Etiam si iure ciuili.] Inde edictum translaticium Verris; Si de hereditate ambigitur & tabulæ testamenti obsignatæ non minus multis signis quàm è lege oporteat ad me proferentur: secundum tabulas testamenti potisimum hereditatem dabo. qua de re & in tit. 23. diximus. Septem gradus.] Omissa est bonor. poss. vnde decē personæ: sed si pater manumissor sit, sanè verum est septem dumtaxat gradus esse. Secundo legitimis.] Inter quos & patroni sunt patronorumq; liberi. Quarto familiæ.] id est, agnatis patroni, hæc dicitur, *tum* C *quem ex familia*: sic enim lego in Institutionibus Iustiniani. Si nemo sit.] Hoc est initium alterius sententiæ. Ex lege Iulia Caducaria.] De hac in l. quidam. §. quotiens. de legat. 1. item in l. ergo. §. eadem constitutio. de fideic. libert. in illo loco, *quare & si caducis legionis*, vel, vt alij codices habent, *caducis legionibus, bona delata sint, idem erit probandum*: nam *caducarijs legibus*, legendum esse omni asseueratione confirmamus, id est, legibus Iuliis. quæ enim delata dicuntur, legibus delata vt sint necesse est. denique hoc significat vacantibus bonis fisco vindicatis constitutionem cessare, vt in l. quod Diuo. de manum. testam. hæ verò notæ Cad. leg. errori causam dedêre. Ex successorio edicto.] Successorium edictum eo dicitur quòd det succesionem inter bonorum possessores: quamquam & eam quoque clausulam contineat quæ definit tempora petendæ bonorum possesionis. Ceterùm ex illa potisimum parte appellationem sumit, quæ in locum eorum, qui in- D tra tempora petitionis bonor. poss. non admiserunt. sequentes vocantur, qui & ob eam causam ex successorio edicto, ex successoria parte, ex beneficio successorij edicti, ex successorio capite venire dicuntur. l. vlt. l. 1. §. sed videndum de success. edict. l. vltim. C. eod. l. 1. §. pen. de iur. & fact. ignor. Si suus heres intestato.] Hæc ab interpunctionibus mendosa sunt. nam sic distingui ea oportet, *Si suus heres intestato sit, bonor. poss. sine re est, cum* &c.

XXIX.

DE BONIS LIBERTORVM.

E CIVIS Romani liberti hereditatem lex duodecim Tabularum patrono defert, si intestato sine suo herede libertus decesserit. Ideoq; siue testamento facto decedat, licet suus heres ei non sit, seu intestato, & suus heres ei sit, quamuis non naturalis, sed vxor, puta quæ in manu fuit, vel adoptiuus filius, lex patrono nihil præstat. Sed ex edicto Prætoris si testamento facto libertus moriatur, aut vt nihil, aut minus quàm partem dimidiam bonorum pa- F trono relinquat contra tabulas testamenti, partis dimidiæ bonorum possessio illi datur, nisi libertus aliquem ex naturalibus liberis successorem sibi relinquat, siue intestato decedat, & vxorem forte in manum vel adoptiuum filium relinquat, æquè partis mediæ bonorum possessio contra suos heredes patrono datur.

In bonis libertæ patrono nihil iuris ex edicto datur. Itaq; si intestata moriatur liberta, semper ad eum hereditas pertinet.

G Licet liberi sint libertæ, quoniam non sunt sui heredes matri, obstat patrono lex Papia Popea. Postea libertas quattuor liberorum iure tutela patronorum liberauit, & cùm intulerit, iam posse eas sine auctoritate

patro

patronorum teſtari,proſpexit vt pro numero liberorum libertæ ſuperſtitum virilis pars patrono debetur. A

Liberi patroni virilis ſexus, eadem iura in bonis libertorum parentum ſuorum habent,quæ & ipſe patronus. Feminæ verò, ex lege quidē duodecim Tabularum,perinde ius habent,atque maſculi patronorum liberi.

Contra tabulas autem teſtamenti liberti, aut ab inteſtato contra ſuos heredes non naturalis bonorum poſſeſſio eis non competit. Sed ſi ius trium liberorum habuerunt: etiam hæc iura ex lege Papia Popea nanciſcuntur. B

Patronæ ex bonis libertorum illud ius tantum habēt, quod lex duodecim Tabularum introduxit. Sed poſtea lex Papia patronæ ingenuæ duobus liberis honoratæ,libertinæ tribus,id iuris dedit quod patronus habet ex edicto. C

Item liberis ingenuæ trium liberorum iure honoratæ, eadem lex id ius dedit,quod ipſi patrono tribuit.

Ciuis Romani.] In Latino ſecus eſt.§.vltim.de ſucceſſ.libert. Aut vt nihil.] Legendum, *& aut nihil.* §.1.de ſucceſſ.libert. Aeque partis dimidiæ.] Hæc eſt quinti gradus bonorum poſſeſsio: quæ & nullis extantibus ſuis heredibus patrono dabitur, ſi bonor.poſſeſſ. Vnde legitimi non admiſerit: nam ſibi ipſi ſuccedi poſſe iampridem receptum eſt. l. 1. §. ſed an. de ſucceſſ. edict. Ex edicto datur.] Nam de liberto prætor edixit non liberta, & de ſuis heredibus quales femina non habet. Hereditas pertinet.] Ergo lege XII. tabul. non prætoris edicto. quæ ſequuntur ita reſtituenda ſunt, erat omni ex parte hic libellus miſerè deprauatus. at hæc ita reſtituenda ſunt, *nam licet liberi ſint liberta, quoniam non ſunt ſui heredes matri, non obſtant patrono. Lex Papia Popæa libertas*: Ait, *non obſtant patrono.* hoc vtique verum eſt antiquo iure. nam poſt S.C. Orfitianum liberi inteſtatæ libertæ patronos excludunt.l.1.in princ.& §.ſi nemo ad Tertyll. Virilis pars.] Eadem lex cauet, vt liberto teſtato vel inteſtato defuncto relicto vno vel duobus liberis patronus virilem,relictis tribus vt nihil auferat, & vt ita demum quando pauciores ſunt quàm tres viriles auferat ſi libertus centenarius ſit.§.poſtea de ſucceſſ.lib. ex quibus apparet quantum inter libertum & libertam interſit.quod & Valent.in Nouell.de libertis,probat. Feminæ vero.] Iure antiquo, quo & hodie vtimur, inter liberos patroni nulla eſt differentia ſexus. Prætorio iure plus tribuitur maſculis quàm feminis. Non naturalis.] Pro, *non naturales:* Patronæ.] Eſt differentia inter patronum & patronam, non quidem ex XII. tabul. ſed ex lege Papia. nam licet nullis extantibus ſuis heredibus quo caſu locus eſt legi XII. tabul. idem patronæ ius quod patrono ſit, iure tamen Prætorio non aliter patronæ datur bonorum poſſeſsio contra tabulas, vel ab inteſtato contra ſuos heredes non naturales, quàm ſi ingenua duobus,libertina tribus liberis honorata ſit. Liberis honoratæ.] in §.præferuntur de S. C. Tertyll.vulgo legitur, *mater liberis onerata,* ſed vt in hoc loco ita in eo auctoribus etiam ſcriptis libris legendum eſt *honorata.* Theop.in §. ſed cùm antea. eod.titul. dixit, *κεκοσμημένη.* Quod ipſi patrono.] Legendum, *patronæ.* IACOBVS CVIACIVS has ad Vlpianum notas ſcripſi, tibiq; I. Amariton, dicaui, quo neque gratiorem mihi, neque, meo iudicio, qui ea quæ recta ſunt acutius perſpiciat, vehementius amplectatur, religioſius colat, noſtra quemquam ſchola fert. Non erit ea res mihi damno, ſi tu pro eo ac ipſe cupio eis vtare pro tuis. nam etſi perexiguum ſit ingenium mihi, diligentia tamen mea breui, vt ſpero, tibi & iuris ſtudioſis & Reipub.noſtræ ampliora beneficia præſtabuntur. Toloſæ Kal. Nouem. 1554.

FINIS.

A

EMARO RANCONNETO V. C.
SENATVS PARISIENSIS PRÆSIDI,
IAC. CVIACIVS S. D.

*

B IVLIVS *Paulus Receptarum Sententiarum ad filium libros quinque composuit, ex quibus quædam in suas Pandectas Iustinianus, quædam Alaricus in suum Romanarum legum Codicem retulit: quæ decreueram quidem initio omnia, quòd eas ferè sententiaś quas selegit vnus, neglexerit alter, in vnum volumen coniungere: sed retraxe-*
C *runt me hinc alij eiusdem Pauli Sententiarum, qui & Factorum dicuntur, libri, quibus, si vlla est Indici ad Pandectarum caput affixo habenda fides, in earum compositione est etiam Iustinianus vsus. Hi Sententiarum mihi appellationem ambiguam reddiderunt, vt nescirem planè apud Iustinianum pleraq; libris Sententiarum adscripta capita, Receptis an Factis potiùs attribuenda forent: nec tamen me præteribat quædam, ducta ex Alarici libris coniectura, satis certò ad*
D *receptas Sententias posse referri: Sed abstinere illis omnino quàm non omnia his quæ Alaricus collegit, annectere, satius esse duxi. Tum deniq; & minus tritas esse has et magis tamen ex vsu quàm illas Iustiniani, iuris antiqui cognoscendi nouiq; interpretandi causa, cùm animaduertissem, ad has potissimùm hoc studium omne meum adiunxi, & libris tuis inprimis mirum in modum adiutus, quos tu mihi hu-*
E *manissimè vtendos dederas, nonnullis etiam meis, multis eas locis auctas restitutasq; reddidi: idq; demum sublatis antiquis interpretationibus & meis adhibitis, vt hæc Pauli veluti* ἀποσπασμάτια *non minus quàm illa Vlpiani iamdudum à te & Io. Tilio profecta et à me explicata, studiosis fructum ferrent; summam operam dedi. Vtinam verò & mihi hac in re Io. Tilij, quos habet quamplurimos, libris vti*
F *licuisset, exissent forsitan locupletiora & emendatiora: quamquam tot iam conquisiuimus & obtinuimus eius generis exemplaria, vt vix adduci possim vt credam his, quæ nunc damus, proferri posse meliora. Ceterùm operæpretium est de reiectis à me antiquis interpretationibus earumq; auctore, vt apud te rationem aliquam reddam. Alaricus, vt scis, Gotthorum rex fuit: Tuus Codex Tolosæ regem appel-*
G *lat. Codicis enim Auctoritatem, quod & Commonitorium dicitur, ad Timotheum V. S. Comitem emissum refert* IIII. *Non. Febr. anno* XXII. *Alarici regis Tolosæ. Fuit ei vrbs ea sedes ac domicilium*

regni. Is cùm Romanos quos armis subegerat, præterquam quòd le- A
gibus Gotthorum obligari se molestè ferrent, ceterùm dicto audientes
cerneret, alias leges Gotthis dedit, alias ex Romanorum libris, suo
tamen arbitrio, decerpi, quibus inter se Romani vterentur, facilè pas-
sus est. Ac in eligẽdis quidem his Aniani viri spectabilis eum opera
vsum ex subscriptione Auctoritatis à Petro Ægidio Antuerpiæ pri-
mum editæ, liquidò constat. Ex inscriptione autem quæ integra in tuis B
libris extat, non has tantùm iussu Alarici electas, sed etiam explana-
tas fuisse deprehendimus, & idcirco diu idémne fuisset explanandi qui
& eligendi minister cùm addubitassemus, tandem nobis hæc ad Va-
lentiniani Constitutionem de responsis prudentum interpretis verba,
omnem scrupulum exemêre. Sed ex his, *inquit*, omnibus iuris con-
sultoribus, ex Gregoriano, Hermogeniano, Gaio, Papiniano, & C
Paulo quæ necessaria causis præsentium temporum videbantur,
elegimus. Itaq; elegisse se cùm interpres profiteatur, & verò Ania-
num elegisse constet, eundem & eligendi & interpretandi munus obiis-
se omnino probandum est. At vereor ne callido commento Romanis
Alaricus imposuerit sub speciem legum Romanarum interpretatio-
nes Gotthicas ab earum plerumq; sententia alienissimas obtrudens: D
quandoquidem eæ proinde ac leges ipsæ ex Romanorum libris repeti-
tæ, ex Alarici auctoritate vim legum obtinuerunt, & ad extremum
ipsas etiam leges velut in suam potestatem redegerunt, adeo vt illis
rescissis solæ Aniani interpretationes in foro & subsellijs volitarent,
prorsusq; (vt Sidonij Apollinaris verbis vtar) leges Theodosianæ cal-
carentur, Theodoricianæ proponerentur. Hic est Theodoricus Alarici E
socer qui à Francis genero ademptum regnum non multo post recepit.
Id verò par mihi esse visum est hoc maximè tempore, quo excindi bar
bariem omnem in meliusq; renasci omnia videmus, vt contrà Got-
thicis interpretationibus sublatis, puræ synceræq; Pauli sententiæ re-
stituerentur. quod tamen nos ita fecimus, vt omnes probaturos existi-
mem. Si quid enim rectè Anianus exposuit, Anianum testati sumus, F
si quid minus rectè, aut reticuimus aut leuiter perstrinximus. Sed ne-
que Aniani ob id integrum opus deperierit. Conseruatur in officinis
typographorum Lutetiæ, Basileæ, Antuerpiæ, ex quibus iam ante me-
mini Aniani interpretationes in lucem prodijsse. De nostris, nihil di-
cam. quid profecturæ sint, alios malo quàm me iudicare. Tu vnus si
eis vel gratiæ causa suffragere, operam mihi non infeliciter videbor G
nauasse, quod tantisper intermissa trium postremorum Codicis Iusti-
niani librorum editione dum exeant integri octo priores Codicis Theo

dosiani

dosiani libri, quorum tu mihi crebrò expectationem commouisti, in his Pauli Sententijs restituendis & declarandis elaborauerim, ac de eo quidem forsitan putidum erit rogare te. Sed tanti est, dum tu id mihi dederis modò. Te itaq; V. C. prorsus vehementer rogo, vt exiguo huic mei laboris fructui & faueas libens & nominis tui auctoritatem tribuas, feceris rem gratam homini tuæ voluntati dedito, tuarum virtutum cultori, ad maiora torpentem per se iam nimium excitaueris, tua erga me beneficia cumulaueris. Vale. Lutetiæ Kal. Decemb. 1557.

INDEX TITVLORVM IVLII PAVLI RECEPTARVM SENTENTIARVM AD FILIVM.

LIBRI I.

LIB. II.

LIB. III.

LIB. IIII.

LIB. V.

IACOBI CVIACII I. C.
IN IVLII PAVLI RECEPTARVM SENTENTIARVM AD FILIVM LIB. V. INTERPRETATIONES.

LIBER PRIMVS.

De pactis & conuentionibus. TITVL. I.

N quibusdam veteribus legitur, *De pactis & conuentis,*
A quod probaui Obseruat. & emend. lib. 2. cap. 15. Dicimus
etiam pacta & condicta, pactum & condicionem, item
pactum & consensum. l. 2. C. quand. lic. ab emp. disc.

De his rebus pacisci possumus de quibus transigere licet. Ex his enim pacti obligatio solummodo nascitur.

Primam hanc, tertiamq; sententiam, quæ in libris ex-
cusis desunt, ex fideli exemplari restituimus. Est verò hu-
B ius hic sensus, vt qua de re licet transigere, liceat & pacisci.
Et qua de re non licet transigere, nec liceat pacisci: vt ecce,
de adulterio nec pacisci licet, nec transigere. l. transigere,
C. de transac. l. de crimine. C. ad leg. Iul. de adult. De ali-
mentis quoque ex S.C. sententia vt transigere ita pacisci non licet. Loquimur autem de re litigiosa:
nam rei non litigiosæ pacti quidem verbum conuenit, transactionis non item. Ait, *obligatio,* natu-
ralis videlicet quæ exceptionem parit.

Omne pactū posteriore pacto dissoluitur, licet pariat exceptionem.

Pacto posteriore superius eliditur non ipso iure, sed per replicationem: Prius namque pactum
C exceptionem parit. l. si vnus. §. pactus. D. de pact. Stipulatio stipulatione ipso iure tollitur.

Pacto conuento Aquiliana stipulatio subiici solet, sed consultius est huic pœnam quoque subiungere: quia rescisso quoquomodo pacto, pœna ex stipulatu repeti potest.

Quoniam solo pacto actio non tollitur, ideo solet pacto subiici Aquiliana stipulatio, & acceptila-
tio: sic enim actio tollitur. l. 3. l. 4. l. vt respōsum. C. de trans. Consultius est etiam his omnibus addere
pœnalem stipulationem: vt si fortè quoquomodo pacti rumpatur fides, supersit petitio pœnæ. l. vbi
pactum. l. si quis maior. C. de transact. l. qui fidem. D. eod. Extat hæc sententia in l. pacto. D. eod.

D Neq; contra leges, neq; contra bonos mores pacisci possumus.

Pacta contra leges, aut contra bonos mores pop. Romani non valent. l. 6. C. de pact. sed neq; sti-
pulationes valent: vt si contra legem Iuliam fundo dotali maritus seruitutē imponat, vel cōtra con-
stitutionē pater fundo castrensi filiifamilias: vel contra bonos mores, si cōuenerit dari, ne maleficiū
fiat: vel, vt Anianus ait, si qui de rebus alienis paciscātur, aut de bonis viuentis: hęc enim pacta iniu-
sta sunt: Prætor autē ait, PACTA IVSTA SERVABO, id est, quæ neq; dolo malo, neq; aduer-
sus leges, &c. l. iurisgentium. §. ait prętor. D. de pact. Addidere etiam prætores quidā edicto, NEQVE
VI, auctore M. Tullio in 3. de offic. Inde in l. epistula. §. pactum. D. de pact. Pactum, inquit, iustum
est, & ideo seruandum, & in l. Stichum. §. naturalis. D. de solut. Naturalis, inquit, obligatio iusto pa-
cto tollitur. Seruat igitur prætor ea tantùm pacta quæ iusta sunt.

E De rebus litigiosis & cōuenire, & transigere possumus. Post rem iudicatam pactum, nisi donationis causa interponatur, seruari nō oportet.

De re nondum iudicata pacisci possumus, donandi, aut decidendi causa: de re iudicata pacisci

donationis causa possumus, decidendi causa non possumus, nisi si lis adhuc subesse potest. l. eleganter. D. de condic. indeb. l. si causa. C. de transac. A

De cognitoribus. TIT. II.

Procurator causam agit absente litigatore, Cognitor præsente litigatore, vt rectè Anianus tradit in l. si lite. C. Th. de cogn. & proc. itemq; Asconius & Festus. At dicitur maximè cognitor in causa status pro defensore eius qui patitur controuersiam, an sit ex ciuibus. Donatus in Adelphis: In tria, inquit, diuisit officium defensionis suæ, in assertoris, Principio eam esse dico liberam: in cognitoris, Ciuem Atticã: in fratris, Meam sororem. Asconius in 3. Ver. Hoc genus, inquit, defensoris in iure cognitor dicitur, maximè cùm de alicuius statu agitur. Iustiniani tẽpore sublati sunt cognitores: ideoq; ab his locis, quos ex iuris auctoribus sumpsit, positum cognitoris nomen semper exemit, vt conii- B cere licet ex l. si quis aliquid. §. si quis. D. de poen. collata cum sententia Pauli lib. v. tit. 25.

OMnes infames qui postulare prohibentur, cognitores fieri non possunt, etiam volentibus aduersariis.

Vt nec si velit aduersarius, infames postulare possunt. l. quos. D. de postul. ita nec volente aduersario cognitores fieri possunt. Idemq; seruatur in ceteris omnibus, qui patroni aut cognitores fieri non possunt. l. filiusf. §. veterani. D. de procur. Hìc Anianus addit, infames quoq; mandata dare non posse: quod verum est. §. vlt. de except. at per se causam agere non prohibentur.

Feminæ in rem suam cognitoriã operã suscipere non prohibentur. C

Feminæ pro se ex secundo edicto postulare possunt: proinde & in rem suam cognitores fieri possunt: pro certis personis nec postulare, nec cognitores fieri possunt, ac ne pro parentibus quidem sine decreto. l. feminis. D. de procur.

In rem suam cognitor procurator've ille fieri potest, qui pro omnibus postulat.

Postulat pro omnibus vir integræ existimationis: ergo in rem suam cognitor procuratórve fieri potest. Contrà qui pro omnibus non postulat, vt puta infamis, in rem suam cognitor procuratórve fieri non potest. Nam & si in rem suam cognitor, procuratórve datus sit, alieno tamen non suo no- D mine litem agit. Non idem seruari in femina superior sententia ostendit: nec mirum: nam & ipsa in re sua rectè procuratorem dat, infamis non item.

Actio iudicati non solùm in dominum, aut domino, sed etiam heredi, & in heredem datur.

Iudicati actio cognitori & in cognitorem non datur: domino herediq; eius, & in dominum heredemq; eius datur. In procuratore & defensore idem iuris est. Is de quo agitur in l. si procurator meus. in fin. D. de procurat. quasi defensor non verus defensor est. l. Pomp. §. sed & si. l. Plautius. D. eod. proinde in eo huic sententiæ locus non est. E

De procuratoribus. TIT. III.

MAndari potest procuratio præsentibus, & nudis verbis, & per literas, & per nuntium, & apud acta præsidis & magistratus.

Procurator dari præsens, vel absens potest, & nudis verbis, id est, non certis, non sollemnibus. §. procurator. de his per quos ag. poss. & apud acta præsidis, vel duumuiri.

Procurator aut ad litem, aut ad omne negotium, aut ad partem negotij, aut ad res administrandas datur. F

Procurator vel ad agendum, vel ad administrandum datur: rursus vel ad res litesq; omnes, vel ad speciem vnam l. 1. §. 1. D. de procur. Quamquam non desunt qui procuratorem eum legitimè appellari dixerint, qui ad res omnes datur, non qui ad rem vnam. Cicero pro Cæcin. Vtrum me tuus procurator deiecerit is, qui legitimè procurator dicitur omnium rerum eius qui in Italia non sit, absit've reip. causa, quasi quidem pene dominus, hoc est, alieni iuris vicarius.

De negotijs gestis. TIT. IIII.

QVi negotia aliena gerit & bonam fidem, & exactam diligentiam rebus eius pro quo interuenit præstare debet. G

Negotiorum gestor dolum & omnẽ culpam præstat. l. tutori. C. de neg. gest. l. si mater. C. de vsur. Interdum dolum dumtaxat præstat. l. 3. §. interdum. D. de neg. gest. Interdum verò etiã casum præstat. l. si negotia. D. eod.

A Tutor post finitam tutelam si in administratione duret, actione negotiorum gestorum pupillo, vel curatori eius tenebitur.

Si tutor in administratione post pubertatem perseuerauerit, deuoluitur tutelæ actio in actionem negotiorum gestorum, propterea quòd à semetipso tutelam exigere debuit. Quod ita procedit, si posterior actus tutelæ officio connexus non sit: alioquin tutelæ actio sufficit. Item si post pubertatem nullo tempore administrationem intermiserit: alioquin vtraque actio necessaria est, l.13.& 14. D.de tutel.& rat.distr.

Si pecuniæ quis negotium gerat, vsuras quoq; totius temporis præstare cogitur, & periculum eorum nominum quibus collocauit, agno-
B scere, si litis tempore soluendo non sint. Hoc enim in bonæ fidei iudiciis seruari conuenit.

Negotiorum gestor omnem diligentiam præstat: ergo & pecuniæ administratæ vsuras præstat. l.si mater.C.de vsur. quia, scilicet, otiosam iacere pecuniam pati non debet. Præstat item à se factorum ex ea pecunia nominum periculum, si eo tempore quo agitur negotiorum gestorum debitores impares soluendo fuerint, nisi forsitan casu aliquo lapsi sint facultatibus: debuit enim in occupanda pecunia accuratior esse. Et hoc idem in tutelæ, mandatiq; iudiciis obseruari solet. Paulus ait, *totius temporis*, quod à Triboniano prætermissum est in l.litis. §.1.D.de neg.gest. Id autem est totius temporis quo pecuniam alienam exercuit, & administrauit.
C

Mater quæ filiorum suorum rebus interuenit, actione negotiorum gestorum & ipsis & eorum tutoribus tenebitur.

Mater, si filiorum impuberum negotia gesserit, tenetur ipsis, eorumq; tutoribus actione negotiorum gestorum, vt rationem reddat. l.si mater. C.de vsur. l.fideiussor. §.vlt. D.de neg. gest. Eodemq; modo, vt inferius dicemus, pater filiis emancipatis tenetur. Parentes igitur qui liberorum negotia gerunt, non sunt aneclogisti.

D Filiusfamilias, aut seruus, si negotium alicuius gerat, in patrem dominum've peculio tenus actio dabitur.

Si filiusfamilias aut seruus, iniussu patris aut domini aliena negotia gesserit, in patrem aut dominum de peculio competit actio. l.si filiusfamilias.D.de neg.gest.

Si pater vel dominus filiofamilias, vel seruo aliena negotia agenda commiserit, in solidum tenebitur.

Si filiusfamilias aut seruus iussu patris aut domini aliena negotia gesserit, pater aut dominus in solidum Quod iussu actione tenebitur.

E Pater si emancipati filij res sine vlla exceptione à se donatas administrauerit, filio actione negotiorum gestorum tenebitur.

Solet pater in emancipando aliquid filio donare. l.vt liberis.C.de collat. Id autem postea si pater administrauerit, Paulus ait eum hoc in loco neg.gestorũ teneri, vt rationem reddat. Igitur pater ne in re quidem à se donata, aneclogistos est. Ait Paulus, *sine vlla exceptione*, id est, purè & præcise, quod à Triboniano prætermissum est in l.litis. §.vlt.D.de neg.gest.

F Qui cùm tutor curator've non esset, si pro tutore curatore've res pupilli adulti've administrauerit, actione negotiorum gestorum pro tutore curatore've tenebitur.

Paulus ait eum qui pro tutore curatore've negotia gessit, actione negotiorum gestorum teneri. Quod concedam facile in eo qui pro curatore negotia gessit: nam & ipse curator vtili negotiorum gestorum actione tenetur. l.curatoris. C.de nego. gest. At is qui pro tutore negotia gessit, propria actione tenetur, id est, pro tutelæ, quæ diuersa est ab actione neg. gestorum. l.1. §.si quis quasi.D.de eo qui pro tut. l.penul.D.de tut.& rat.distr. eam tamen imitatur, vt de funeraria dici solet: quæ etsi separetur ab actione nego. gestorum, eam tamen ferè imitatur. Quinimmo cùm ex hoc loco, tum
G ex l.4. C.qui dar.tut.vel cur.poss. dicemus eum qui pro tutore negotia gessit, etiam neg. gestorum actione conueniri posse.

De calumniatoribus. TIT. V.

Tractabat sub hoc titulo Paulus edictum De calumniatoribus, id est, de his qui pecuniam vt ne-

gotium facerent, aut non facerent accepisse dicerentur: quod Alaricus, siue Anianus prætermisit. A

CAlumniosus est, qui sciens prudensq; per fraudem negotium alicui comparat.

Calumniator est, non tantùm qui criminali, sed etiam ciuili iudicio negotium alteri sciens dolo malo comparat.

Et in priuatis, & in publicis iudiciis omnes calumniosi extra ordinem, pro qualitate admissi plectuntur.

Calumniatores extra ordinem puniuntur. Hanc sententiam retulit Tribonianus in l.3.D.ad S.C. Turp. vbi tamen sic legitur, *Et in priuatis & in extraordinarijs criminibus:* & ita prorsus existimo Paulum scripsisse. Nã in publicis iudiciis calumnia iure ordinario, id est, lege Remmia vindicatur. l.1.§.1. D.ad S.C.Turp. l. quæsitum. D. de testib. Hodie tamen ex constitutionibus omnia crimina extra ordinem puniuntur, probanturq;. l. ordo. D. de pub. iud. l. lex. §. vlt. D. ad leg. Iul. repet. l. vlt. D. ad leg. Fab. & ideo in publicis quoque criminibus huic sententiæ locus est. Quid sit extra ordinem, Anianus non intellexit. B

De reis institutis. TIT. VI.

Superior titulus est de calumniatoribus, quibus solent coniungi accusationũ desertores: ideoq; nunc datur tit. de reis destitutis, sic enim legendum putauerim, id est, ab accusatore desertis. Sic destituta res in l.4.C.ad S.C.Turp. C

DE his criminibus, quibus quis absolutus est, ab eo qui accusauit, refricari accusatio non potest.

Iisdem criminibus quibus quis liberatus est, ab eodem accusari iterum non potest. l.7. §. iisdem. D. de accus. & qui iterum accusat, manifestus calumniator est. l.1.C.Theod. de calum.

Filius accusatoris, si hoc crimen quod pater intendit, post liberatum reum persequi velit, ab accusatione remouendus est. D

Iisdem criminibus quibus quis liberatus est à filio accusatoris iterum reus institui non potest, aliis criminibus potest ex rescripto D.Pij ad Iulium Candidum. l.7.§. iisdẽ. D. de accus. Ab ipso accusatore eisdem criminibus, sed neq; aliis temerè eundem reum fieri posse, admittendum non est, ab extraneo autem vti certum est eundem alio crimine reum fieri posse, ita nõ dubitatur, quin eodem crimine aliter non possit postulari, quàm si vel posterior accusator suam iniuriam persequatur, vel antè priorem accusatorẽ præuaricationis conuicerit. l.3.D. de præuar. l.4.§. vlt. D. ad leg. Iul. de adul.

Crimen in quo alius destitit, vel victus recessit, alius obiicere non prohibetur. E

Reus absolutus, vel destitutus ab alio, eodem crimine reus postulari potest. Quod vti accipiendum sit superior interpretatio docet.

De Integri restitutione. TIT. VII.

INtegri restitutio est redintegrandæ rei, vel causæ actio.

Integri restitutio, est actio restitutoria, siue rescissoria, qua res nobis certa, vel ius, vel quælibet alia causa redintegratur. Actionis verbo continetur etiam cognitio prætoria qua subuenitur minoribus. F

Integri restitutionem prætor tribuit ex his causis, quæ per metum, dolum, & status permutationem, & iustum errorem, & absentiam necessariam, & infirmitatem ætatis gesta esse dicuntur.

Restituit in integrum prætor eos qui metu, aut dolo, aut ætate, aut absentia inciderunt in captionem. Etiam hoc Paulus addit restitui eos qui per status permutationem, vel iustum errorem capti, fraudati've sunt: quod ex hoc loco relatum est in l. 2. D. de in integrum restitu. Status permutatio est capitis minutio. l.1.D. de capit. minut. At per causam solius capitis minutionis, non is qui capite minutus est, restituitur: sed creditori in debitorem capite deminutum actio restituitur, videlicet si minima fuerit capitis minutio. l.2.D. eod. Nec enim in eos qui maximam aut mediam capitis deminutionem passi sunt, actiones restitui possunt. Et ita hic locus explicandus est, in quo Græci interpretes labuntur, Latini vacillant. Ob iustum errorem datæ restitutionis exemplum est in §. si quis agens. de actionib. G

Integri

A Integri reſtitutio plus quàm ſemel non eſt decernenda, ideoq; cauſa cognita decernitur.

Cauſa cognita, & præſente aduerſario in integrum reſtitutio datur. l.3.D.de in integ.reſt. & ob idipſum reſtitutionis in integrum lis rectè appellatur in l.6. C.de in integ.reſtit. Vna autem ſufficit lis, vna reſtitutio, nec, vt olim in aſſertionibus, plures requiruntur. quòd ſi negata ſit, iterum non petitur. l.vlt.C.ſi ſæp.in int.reſt.poſt.

Integri reſtitutio aut in rem competit, aut in perſonam. In rem actio
B competit, vt res ipſa qua de agitur reuocetur. In perſonam aut quadrupli pœna intra annum, vel ſimpli poſt annum peti poteſt.

Reſtitutoria actio vel in rem datur vel in perſonam: vt ſi metu compulſus rem tradidero, vel in rem mihi actio reſtituitur, vel in perſonam actio datur in quadruplum ex edicto, Quod metus cauſa geſtum erit: Aut ſi metu debitorem liberauero, vel priſtina mihi in perſonam actio reſtituitur, vel ex illo edicto actio in perſonã datur. Eodemq; modo, ſi minor annis lubrico ætatis lapſus rem ſuam tradiderit, vel in rem actio reſtituitur, vel cognitione prætoria ei ſubuenitur. l.9.§.volenti.§.licet tamen. l.ſi mulier.§.vlt.D.quod met.cau.geſt.er. l.3.C.eod.tit. l.in cauſæ.§.interdũ. D.de minor. Quòd ait Vlpianus in §.volenti. vt volenti detur & in rem actio & in perſonam, reſciſſa acceptilatione, vel alia liberatione, ſic accipiẽdum eſt, vt ſpreta actione, Quod metus cauſa, volenti liceat in rem agere
C reſciſſa traditione. vel in perſonam reſciſſa liberatione. Nec enim in eo loco in perſonam actio pro actione, Quod metus cauſa, accipienda eſt: alioquin abſurdè etiam in rem actionem eo in loco priſtinam in perſonã actionem interpretabimur, quod §.licet. non patitur. Et in hac re certè nemo non fallitur.

Si aliquis vt ſe de vi latronum, vel hoſtium, vel populi liberaret, aliquid mancipauit, vel promiſit, ad metum nõ pertinet: mercedem enim depulſi metus tribuit.

Si quis vt ſe de vi hoſtium, vel latronum, vel populi liberaret, aliquid alienauerit, vel promiſerit,
D actionem metus cauſa non habet: quia non per metum, ſed operæ potius mercedem dediſſe videtur. l.9.§.ſed licet. D.quod met.cau.geſt.erit.

Seruus per metum mancipatus, quidquid adquiſierit, vel ſtipulatus ſit, ei adquirit qui vim paſſus eſt.

In hac prætoria actione partus veniunt, & fœtus, & fructus, & omnis cauſa. l.ſed & partus. D. quod met.cau.geſt.er. Ergo & ea veniunt quæ ſeruus per metum alienatus apud eum qui metum intulit vel traditione, vel ſtipulatione adquiſiuit.

E Vis eſt maior rei impetus, qui repelli non poteſt.

Qui per vim aliquid fecit, reſtituitur per edictum, Quod metus cauſa geſtum erit: nam quod per vim geſtum eſt, metus cauſa certè geſtum eſt. Vis autem hîc à Paulo ſic definitur: *Vis eſt maior rei impetus, qui repelli non poteſt*, malim *Maioris rei impetus*, vt in l.2.D.quod met.cau.geſt.er. Nam & Græci ſic vertunt, *μεγάλου πράγματος ἐπέλευσις, ἣν οὐ δύναταί τις ἀπωθεῖσθαι ἤγουν ἀφ' ἑαυτοῦ ἀποδιώκειν καὶ ἀποτρέπειν.*

Qui quem domo incluſit, vt ſibi rem manciparet, aut promitteret, extorſiſſe mancipationem videtur.

F Vim facit qui hominem domo includit. l.5.D.de vi pub. & ideo ſi quid ei extorſerit, pertinet ea quoque res ad edictum, Quod metus cauſa geſtum erit. l.vlt. §.ſi fœnerator. D.quod met.cau. geſt.erit.

Qui quem ferro vinxit, vt ſibi aliquid traderet, vel venderet, vim intuliſſe videtur.

Vim facit qui hominem ferro vincit, vt ſibi aliquid tradat, vel vendat, & ideo prætoria competit actio.

G Qui in carcerem quem detruſit, vt aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc cauſam factum eſt, nullius momenti eſt.

Ideo quod homine in priuatum carcerem coniecto cum eo geſtum eſt, nullius momenti eſt: quia id Prætor ratum non habet, & lex Iulia reſcindit. l.5.D.de vi publ. Eſt verò hæc Pauli ſententia relata in l.pen.D.quod met.cau.geſt.erit.

De

De dolo malo. TIT. VIII. A

DOlus malus est cùm aliud agitur, aliud simulatur.

Eadem fuit definitio Aquilij, Seruij, Pedij: quæ Labeoni tamen & Vlpiano nō probatur. Est enim ex eorum sententia, dolus nihil aliud quàm machinatio quędam ad decipiendum alterum adhibita: quod etsi Pedius & Seruius in suis definitionibus nō omiserint, in eo tamen errasse videntur, quòd quasi id satis non esset, addiderunt, cùm aliud simulatur, & aliud agitur. l.1. D. de dol. ma.

Si qui dolum, aut metum adhibuit, vt res ad alium transiret, vterque de vi & dolo actione tenetur. B

Si procurator dolo fecit, vt res ad dominum perueniret, vterque de dolo tenetur: dominus, in quantum ad eum peruenit, procurator, in solidum, l. sed & ex dolo. §. pen. D. de dol. Idemq; in metu dicendum est. l. item si cum exceptione. §. Pedius. D. quod met. cau. gest. erit.

De minoribus XXV. *annorum.* TIT. IX.

MInor XXV. annorum, si aliquod flagitium admiserit, quod ad publicam coërcitionem spectet, ob hoc in integrum restitui non potest. C

In delictis atrocioribus minoribus non datur restitutio in integrum l. auxilium. §. in delictis. D. de minor. In aliis erratis, vt puta, damno iniuria dato, vel in furto, vel in eis quæ ex contractu veniunt, nec ex animo, id est, vt Græci interpretantur, ἐκ πονηρᾶς ψυχῆς, καὶ προαιρέσεως, non omnimodo denegatur minoribus restitutio in integrum l.1. C. si adu. delic. l. si ex causa. §. nunc videndum. D. de minor: Hæc verò errata, ἀκριβῶς Constantinus ἁμαρτήματα, atrociora, ἐγκλήματα vocari scribit ad finem libri sexti Epitomarum: & sic delicta quoque à criminibus subtiliter distingui possunt. Hæc igitur Pauli sententia pertinet ad crimina.

Qui minori mandauit, vt negotia sua agat, ex eius persona in integrũ restitui non potest, nisi minor sua sponte negotiis eius interuenerit. D

Procuratori minori annis, si dominus maior sit, non datur restitutio in integrum: quia domini persona spectatur, qui sibi imputare debet, cur minori sua negotia commiserit. l.4. & l. cum mandatu. D. de minor. Gestori negotiorum minoris ætatis, licet dominus maior sit, datur restitutio in integrum: quoniam cùm domino nihil imputari poßit, non est æquum ob gestum minoris maiorem in damno versari. Et hæc postrema Pauli sententia relata est in l. quòd si minor. D. eod. tit. cuius initium est, ex lib. 1. sentent. At reliqua certè omnia sunt ex Pauli lib. XI. ad edictum. Idemq; erratum pene ad Vlpianum adnotauimus lib. 2. Obser. cap. 27.

Si maior effectus, res quas minor egit, pacto, vel silentio comprobauit, aduersus hoc quoq; in integrum restitui frustra desiderat. E

Si quis maior factus pacto, vel silentio comprobauerit quod minor gesserat, restitutio cessat: & ita constitutum est l.3. §. si quis cum minore. D. de minor. Exigit Anianus silentium trium annorum, rectißimè, quoniam in prouinciis ex constitutione Constantini ad petendam restitutionem in integrum constituti erant tres anni l.2. C. Th. de integ. restit. Hodie ex constitutione Iustiniani silentium exigimus quattuor annorum: vel si quid alienatum, obligatum've sit sine decreto, quinque: vel si quid donatum sit, decem inter præsentes, & XX. inter absentes: quod & Accur. rectè notat in d. §. si quis cum minore.

Si minor minori heres existat, heres ex sua persona, non ex defuncti in integrum restitui potest. F

Si minor XX. annis minori XXIII. annis successerit, successor habebit ad in integrum restitutionem non annos sex ex persona defuncti, sed nouem ex sua persona l. interdum. D. de minor. l. ea quæ. §. si quando. C. de temp. in integ. restit. Potest quidem & ex persona defuncti citius restitutionem in integrum postulare: verùm hoc si omiserit, ex sua persona restituetur, vti dictum est. Planè si minor maiori successerit adhuc ex quadriēnio mensem habēti ad restitutionē in integrũ, successori post XXV. annum mensis dumtaxat dabitur ex persona defuncti. Nec enim ei statim mensis cedit, vt rectè Bulgarus notat in d. l. interdum: à quo tamen nihil facit l. vlt. §. vlt. C. si maior fac. alie. fac. sine decr. rat. hab. nec enim de herede minori, sed de herede minoris eo in loco agitur: &, vt ex vet. libris constat, in eo hæc verba, *Post eiusdem heredis minoris ætatem*, sic reponenda sunt, *Post eiusdem ætatem, heredis minoris silentio transactum sit*: quod Græci sic rectè interpretantur ἵνα τὸ λοιπὸν τοῦ χρόνου διάστημα διαδράμῃ τοῦ κληρονόμου αὐτοῦ σιωπῶντος. G

Minor

A Minor ſe in his quæ fideiuſſit, vel fide promiſit, vel ſpopondit, vel mandauit in integrum reſtituendo, reum principalem non liberat.

Reſtitutio fideiuſſoris, vel mandatoris reum non liberat. Extat hæc eadem ſententia in l.minor ſe.D.de minor.cui & aliæ duæ iunguntur, quæ in his fragmentis deſunt.

Qui ſciens prudenſq; ſe pro minore obligauit, ſi id conſulto conſilio fecit, licet minori ſuccurratur, ipſi tamen non ſucurretur.

Reſtitutio rei principalis fideiuſſorem non liberat, videlicet, ſi ſciens reum minorem eſſe, hoc conſilio fideiuſſerit, vt quandoque reſtituto reo, & ipſe liberaretur. l.in cauſæ. 1. D.de minor.l.7.§. B vlt.D.de except. Aliud dicendum eſt, ſi ignorans eum minorem eſſe fideiuſſerit, argu. l.ſi Titius & Seia. D.de fideiuſſ. Item ſi non in re, ſed dolo creditoris minor deceptus fuerit. l.2.C.de fideiuſ. minor.

Minor aduerſus emptorem in integrum reſtitutus, pretio reſtituto, fundum recipere poteſt. Fructus enim in compenſationem vſurarum penes emptorem remanere placuit.

Minor reſtitutus aduerſus emptorem fundum recipit, reddito pretio ex quo locupletior eſt, vſuris pretij cum fructibus compenſatis: vel etiam ſi fundum repetat cum fructibus, neceſſe eſt pretium C ab eo reddi cū vſuris ex quibus locupletior eſt, omiſſa compenſatione. l.quod ſi minor.§.reſtitutio. l.patri.§.prædium.§.item ex diuerſo.l.tutor.in fin.D.de minor.l.ſi fine.§.interpoſito.D.de adminiſt. tut.& vtraque via legitima eſt.

Minor aduerſus diſtractiones eorum pignorum, & fiduciarum quas pater obligauerat, ſi non ita vt oportuit à creditore diſtractæ ſint, reſtitui in integrum poteſt.

Si pignus, aut fiduciam à defuncto conſtitutam creditor diſtraxerit, ſucceſſori minori annorum XXV. ob eam cauſam aduerſus emptorem dari integri reſtitutio poteſt. Neq, huic ſententiæ aduer- D ſatur l.2.C.ſi adu.vend.pign. Hoc enim ita dicitur, ſi creditor non vti oportet diſtraxerit, id eſt, non obſeruatis his quæ in diſtrahendis pignoribus obſeruari ſolent. Alioquin non niſi aduerſus diſtractionem à proprio creditore factam, ſi & grande damnum minoris ſit, ei in integrum reſtitutio datur. l.1.C.ſi adu.vend.pig.& hoc Azo ſentit, quod puto verius. Quid ſit fiducia dicam alio loco.

De plus petendo. TIT. X.

CAuſa cadimus aut loco, aut ſumma, aut tempore, aut qualitate. Loco, ſi alibi: ſumma, ſi plus quàm damus petimus: tempore, petendo E ante tempus: qualitate, eiuſdem ſpeciei rem meliorem poſtulantes.

Plus petitur quattuor modis, vt plenius explicatur in §.plus. & §.huic autem. de actio. Qui plus petit, cauſa cadit, vt j.lib.11.tit.v. Sed eo nomine minor reſtituitur, & maior ob iuſtum errorem.§. ſi quis agens.cod.tit. Hodie ex Zenonis conſtitutione qui plus tempore petit, alterum tantùm temporis ſine vllo interuſurio expectat, quanto ſtatutum tempus anteuertere conatus eſt, & ſumptus prioris litis refundit. Qui verò plus loco, vel ſumma, vel qualitate petit, ex conſtitutione Iuſtiniani omne damnum præſtat in triplum: & qui reo debita quantitate ampliorem cautionem dolo malo exprimit, etiam ius omne crediti amittit.

F *De ſatiſdando.* TIT. XI.

QVotiens hereditas petitur, ſatiſdatio iure deſideratur: & ſi ſatiſdatio non detur, in petitorem hereditas transfertur. Si petitor ſatiſdare noluerit, penes poſſeſſorem poſſeſsio remanet. In pari enim cauſa potior eſt poſſeſſor.

Petita hereditate, aut ſatiſdare debet poſſeſſor de ea re conſeruanda, aut eo non ſatiſdante, in petitorem ſatiſdantem transferenda eſt poſſeſsio, vt alteri probandi onus incumbat: Neutro ſatiſdante, potior eſt poſſeſſor. Hanc Pauli ſententiam omnium optimè confirmat l.de bonis.§.vlt.D. G de Carb.edic.ex qua ſic etiam l.quæritur.eod.tit.accipienda eſt, vt nondum tranſlata poſſeſsione rerum, ſi pubuerit poſſeſſor Carbonianus, petitoris partes ſuſtineat, niſi aduerſario ceſſante ſatiſdare paratus ſit. Et hæc eſt quæ ſolita cautio dicitur in l.5. D.de hered.petit.de qua & in l.ex libero. §.vlt. D.de quæſtionib.& apud M.Tullium id rectè Aſconius accipit quod is ſcribit.3.in Verrem in hunc modum.

modum. Si quis testamento se heredē esse arbitraretur, quòd tum non extaret, lege ageret in hereditatem, aut pro præde litis vindiciarum cùm satis accepisset, sponsionem faceret, ita de hereditate certaret. Similiter autem emancipatus suo aut rectè cauere debet de conferendis propriis bonis, aut si suus caueat de restituenda portione emancipato, cùm conferre cœperit, in eum transferenda est possessio: sed neutro cauente, curator & quasi sequester portioni datur. l.1.§.si frater. l.2.§.vlt. D.de colla. Item heres fideicommissario condemnatus, si prouocauerit, aut de fideicommisso cauere debet, aut, si caueat aduersarius, in eum transferenda est possessio ex rescripto M. Antonini: sed neutro cauente, aut res sequestratur, aut iurisdictio restituitur, id est, ex edicto is qui vicit fideicommissi seruādi causa, simul in possessionem omnium bonorum custodiæ causa esse iubetur. Vbi illud animaduertēdum est, rescriptum Marci ab edicto multùm hac in re distare. Nam qui ex edicto mittitur in possessionem, solus non possidet, sed cum herede, aut certè custodit verius & obseruat bona quàm possidet. Is verò in quem ex rescripto transfertur possessio, solus rem verè possidet, sicut & in superioribus exemplis suus in quem ex edicto translata est portionis emancipati possessio, & petitor hereditatis in quem, non cauente possessore, possessio translata est, solus possidet: & ideo his casibus ab eo in quem translata est possessio, cautio præstatur: illo autem casu quo simul in possessionem esse iubetur custodiæ causa, cautio non præstatur: vt meritò reprehendantur qui & illis casibus non possessionem, sed magis custodiam concedi scribunt. Et ad hæc quidem omnia pertinet l. postquam. §. Imperator. D. vt lega. no. cau. in qua manifestum illud est, nec tamen notatu indignum vulgo perperam legi, *Sed quare non cauerat*, cùm sit legendum, *Sed quare non cauente*, Cetera vti in eo §. accipienda sint, ex iis quæ antè dicta sunt satis colligitur. At superioribus exemplis hìc adiungi etiam aliud oportet ex l.1. C. vti possid. Reddito interdicto vti possidetis, tum si petitorio iudicio agatur, satisdare debet petitor is qui in possessione potior est: aut si non satisdat, in petitorem satisdantem transferenda possessio est: ita vt alteri incumbat onus probandi. Et hoc apertè dicit l.1. & superiorum exemplorum similitudine manifestò confirmatur. Qua de re admoniti quidam in quo non oportet manere in eo vt perstent, sic eam legem malunt adhuc interpretari, vt qui vim fecit quo minus possideas, Vti possidetis interdicto victus satisdet se vim non facturum, quoad de proprietate probauerit: qui autem vi te deiecerit, victus interdicto, Vti possidetis, vt in te possessionem transferat. Quorum sententiam omnes deridēt, scholasticosq; appellant, ea ratione qua apud Galenum diatritarios medicos scholasticos vocitari scriptum est: nec immeritò. Primùm enim qui victus est interdicto, Vti possidetis, nunc si petitoria actione velit experiri, tantum abest vt satisdare debeat, vt ei potius satisdari oporteat. Idq; exemplo etiā eius qui vsumfructum aut seruitutem vindicat. l. pen. D. de aq. quot. l. cuiuscumque. §. vlt. D. de vsufr. quo tamen ipsi peruersè vtuntur. Ei enim qui seruitutem vindicat, cauet reus, quamdiu is de iure suo docuerit, actorem se non impediturum: reo nihil cauetur. Sed & cùm negatoria agitur, à reo cautio præstatur. Tum vitiosum illud etiam est quod aiunt, deiecto dari interdictum, Vti possidetis. Hoc enim interdictum possessorem tuetur: is autem qui deiectus est, ne animo quidem possidere potest. l. clam. in fi. D. de adquir. poss. l.1.§. siue autem. D. vnde vi & de vi arm. nisi quis animo possidere sic interpretetur, ita animum informare, vt fingas te possidere, quamuis re vera intelligas ereptam tibi possessionem esse, aut eam te numquam adquisiisse, quod deridiculum est. Igitur is qui corpore possidet, deiectus non corpore tantùm, sed & animo desinit possidere: & qui animo tantùm possidet, si corpore per vim non sinatur possidere, animo possessionem statim amittit, & idcirco ei Vti possidetis interdictum non datur, Vnde vi datur. Præterea cùm soleat translata possessio pro satisdatione cedere, vt & in specie l. ædificatum. D. de dam. infect. illi suis interpretationibus efficiunt, vt quæ in d.l.1. manifesto sensu succedit satisdationi translatio possessionis, ab ea separetur, & satisdationi alius, translationi possessionis alius casus tribuatur. Sed de his satis. Illud mihi non esse prætermittendum videtur, in specie d.l.1. neutro satisdante, potiorem haberi eum qui interdicto vicerit. Nam, vt Paulus noster ait, in pari causa potior est possessor: quam regulam in hoc interdicto seruari ostendit §. retinendæ. de interdic.

Vsufructuarius de vtendo vsufructu satisdare debet, perinde vsurum, ac si ipse paterfamilias vteretur.

Vsufructuarius satisdare debet se vsurum fruiturum, perinde ac patremfam. ad quem proprietas spectat. l.1. D. vsufr. quem. cau. l.4. C. de vsufr. si non satisdederit, ei denegantur actiones. l. si cuius. §.1. D. de vsufr. & ȷ. lib. III. tit. de legatis.

De Iudicijs omnibus. TIT. XII.

Quidam codices, *De Iudicijs*, quod probat edicti perpetui siue Pandectarum ordo.

HI qui falsa rescriptione vsi fuerint, lege Cornelia de falsis puniuntur.

Qui falsis rescriptis vtitur, lege Cornelia tenetur. l.4. C. ad leg. Corn. de fal.

Ex his qui ancillam corruperit alienam, aliam reformare cogendus est.

Qui

A Qui ancillam alienam stuprauit, tenetur iniuriarum actione. l. inter liberas. D. ad leg. Iul. de adul. in qua ita fiet condemnatio commodissimè, si aliam incorruptam dare iubeatur. Quòd ait, *ex his*, id est, præter eos de quibus supra dictum est, vt apud Liuium lib. XXIX. Voluntarios milites ordinauit, centuriauitq; ex his trecenos iuuenes circa se habebat ignorantes quem ad vsum neque centuriati, neque armati seruarentur. Sed malim legere, *Is qui.* Abest hæc sententia à nonnullis codicibus scriptis.

Qui falsum nesciens allegauit, falsi pœna non tenetur.

Ignorans falsi non tenetur. l. nec exemplum. C. ad leg. Cornel. de fal.

B In caput domini patroni've nec seruus, nec libertus interrogari potest.

Seruus in dominum, libertus in patronum non interrogatur. l. libertorum. l. seruos. C. de testib.

Prægnantes neque torqueri, neque damnari, nisi post editum partum possunt.

Prægnans neque torqueri, neque summo supplicio affici potest. l. Imperator. D. de stat. hom. l. prægnantis. D. de pœn. Quint. in declam. cclxxvij. Supplicia, inquit, prægnantium lex differri in diem partus iubet. Idem Clemens Alex. scribit lib. 2. Strom. & Ælianus lib. 5. var. histor. & Plutarchus in

C lib. de sera num. vind.

Qui rescriptum à principe falsa allegatione elicuerint, vti eo prohibentur.

Rescripto per mendacium impetrato vti non licet. l. & si legibus. C. si con. ius vel vtil. pub. hæc sentent. in libris excusis deest.

Qui de se confessus est, in alium torqueri non potest, ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperauit.

D Ideo is qui de se confessus est, in caput aliorum non torquetur: quia de salute sua desperauit. l. repeti. D. de quæst.

De Iudicato. TIT. XIII.

QVi exhibiturũ se aliquem iudicio cauerit, mortuo eo pro quo cauerat, periculo cautionis liberatur.

Si homo sisti promissus ante diẽ sine dolo promissoris decesserit, promissor liberatur. l. 4. D. qui sat. sd. cog. Vetus quidã interpres sic ad hunc locũ scripsit, Cautio soluitur, si pro cuius præsentia cau-

E tum fuerat, moriatur. fit autem hæc cautio apud officium vel apud acta. l. eũ pro quo. D. de in ius voc.

Filiusfam. iussu patris manumittere potest, matris non potest.

Pater seruum suum per filiumfamilias manumittere potest, & auus per nepotem ex filio. l. nepos. D. de manumiss. quia eadem persona est patris & filij, aui & nepotis ex filio, propter vinculum potestatis. Quæ ratio cessat in matre, & in nepote ex filia: & ideo nec mater per filium, nec auus per nepotem ex filia, nec pater per filium emancipatum manumittere potest. Sed hæc personarum differentia tollitur à Iustiniano in l. 1. §. vlt. C. com. de manu.

Is qui album raserit, corruperit, sustulerit, mutauerit, quid've aliud

F propositum edicendi causa turbauerit, extra ordinem punietur.

Hæc ad album curiæ retulit Anianus. Scripta tamen sunt à Paulo de albo Prætoris: quod si quis corruperit, raserit, sustulerit, mutauerit, vel si chartam, aliam've materiam publicè affixam perpetuæ iurisdictionis causa turbauerit, & iure ordinatio in eũ Prætoria actione agitur. l. si quis id quod. D. de iurisdic. & extra ordinem coërcetur, vt hîc Paulus ait, vel pœna falsi, vt in lib. 5. demonstratur, & l. pen. D. ad leg. Corn. de fal.

Si id quod emptum est, neque tradatur neque mancipetur, venditor cogi potest vt tradat, aut mancipet.

G Hæc sententia definit illam quæstionem, de qua interpretes inter se certant, an venditor omnimodo cogi possit vt rem tradat, si emptor rem ipsam expetat potius, quàm id quod interest. Et ait cogi posse: quæ fuit olim Martini opinio, multorum consensu, multisq; argumentis comprobata. Ait autem cogi venditorem posse vt tradat, aut mancipet. Hi duo sunt modi transferendi dominij: traditio est iuris gentium, mancipatio iuris ciuilis.

 A

Deteriorem seruum facit, qui fugam suaserit, qui furtum, & qui mores, corpus've corruperit.

Hæc sentētia pertinet ad edictum prætoris, quo in duplum actio in eum datur, qui seruum alienum recepisse, persuasisse've quid ei dicitur, quo eum deteriorem faceret. Et deteriorem seruum fieri Paulus ait, vt puta, si ei fugam, aut furtum suaserit: & generaliter si mores, aut corpus eius corruperit. l. 1. §. vlt. D. de ser. cor.

Qui ancillam alienam virginem immaturam corruperit, pœna legis Aquiliæ tenetur. B

Si quis alienam ancillam intempestiuam viro stuprauerit, lege Aquilia tenetur. l. si stuprum. D. de iniur. Neq, erit deneganda serui quoq; corrupti actio, quasi deteriore ancilla effecta. l. 6. D. ad leg. Iul. de adul. At si virginem maturam, & viripotentem stuprauerit, lege Aquilia non tenetur: iniuriarum tenetur, vt in tit. proximo dictum est. An & serui corrupti? non puto. Quod enim legitur in l. 2. D. de ser. cor. de seruo est scriptum, non de ancilla.

In petitione hereditatis ea veniunt, quæ defunctus mortis tempore reliquit, vel ea quæ post mortem, ante aditam hereditatem ex ea adquisita sunt. C

In hereditatis petitione veniunt ea, quæ mortis tēpore fuerunt, & quæ postea ante aditam hereditatem adquisita sunt. Quæ post aditam hereditatem heres adquisiit, in hereditatis petitione non veniunt, sed propriis actionibus petuntur. l. & nō tantùm. §. quòd si pro emptore. l. quòd si in diem. §. non solùm. l. si à domino. §. si possessor. D. de petit. her. At certè accessiones veniunt, etiam si post aditam hereditatem ex ea accesserint. l. item veniunt. §. item non solùm. D. eod. tit.

Possessor hereditatis pretia earum rerum quas dolo alienauit cum vsuris præstare cogendus est.

Redactæ pecuniæ ex pretio rerum hereditariarum petitori vsuræ non debentur ex S.C. nisi, vt in hoc loco Paulus ait, sciens dolo malo alienauerit. l. item veniunt. §. petitam. D. de petit. hered. Scriptum sic erat, *præsentia earum rerum*, emendaui, *pretia earum rerum*. D

Rerum ex hereditate alienatarum æstimatio in arbitrio petitoris consistit.

Si malæ fidei possessor rem hereditariam alienauerit, aut rem ipsam præstare debet, aut quanti in litem petitor iurauerit. l. item veniunt. §. vlt. D. de petit. her. Hæc sententia in libris excusis deest.

Petitio hereditatis cuius defunctus litem non erat contestatus, ad heredem non transmittitur. E

Si quis post adquisitam hereditatem decesserit, petitionem hereditatis, licet ex ea litem contestatus non sit in heredem suum transfert. At si nondum se pro herede gesserit, vel alio modo hereditatem adquisierit, & ideo si nec petitionem hereditatis instituerit, sicut hereditatē, ita eam actionem in heredem suum non transfert. Idemq; in petitione hereditatis de inofficioso responsum est in l. 6 §. vlt. D. de inoff. test. Et hinc puto explicandam esse rationem illam obscuram, qua fieri traditur in l. 1. §. si impubere. D. de collatio. vt impubes arrogatus heredi suo relinquat quartæ actionem. Quia personalis actio est, inquit: quod perinde est ac si diceret, quia hæc actio non est in rem, id est, hereditatis petitio non est, nec ita scilicet, impubes sibi vindicat quasi heres bonorum adrogatoris quartam partem, sed agit in personam, & ideo hanc actionem transfert. F

De via publica. TIT. XIIII.

QVi viam publicam exarauerit, ad munitionem eius solus compellitur.

Viarum publicarum munitio ab omnibus exigitur. Is tamen qui viam publicam exarauerit, solus munitioni alligatur. Est hæc Pauli sententia relata in l. vlt. D. de via pub. & itin. publ. refic. adiuncta altera, quam, vt & complures alias, hîc Anianus prætermisit. G

Si quadrupes damnum intulerit. TIT. XV.

SI quadrupes pauperiem fecerit, damnum've dederit, quid've depasta

A paſta ſit, in dominum actio datur, vt aut damni æſtimationem ſubeat, aut quadrupedem dedat, quod etiam lege Peſulania de cane cauetur.

Non tantùm de pauperie, ſed etiam de paſtu pecoris ex XII. tab. eſt noxalis actio. l. qui ſeruandarum. §. vlt. D. de præſcript. verb. Simul autem, vt hic locus indicio eſt, de pauperie & de paſtu Decemuiri actionem dederunt. Nec enim ſufficiebat de pauperie actio, quia paſtus pecoris pauperies aut damnum non eſt. His autem actionibus continentur pecudes, non beſtiæ. l. 1. §. in beſtiis. D. ſi quadr. paup. fec. dic. non canes: nam canes inter pecudes non ſunt. l. 2. D. ad leg. Aquil. Sed idem
B etiam lege, inquit, Peſulania de cane cauetur. In libro Lutetiæ edito, curante Almarico Bouchardo, duobus annis antequam Baſilienſem editionem Io. Sichardus procuraſſet, legitur *Peſolonia*. Equidem legendum opinor: *Solonia*, Sic enim Plutarchus ſcribit in Solone, Ἔγραψε δὲ καὶ βλάβης τετραπόδων νόμον, ἐν ᾧ καὶ κύνα δακόντα παραδοῦναι κελεύει κλοιῷ τετραπήχει δεδεμένον.

Feram beſtiam in ea parte qua populi iter eſt, colligari prætor prohibet. Et ideo ſiue ab ipſa, ſiue propter eam ab alio alteri damnum datum fuerit, pro modo admiſſi extra ordinem actio in dominum, vel cuſtodem datur: maximè ſi ex eo homo perierit, vel fuerit læſus.

C Prætor hoc in loco pro ædili accipitur: nam ædilicio edicto prohibemur feram beſtiam ibi habere qua vulgò iter fit. Et ſiue beſtia ſuo corpore, ſiue per alium alteri damnum dederit, hominis perempti ducentorum ſolidorum eſt actio: hominis læſi quanti bonum & æquum iudici videbitur: ceterarum rerum dupli. l. qua vulgò. D. de ædil. edic. Eſt & hoc caſu actio de pauperie. §. ceterùm. ſi quadr. paup. fec. dic. Quod enim ſuperius dictum eſt, canes & beſtias hac actione non contineri, ſic accipiendum eſt, ſi euaſerint poteſtatem noſtram, & naturalem libertatem receperint. Nam ſi adhuc in poteſtate noſtra ſint, earum quoq; nomine de pauperie actio cõpetit. l. 1. §. ſed etſi cuius. §. & generaliter. l. 2. §. 1. D. ſi quadr. paup. fec. dic. Eſt & de homine perẽpto, vel læſo, vt hîc Paulus ait, in dominũ vel cuſtodem actio extraordinaria, in qua nec edicti ædilicij, nec XII. tab. ordo ſeruatur.

D Ei qui irritatu ſuo feram beſtiam vel quamcumque aliam quadrupedem in ſe proritauerit, eoq; damnum dederit, neq; in eius dominum, neq; in cuſtodem actio datur.

Neque ædilicia, neque legitima, neque extraordinaria actio ei datur, qui cùm beſtiam irritaſſet, læſus eſt. At ſi alius læſus ſit, Aquilia vel in factum is qui irritauit tenebitur. l. item Mela. §. item cum eo. D. ad leg. Aquil.

De finium regundorum. TIT. XVI.

E IN eum qui per vim terminos deiecerit, vel amouerit, extra ordinem animaduertitur.

Ex terminis finium teſtimonia ſumuntur. l. in finalibus. D. fin. reg. Qui terminos mouent, aut diſiiciunt, extra ordinem puniuntur. l. 1. C. de accuſat. Quæ autem plerumq; ſoleat pœna definiri libro quinto demõſtrabitur. Hîc in libris ſcriptis duobus hæc addita legimus, vt fines terræ per terminos regantur, ne diſsipentur, vt ab vtriſq; quinque pedum loco teneantur, quod ad legem Mamiliam pertinet. ex quo ea de re ſententias hoc loco deeſſe coniecturam facio.

F

De ſeruitutibus. TIT. XVII.

VIam, iter, actum, aquæductum, qui biennio vſus nõ eſt, amiſiſſe videtur. Nec enim ea vſucapi poſſunt, quæ nõ vtendo amittuntur.

Seruitutes ruſticorum prædiorum non vtendo amittuntur, & ideo earum libertas non vſucapitur: nec enim facto opus eſt eius qui ſeruit. quod fuſius expoſuimus in l. ſequitur. & l. iuſto. de vſurp. & vſuc. Hîc Anianus actum interpretatur, qua pecora minare conſueuimus: ſic enim rectius legitur in libris ſcriptis, & in Bouchardi, ac Ægidij libro Antuerpiæ excuſo, quàm, mouere in libro Sichardi. Eſt autem minare nihil aliud, quàm agere & ante ſe pellere. Dixêre etiam comminare,
G & prominare, vnde Galli, *mener & proumener*, dicunt. Apuleius libro IX. Vniuerſa iumenta ad locum proximum bibendi cauſa gregatim prominabat. & lib. III. nos duos aſinos minantes, baculis exigunt. & lib. VII. gregatim pecua comminantes. Sextus Pompeius, Agaſones equos agentes, id eſt, bene minantes. & alio in loco: Agere modò ſignificat ante ſe pellere, id eſt, minare: quam interpretationem ad Sext. Pompeium videtur Paulus Diaconus addidiſſe. Aſſentior & Anto.

 A

Loïselio adolescenti acutißimo, qui in illo Ausonij versu, de Myronis bucula, Ageret iuuencas cùm domum pastor suas Suam relinquens, me mouebat vt suam: mihi indicauit legendum esse, minabat vt suam. Est & hoc verbum frequens in D. Hieronymo, & in legibus antiquis Langobardorum, Burgundionum, Alamannorum, & in lege Salica.

Seruitus hauriendæ, vel deducendæ aquæ biennio omissa intercidit, & biennio vsurpata recipitur.

Aqua biennio amittitur: biennio quoque vsurpatur. Quod vti accipiendum sit, ostendimus in l. sequitur. D. de vsurp. & vsuc. Pro biennio hodie decennium habemus & vicennium. B

De familiæ erciscundæ. TIT. XVIII.

ARbiter familiæ erciscundæ plus quàm semel dari non potest: & ideo de his quæ diuisa eo iudicio non sunt, communi diuidundo arbiter postulatus partietur.

Familiæ erciscundæ non nisi semel agi potest: & ideo si quid indiuisum relictum sit, non familiæ erciscundæ, sed communi diuidundo actio competit. l. si filia. §. familiæ. D. fam. ercisc. C

Quemadmodum actiones per inficiationem duplentur. TITVLVS XIX.

QVædam actiones, si à reo inficientur, duplantur, velut iudicati depensi, legati per damnationem relicti, damni iniuria legis Aquiliæ, item de modo agri, cùm à venditore emptor deceptus est.

Quædam sunt actiones quæ inficiatione crescunt in duplum, velut actio damni iniuria ex lege Aquil. l. inde Neratius. §. hæc actio. D. ad leg. Aquil. l. item veniũt. §. cùm prædiximus. D. de pet. hered. & ante Iustinianum actio legatorum per damnationem relictorum, hodie actio omniũ legatorum, quæ pietatis intuitu relicta sunt. §. vlt. de oblig. quæ qua. ex cont. §. ex maleficiis. de act. Addit Paulus hoc loco actionem ex empto, si venditor de modo agri mentitus sit: quod & in lib. proximo repetitur tit. ex empto & vẽdito. Cic. 3. Off. Nam cùm ex XII. tab. satis esset ea præstari quæ essent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret. Item iudicati actionem, id est, si quis iudicatum inficiatus sit: quod & in lib. v. tit. 5. attingit. Cic. pro Flacco. Frater meus pro sua æquitate, prudentiaq; decreuit, vt si iudicatum negaret, in duplum iret. Iudicati, inquit, depensi: vbi quid faciat, depensi, nescio: forsitan legendum est, *iudicati, depositi:* nam & actio depositi interdum inficiando crescit. §. sed furti. de act. D

Ex his causis quæ inficiatione duplantur, pacto decidi non potest. E

De iudicato pacisci non possumus decidendi causa, vt in primo tit. dictum est: sic & de damno iniuria, de legato damnationis, de ementito modo agri, de deposito decidere non possumus. Nam aut fatetur reus, aut inficiatur: si fatetur, pro iudicato habetur, & ideo transigere non potest: si inficiatur, ac postea decidere velit, pro inficiatore conuicto habetur, & inficiationis pœnam sustinet. At de furto & iniuriis transigere licet, quod & in rapina & dolo receptum est: eo tamen pacto pœna euitatur, non infamia. l. 4. §. vlt. D. de his qui not. inf. & ex his quoque causis perperam soluta repetuntur. l. eleganter. §. vlt. D. de cond. indeb. At ex eis causis quæ inficiatione duplantur, perperam soluta non repetuntur. l. 4. C. de cond. indeb. §. vlt. de oblig. quæ qua. ex cont. credo quia propter metum periculi inficiationis videntur soluta. F

De fideiussore & sponsore. TIT. XX.

Qui pro alio se obligans dicit, fideiubeo, fideiussor est: qui dicit, spondeo, sponsor: qui fidepromitto, fidepromissor. Inde titul. 8. §. Minor, inquit, se in his quæ fideiussit, vel fidepromisit, vel spopondit.

INter fideiussores ex edicto prætoris, si soluendo sint, licet singuli in solidum teneantur, obligatio diuiditur. G

Inter fideiussores & mandatores eiusdem rei diuiditur ex stipulatu, & mandati actio ex epistola D. Hadriani, si litis contestandæ tempore omnes soluendo sint: alioquin inops locupletem onerat, quoniam ipso iure singuli in solidum tenentur, nec diuiditur obligatio, nisi posita exceptione ex epistola D. Hadriani, omnes soluendo fuerint litis contestandæ tempore: quod in Pandectis sub titul. de fideiuss. multis in locis demonstratur. Id verò etiam edicto perpetuo, quod auctoritate

Hadr

A Hadriani compositum est, comprehensum fuisse Paulus hoc in loco testatur: & traxit hoc quoque postea Iustinianus ad reos constitutæ pecuniæ, quos ἀντιφωνητὰς vocant, Galli verbum ex verbo, *respondans*. l.vlt.C.de constit.pec.

De sepulchris & lugendis. TIT. XXI.

OB incursum fluminis, vel metum, corpus iam perpetuæ sepulturæ traditum, sollemnibus redditis sacrificiis, per noctem in alium locum transferri potest.

B Non perpetuæ sepulturæ tradita corpora transferri possunt. l.3.§.non perpetuæ.D.de sepul.viol. Perpetuæ sepulturæ tradita transferri non possunt sine permissu Pontificis, aut principis: nisi ob incursum fluminis, aut metum, vel ob aliam iustam & necessariam causam. l.1. C.de relig.& sump.fun. Transferuntur autē sollemni sacrificio facto, & per noctem. Efferuntur interdiu. Sed & noctu efferri corpora Demetrio placuit, ad sumptus minuendos. M.Tul.2.de leg. Sumptum minuit non solùm pœna, sed etiam tempore: ante lucē enim iussit efferri. & probatur Iuliano in l.5.C.Th.de sepul.viol.

Corpus in ciuitatem inferri non licet, ne funestentur sacra ciuitatis: & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.

C Ideo homines mortui in ciuitate sepeliri nō possunt, ne sacra ciuitatis funere polluantur. l.mortuorum.C.de relig.& sump.fun. l.6.C.Th.de sepul.viol. Et qui contra ea fecerit, aut ea pœna quæ ab Hadriano definita est, aut extra ordinem coërcetur.

Qui luget, abstinere debet à conuiuiis, ornamentis, & alba veste.

Qui lugent, in conuiuiis versari, ornamentis, aut veste alba vti non possunt. Aurum igitur in luctu, & purpura, & monilia deponenda sunt, & sumenda vestis atra. Sed tamen vxoribus hic tristior habitus remittitur, in l.decreto.C.ex quib.caus.infam.irrog.

Quidquid in funus erogatur, inter æs alienū primo loco deducitur.

D Impensa funeris omne creditum præcedit. l.pen.D.de relig.& sump.fun.

Qui alienum mortuum sepelierit, si in funus eius aliquid impenderit, recipere id ab herede, vel à patre, vel à domino potest.

Actio funeraria datur in heredem, in patrem cuius in potestate defunctus fuerit, & in dominum. l.at si quis.§.vlt.l.in patrem.l.si filiusfamilias.D.de rel.& sump.fun.

E

IVLII PAVLI SENTENTIARVM, LIBER II.

*

De rebus creditis & iureiurando. TIT. I.

F IN pecuniariis causis, si alter ex litigatoribus iusiurandum deferat, audiendus est. Hoc enim & compendio litium, & æquitatis ratione prouisum est.

Maximum & æquissimum remedium expediendarum litium est iusiurandum: & ideo audiendus est in lite pecuniaria qui iusiurandum defert. Lis criminalis iureiurando non deciditur. Quæ sequitur sententia in Basiliensi editione: *Solus iurare*, &c. abest à veteribus libris, nec sanè redolet Paulum.

G Deferre iusiurandum prior actor potest: contrarium autem de calumnia iusiurandum reo competit.

Si reo actor iusiurandum detulerit, ei non antè reus iurabit, quàm is de calumnia reo iurauerit. l.34.§.

l.34.§.qui iusiurandum.& l.si non fuerit.D.de iureiur.l.delata.C.de reb.cred.Hoc in libro Ægidij sic expositum inuenitur, *Is qui se calumniam pati dicit, sacramentorum interpositione debet firmari.* Quod obscurius in editione Basiliensi, & in παννομίᾳ Iuonis sic est expressum. *Licet petitor offerat sacramentum, tamen cùm nulla probatio debiti est, is qui calumniam se pati dicet, potest fidem suam iurisiurandi religione firmare.* A

Si reus cùm iurare velit, actor illi necessitatem iurisiurandi remisit, & hoc liquido appareat, actio in eum non datur.

Paria sunt iurare reum, aut ei iusiurandum remitti. Remittitur autem suscipienti, id est, ei qui paratus est iurare, non recusanti.l.remittit.D.de iureiur. B

Heredi eius cum quo contractum est, iusiurandum deferri non potest: quoniam contractum ignorare potest.

Vt iurare defensor, procurator, tutor, curator non cogitur, quia rei veritatem ignorare potest, ita eadem ratione heres de contractu defuncti iurare nō cogitur. Iurare enim scientem oportet, sciente animo suo.l.34.§.1.& §.procurator.D.de iureiur.l.videamus.§.1.D.de in lit.iur.l.Marcellus.§.iurare. D.rer.amot.

Si qui debitum quocumq; modo confessus docetur, ex ea re creditori actio non datur, sed ad solutionem compellitur. C

Rei iudicatæ est propria actio: æque iurisiurandi est actio. Æris confessi non est propria actio, sed is qui confessus est, ea ipsa actione de qua confessus est ad satisfaciendum compellitur: quæ tamen ob id ipsum confessoria actio appellari poterit: Vt si confessus sit se seruum occidisse, confessoria actione legis Aquiliæ tenetur, non iudicandæ, sed æstimandæ rei causa.l.inde Neratius.§.vlt.l. proinde.§.1.D.ad leg. Aquil.l.4.D.de confess. De hac re aliter Accurs. respondit in l.6.§.vlt.D.de confess.

De pecunia constituta. TIT. II. D

SI id quod mihi Lucius debet soluturum te constituas, teneris actione pecuniæ constitutæ.

Ex constituto, siue antiphona datur actio constitutoria (sic enim appellatur in l.nec enim.D.de constit.pecu.) si quis alieno nomine se soluturum constituerit. Sed & si suo nomine constituerit, constitutoriæ actioni interdum locus esse potest.

De contractibus. TIT. III.

STipulatio, est verborum conceptio, ad quam quis congruè interrogatus respondit, velut, SPONDES, SPONDEO, DABIS, DABO, PROMITTIS, PROMITTO, FIDEI TVÆ ERIT, FIDEI MEÆ ERIT. Et tam purè quàm sub condicione cōcipi potest. E

Stipulatio est verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum, facturum've se quod interrogatus est responderit.l.5.§.stipulatio.D.de verb.oblig.& ex hac verborum conceptione, quæ dicitur verborum obligatio, quæritur.l.cùm patrem.C.de iur.dot.Fit autem vel purè, vel sub condicione, vel in diem, & inter præsentes, nec scripturam exigit.l.1.C.de vsur. Vnde vetus interpres hoc in loco sic ait, *Stipulatio est inter præsentes verborum conceptio: vt quicumque verborum conceptione se obligauerit, vel fideiussor extiterit, ad solutionem, etiam sine scriptura, teneatur.* Alia autem interpretatio, vti Basileæ, & Lutetiæ edita est valde deprauata, sic à me restituitur: *Stipulatio est inter præsentes verborum conceptio, quibus se inuicem partes obligare possunt, vbi necesse est vt interrogatione petentis pulsatus ad interrogata respondeat.* F

De commodato & deposito, pignore fiducia've. TIT. IIII.

Malo legere sine interpunctione, *& deposito pignore*, vt in proximi tit.prima sententia, pignus depositum, & in lib.v.tit.26.Nam de deposito est tit.12.At de fiducia quoq; est tit.13.sed pignori proxima est fiducia. Depositum cum pignore fiducia've, aut commodato nihil habet simile, vel propinquum. G

QVidquid in rem commodatam ob morbum vel aliam rationem impensum est, à domino recipi potest.

Impensæ

A Impensæ factæ in valetudinem serui commodati vel ob aliam rationem, aut iure pensationis seruantur, aut contrario iudicio repetuntur. l. in rebus. §. possunt. D. commod.

Si facto incendio, ruina, naufragio, aut quo alio simili casu res commodata amissa sit, non tenebitur eo nomine is, cui commodata est: nisi forte cùm posset rem commodatam saluam facere, suam prætulit.

In commodato dolus, & culpa, & diligentia præstatur, damnum fatale non præstatur. Et ideo si incendio, ruina, naufragio, vi latronum, morbo res commodata perierit, non tenetur is, qui commodatum accepit: nisi fortè, inquit, cùm posset &c. nã tunc eius culpa interuenit. l. si vt certo. §. quod B vero. D. commod.

Seruus vel equus si à latronibus, vel in bello, in aliam causam commodati occisi sunt, actio commodati datur: custodia enim & diligentia rei commodatæ præstanda est.

Mortis damnum ad commodatarium pertinet, etiam si fortuitò acciderit, videlicet, si re commodata in aliam causam, vel alio modo atque accepit vtatur. l. 1. §. is verò. D. de oblig. & act. l. si vt certò. §. sed interdum. D. commod. Nam & hîc culpa eius interuenit. Culpam autẽ, siue custodiam & exactissimam diligentiam præstare debet. Hic vulgo cùm scriptum esset, *vel in aliam causam*, tollendam esse censui particulam, *vel*.

C Si rem æstimatam tibi dedero, vt ea distracta pretium ad me deferres, eaq́; perierit, siquidẽ ego te rogaui, meo periculo perit: si tu de vendenda promisisti, tuo periculo perit.

Si ego tibi rem æstimatam vendendam dedero, vt tu vel eandem mihi referres, vel pretium eius quo ex negotio dari solet præscriptis verbis actio, ea verò res perierit ante venditionem, siquidem te rogaui vt venderes, meum est periculum: si tu de vendenda re promisisti, id est, si vltro recepisti te venditurum, & æstimationem redditurum, meq́; rogasti, vt rem tibi vẽdendam darem, tuum est periculum. l. si gratuitam. §. 1. D. de præscr. verb. Igitur quod ait Vlpianus in l. 1. D. de æstim. æstimationem D periculum eius facere qui suscepit, & aut rem, aut æstimationem de qua conuenit esse reddendam, hanc rationem habet, quia is qui suscepit de vendenda re promisit, atque ita de ipsa æstimatione conuenit. Quòd si ego iniero contractum, non tu, propriè de omnino reddenda æstimatione conuenisse non videtur.

De pignoribus. TIT. V.

CReditor si simpliciter sibi pignus depositum distrahere velit, ter ante denuntiare debitori suo debet, vt pignus luat, ne à se distra- E hatur.

Si simpliciter pignus obligatum fuerit, nulla distrahendi, vel non distrahendi conuentione interposita, non poterit distrahi, nisi ter denũtiatum testato debitori fuerit vt soluat, & cessauerit: alioquin creditor furti tenetur. l. si is qui pignori. D. de fur. Sed & cùm nominatim conuenit de non distrahendo pignore, triplex illa denuntiatio exigitur, vt distrahi nihilominus possit. l. 4. D. de pign. act. quod & tit. 13. demonstrabitur.

Fetus vel partus eius rei quæ pignori data est, pignoris iure non te- F netur, nisi hoc inter contrahentes conuenerit.

Fructus, vel fetus non sunt pignori, nisi ita nominatim conuenerit: quo casu extantes per hypothecariam restituuntur. l. 1. §. cùm prædium. D. de pigno. Quod verum est in fructibus ab alio domino quàm debitore perceptis. Nam fructus, & fetus quorum dominium ad ipsum debitorem peruenit, proculdubio pignori tenentur. l. grege. D. de pign. l. 3. C. in quib. caus. pig. vel hypo. Idemq́, est in partu. l. Paulus. §. 1. D. de pign. Conceptus apud debitorem, est pignori: conceptus apud emptorem non est pignori.

Compensatio debiti ex pari specie, & causa dispari admittitur: velut G si pecuniam tibi debeam, & tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum, aut cetera huiusmodi, licet ex diuerso contractu, compensare, vel deducere debes. Si totum petas, plus petendo causa cadis.

Compensatio crediti & debiti ex causis disparibus admittitur: vt si tibi debeam ex vendito, tu mihi ex mutuo: & ex pari specie, vt puta, pecunia cum pecunia, oleum cũ oleo: & generaliter æsti-

matio cum æstimatione, quantitas cum quantitate compensatur. Corporis cum corpore non fit cō- A
pensatio. Tollit autem compensatio minuit've actionem ipso iure: & ideo qui totum petit à reo, cui & ipse vicissim aliquid debet, plus petit, & hoc iure formula cadit. l. 4. D. de compens.

De exercitoribus. TIT. VI.

Filiusfamilias si voluntate patris nauem exerceat, patrem insolidum ob ea quæ salua receperit, obligat.

Si filiusfam. voluntate patris nauem exerceat, siue cum ipso, siue cum magistro eius contractum sit, pater in solidum tenetur. At si voluntate patris filius merces exerceat, & institorē præponat, non in solidum pater, sed tributoria actione tenetur. l. 1. §. si is qui nauem. & §. quamquam. De exer. act. B
vbi malè Accur. institoris nomen retulit ad seruum qui patiente domino negotiatur.

Ad legem Rodiam. TIT. VII.

Quidam codices habent, *ad legem Rodiam de nauticis*. Sumpsere Romani leges nauticas complures à Rodiis, quorum disciplina naualis, & gloria tunc maximè excellebat: & in l. ἀξίωσις. D. de leg. Rod. eleganter Antoninus ait, terram suis legibus, mare legibus Rodiis regi, quatenus nulla eis legum suarum aduersatur. Quod & nos Galli de Romanorum iure prorsus ita censemus, eo scilicet vti nos, quatenus ei lex Gallica non aduersatur. Ceterùm non omnes hìc leges nauticæ Rodiorū C
explicantur, sed lex tantùm ea quæ est de iactu, cuius sententia sequitur,

SI leuandæ nauis gratia iactus mercium factus est, omnium contributione sarciatur quod pro omnibus datum est.

Nauem fluctibus vexatam leuis iactura defendit. l. 4. C. Th. de nauf. Igitur leuādæ nauis gratia si iactura fiat, omnium vectorum siue sarcinas, siue alias merces, vt puta gemmas saluas habentium, itemq; ipsius nautæ contributione iacturā resarciri æquū est. Extat hæc sentētia in l. 1. D. de leg. Rod.

Iactu nauis leuata si perierit, extractis aliorum per vrinatores mercibus, eius quoque rationē haberi placuit, qui merces salua naue iactauit. D

Iactura facta contributio fit, naufragio facto contributio non fit. Quòd si iactura fiat, deinde naufragium, & naufragi merces per vrinatores extraxerint, conferre debent ei à quo iactura facta semel nauis cōseruata est. Is autem qui iacturam fecit, mercibus per vrinatores receptis his, qui naufragium fecerunt, non confert. l. 4. §. sed si nauis. D. de leg. Rod.

Naue vel arbore vi tempestatis amissa, vectores ad contributionem non tenentur, nisi ipsis arborem salutis causa eruentibus nauis salua sit.

Naue amissa, id est, naufragio, facto, non fit contributio. Æque si vi tempestatis exarmata sit nauis, vectores nautæ non contribuunt. At si voluntate vectorum in ipsa trepidatione naufragii, deiecta aut cæsa sint armamenta, contributioni locus est. l. 2. §. si conseruatis. l. 3. l. 5. D. de leg. Rod. E

Leuandæ nauis gratia merces in scaphā trāsiectas, atque ideo amissas, intributione earum quæ in naui saluæ sunt, refici conuenit. Naue autem perdita, conseruatæ cum mercibus scaphæ ratio non habetur.

Si nauis leuandæ causa, quædam merces traiectę sint in scapham, scapha submersa, contributioni locus est. Naue autem amissa, & scapha salua, contributioni locus non est: quia naufragium factū est, non iactura. l. 4. D. de leg. Rod. His de rebus Constantinus tractans lib. 2. Epit. tit. περὶ ναυτικῶν, F
Scapham vulgo appellari βάλκαν καὶ κονδελάδα scribit: quæ nomina ignota Venetis, & Gallis non sunt. Barcæ etiam meminit Isidorus lib. 19. eamq; græca voce corrupta ab oneribus gerendis dictā quidam putant.

Collatio intributionis ob iactum salua naue fieri debet.

Salua naue fit collatio ob iactum: amissa naue, cessat collatio. Legebatur vulgo, *obiectum*, emendaui, *ob iactum*. Intributionem verò dixit, vt & in l. ager. D. de verb. sig. l. rescripto. §. vlt. D. de muner. & honor. l. filij. §. vlt. D. ad munic.

De institoribus. TIT. VIII. G

SIcut commoda sentimus ex actu præpositi institoris, ita & incommoda sentire debemus. Et ideo qui seruum, siue filium filiam've familias, siue ancillam præposuit negotiis vel mercibus exercēdis, eorum nomine

A nomine insolidum conuenitur.

Institoria actione insolidum tenetur pater, vel dominus, qui merci, vel negotiationi suæ filium, vel seruum præposuit. Æquum enim est, sicut ex institorum actu commoda sentiunt, vt ex contractibus ipsorum etiam obligentur & conueniantur.l.1.D.de instit.act.

Si quis pecuniæ fœnerandæ, agro colendo, condendis vendendisq; frugibus præpositus est, ex eo nomine quod cum illo contractum est, in solidum fundi dominus obligatur, nec interest seruus an liber sit.

B Institoria teneor, nō tantùm si filium seruum've meum, sed etsi liberum hominem præposuero vel kalendario, vel agriculturæ, & condendis, distrahendisq; fructibus, & eo nomine cum eo contractum sit. Pro, *Condendis*, malim legere, *Coëmendis*, vt in l.5.§.1. D.de insti.act. Si quis, inquit, pecuniis fœnerandis, agris colendis, mercaturis, redempturisq; faciendis præposuerit.

Quod cum discipulis eorum qui officinis, vel tabernis præsunt contractum est, in magistros vel institores tabernæ insolidum actio datur.

Si cum institore contractum sit, & is tenetur qui præposuit, & institor: sicut si cum magistro nauis contractum sit, vel exercitor vel magister conuenitur.l.1.§.est autem.D.de exerci.act. Quòd si cum discipulis, vel operariis tabernæ vel officinæ contractum sit, pari ratione vel institor cōuenitur

C vel is qui institorem præposuit, id est, magister, vt hîc Paulus ait.

De in rem verso. TIT. IX.

SEruus vel filiusfam. si acceptam pecuniam in rem patris vel domini verterit hoc modo, agrum, puta, colendo, domum fulciendo, mancipia vestiendo, mercando, vel creditori soluendo, vel quid tale faciendo, de in rem verso insolidum dominum vel patrem obligat, si tamen ob

D hanc causam pecunia data sit.

Dominus vel pater insolidum tenetur, de in rem verso, si, inquit, ob hanc causam pecunia data sit, id est, si filius aut seruus principaliter gerens negotium patris vel domini, eo animo vt sibi eos ex hac causa obligarent, locupletiores eos fecerint: quæ sententia fusa est per totū tit.D.de in rē ver.

De S.C. *Macedoniano.* TIT. X.

QVi filiofam. contra interdictum amplissimi ordinis pecuniā mutuam crediderit, post mortem patris, ex eo quod viuo patre cre-

E didit, cum eo agere non potest.

S.C.Macedoniano cautum est, vt ne eis qui pecuniam filiisfam. crediderint, etiam post mortem patrum actio, petitioq; detur cum re. Nam ipso quidem iure est actio, sed opponenda est exceptio S.C.ne sequatur condemnatio.l.tamen.D.ad S.C.Macedo.

Ad S.C. *Velleianum.* TIT. XI.

IN omni genere negotiorum, & obligationum, tam pro viris, quàm pro feminis intercedere mulieres prohibentur.

F Intercedere est alienæ obligationi interuenire: S.C.Velleiano intercessiones mulierū prohibentur, ita tamen vt si intercesserint, facto opus sit, id est, exceptione, duobus casibus exceptis quibus mulierum intercessiones ipso iure nullæ sunt ex constitutionibus Iustiniani. Vnus est in nouel.134. alter in l.antiquæ.§.vlt.C.ad S.C.Velleia.

Mulier, quæ pro tutoribus filiorum suorum indemnitatem promisit ad beneficium senatusconsulti non pertinet.

Mulier quæ filio impuberi tutorem petiit, si pro pupillo tutori indemnitatem promiserit, iuuatur S.C.Velleiano.l.si mater.§.sinautē tutore.C.ad S.C.Velleia. Idemq; est si pro tutore filio indēnitatem promiserit, preterquam si decreto sit nominatim comprehensum, tutorem matris periculo

G dari.l.si mater, ad fin.C.ad S C.Velleia.l.1.& vlt.C.si mat.ind.prom. quod pugnat cum hac Pauli sententia, nisi sic legamus, *Mulier quæ tutoribus filiorum suorum indemnitatem promisit.* Nam quæ tutori indemnitatem promisit, fortè cùm administrationem suo periculo suscepisset, ad S.C.beneficium non pertinet, quoniam pro se videtur interuenire.l.2.C.si mat.indem.prom.d.l.si mater. Item quæ

ideo

ideo tutoribus indemnitatem promisit, ne prædia pupillaria distraherent, vel generaliter si ita promiserit, Si quid directo tutelæ iudicio conuentus tutor præstiterit, à se indemnem eum eo nomine præstitum iri, ad S. C. beneficium non pertinet: quia non videmur apud eundem pro eodem intercedere. l. quamuis. §. 1. l. tutor. D. ad S. C. Velle. quod & cùm ita pupillo indemnitatem repromisit locum habet, Si quid contrario tutelæ iudicio conuentus pupillus præstiterit, à se præstitum iri. Ergo pro tutore aut pro pupillo mater, si indemnitatem promiserit, S. C. locus est. si tutori, aut pupillo indemnitatem promiserit, S. C. locus non est. A

De deposito. TIT. XII.

SI sacculum, vel argentum signatum deposuero, & is penes quem depositum fuit, me inuito, contrectauerit: & depositi, & furti actio mihi in eum competit. B

Qui rem depositam inuito domino contrectat, & depositi, & furti tenetur. Refertur hæc sententia in l. si sacculum. D. depos. & additur alia sequenti similis.

In iudicio depositi ex mora fructus veniunt, & vsuræ rei depositæ postulantur.

Si non inuito domino depositarius re deposita vtatur ex mora fructus & vsuræ veniunt: quia depositi actio bonæ fidei est. l. 1. §. hanc autem. l. si sacculum. l. die. in fin. D. depos. l. 2. C eod. C

In causa depositi compensationi locus non est, sed res ipsa reddenda est.

Actioni depositi opponi compensatio non potest. §. in bonæ fid. de act. Excepta est sola depositi actio: idq; ante Iustinianum obtinuisse hic locus indicat. Et sanè videntur compositores in l. vlt. C. commod. pro, *Commendati*, perperam legisse, *Commodati*. Commendatum, est depositum. l. Lucius. D. depos. Ambrosius in lib. de Tobia cap. x x. Pignus dicunt, quod pro mutuo ære susceptum est. Commendatum autem, & depositum, quod custodiatur causa alicuius commissi. D

De lege commissoria. TIT. XIII.

Sub hoc titulo tractatur de fiducia. Est autem Fiducia pignus quod creditori mancipatur, aut in iure ceditur, ea lege vt soluta ad diem pecunia remancipetur, non soluta, creditori pleno iure committatur, id est, lege commissoria: alias verò pignoris dominium in creditorem non transfertur. l. cùm & sortis. §. vlt. D. de pig. act. Et hanc esse differentiam pignoris & fiduciæ rectè Isidorus notat lib. v. Etymolog. eamq; confirmat huius tit. tertia sententia, & quod lib. I I I. titul. de legat. dicturi sumus, seruis à debitore legatis non deberi fiduciæ datos: quia in creditoris dominio sunt. Est ergo fiducia, pignoris lex commissoria. Inde Cic. pro Flac. Hanc fiduciam commissam tibi tenes. Vt autem pignus bonæ fidei est, ita & fiducia, auctore Cicerone: sed fiduciæ actio famosa est, pigneraticia actio non est famosa, eodem auctore. De ea nihil in Pandectis relatum est à Iustiniano, quoniam sublatæ erant fiduciæ constitutione Constantini. l. vlt. C. de pac. pig. Sed in Langobardorum legibus fit huius contractus mentio. l. 3. de don. quæ cum thing. l. 2. de proh. alien. minor. & in Codice Theodosiano. l. 9. de infir. his quæ sub tyran. Sidonius Apollinaris lib. I I I I. Pecuniam mutuam postulauit, impetrauitq;, nihil quidem loco fiduciæ pignorisq; vel argenti sequestrans, vel obligans prædiorum. Ambrosius in lib. de Tobia cap. 12. hypothecas flagitat, pignus vsurpat, fiducias vocat. E

DEbitor distractis fiduciis à creditore, de superfluo aduersus eum habet actionem. F

Vt si minoris creditor fiduciam siue pignus vendiderit, residui petitio creditori superest. l. creditor. 2. D. de reb. cred. ita si pluris vendiderit, superflui petitio debitori datur. l. eleganter. §. si vendiderit. D. de pign. act.

Quidquid creditor per fiduciarium seruum quæsiuit, sortem debiti minuit.

Fiduciarius seruus creditori adquirit: mancipatus enim ei vel in iure cessus est. Verùm id quod adquiritur, sortem minuit: & ita quod ex serui pignorati operis percipitur, sortem minuere traditū est in l. 1. C. de pign. act. G

Debitor creditori fiduciam vendere nō potest, sed aliis, si velit, vendere potest, ita vt ex pretio eiusdem pecuniam offerat creditori, atque

ita

A ita remancipatam sibi rem emptori præstet.

Debitor pignus creditori vendere potest.l.rescriptum.D.de distr.pig. fiduciam non potest: quia iam creditori satis per mancipationem, aut cessionem in iure adquisita est. Aliis tamē fiduciam debitor vendere potest, ita scilicet, vt ex pretio pecunia creditori soluta, vbi fiducia remancipata fuerit, eam ipse emptori tradat. Et hæc apertè confirmant definitionem fiduciæ à nobis initio propositam. In Basiliensi editione scriptum est, *rem mancipatam:* in Parisiensi, *re mancipata.* emendaui perspicuè, *remancipatam sibi emptori præstet.*

Si per suppositam personam creditor pignus suum inuito debito-
B re comparauerit, emptio non videtur: & ideo quandoq; sui potest. Ex hoc enim causa pignoris vel fiduciæ finiri non potest.

Creditor distraxisse pignus non videtur permissu debitoris, si per suppositam imaginarij emptoris personam adhuc possessionem pignoris obtineat: & ideo causa pignoris vel fiduciæ manet, & oblata pecunia pignus repeti potest.l.& qui sub imagine.C.de distr.pig. Ex diuerso non videtur debitor pignus distraxisse permissu creditoris, si id possideat: & ideo ius pignoris saluum est creditori.l.sicut.§.superuacuum.D.quib.mod.pig.vel hyp.sol.

Si inter creditorem & debitorem conuenerit, vt fiduciam sibi ven-
C dere non liceat, non soluente debitore, creditor denuntiare ei sollemniter potest, & distrahere. Nec enim ex tali conuentione fiduciæ actio nasci potest.

Distrahi fiducia potest, etiam si conuenerit ne distrahatur, nec eo nomine creditor debitori fiduciæ actione tenetur: verùm sollemnem denuntiationem exigimus, id est, trinam. l.4.D.de pig. act.& s̄.titul.v.

Si creditor rem fiduciæ datam vni ex heredibus, vel extraneo legauerit, aduersus omnes heredes actio fiduciæ competit.

D Licet vni ex heredibus creditor fiduciam prælegauerit, oblata pecunia non is tantùm cui prælegata est fiducia, sed omnes heredes actione fiduciæ tenentur. Idemq; est si extraneo fiduciam legauerit: nec enim legatarius sed heredes creditoris conueniuntur. Hæc enim actio cùm sit ex contractu, vt pignoraticia, in heredes datur.l.nec creditores.C.de pign.act.

Si creditor rem fiduciariam fecerit meliorem, ob ea recuperanda quæ impendit, iudicio fiduciæ debitorem habebit obnoxium.

Duplex est actio fiduciæ, directa, & contraria. Directa debitori datur, contraria creditori, si quid necessario, & interdum si quid vtiliter in rem fiduciariam impenderit. Idemq; est in pigneraticia.l. si
E necessarias.l.si seruos.D.de pig.act.l.creditor qui fundos.C.eod.

Nouissimus creditor priorem oblata pecunia, quò possessio in eum transferatur dimittere potest. Sed & prior creditor secundum creditorem, si voluerit, dimittere non prohibetur, quamquam ipse in pignore potior sit.

Si duobus pignus sit obligatum, & posterior priori debitam pecuniam offerat: possessio pignoris in eum trāsfertur. Prior quoq; posteriori non prohibetur pecuniam offerre, licet in pignore po-
F tior sit, vt possessionem retineat.l.1.l.potior.C.qui pot.in pig.hab.l.secundus.C.de pign.l.potior.§. vlt.D.qui pot.in pig.hab. Erat autem hæc sententia in impressis libris valde deprauata: alij habebāt, *Nou.cred priorem obligatam pecuniam à quo possessio.* Alij, *Nou.cred.priorem obligat à pecunia.* Alij, *Nou. cred.obligatam pecuniam quam possessio,* Sed perspicuè legendum est, *nouissimus creditor priorem oblata pecunia, quò possessio,* &c.

Seruus si mutuam pecuniam seruitutis tēpore acceperit, ex ea obligatione post manumissionem conueniri non potest.

Serui ex contractibus in seruitute habitis, post manumissionem iure ciuili non tenentur.l. serui. D.de obl.& act.l.2.C.an ser.ex suo fac.post man.ten.

G

De vsuris. TIT. XIIII.

SI pactū nudum de prætādis vsuris interpositū sit, nullius est momēti. Ex nudo enim pacto inter ciues Romanos actio non nascitur.

Vsuræ

Vsuræ fænebris pecuniæ ex pacto nudo non debentur.l.3.C.de vsur.l.Titius.D.de præscrip.ver. nam ex pacto iure ciuili actio non nascitur.l.si tibi.C.de loca. A

Vsuræ supra centesimam solutæ sortem minuunt,& consumpta sorte repeti possunt.

Centesima vsura est legitima vsura, & ideo cuilibet permissum est centesimam vsuram stipulari: & hoc ostendit l.si pro mutua.C.si cer.pet.si,vt auctores sunt libri scripti,deleatur verbum, *summa*, & intelligatur,legitima vsura.Item l.lecta.D.de reb.cred. Et ita constitutum est in C. Th. sub tit. de vsuris.Igitur si supra centesimam solutæ sunt vsuræ,non repetentur quidem, sed in sortem imputabuntur: & si sortem expleuerint,repetentur quasi indebitæ.l. si non sortem. §.1.D.de cond.indeb. B Hanc sententiam sic malè Anianus interpretatur, vt si vsuræ sortem æquauerint, quod deinde soluitur in sortem cedat, supra duplum, id est, altero tanto sorte amplius solutæ vsuræ vt repetantur: quod proponitur §.supra duplum.d.l.si non sortem.Id tamen hoc loco Paulum proposuisse nego.

Traiecticia pecunia,propter periculum creditoris,quamdiu nauigat nauis,infinitas vsuras recipere potest.

Vsura nautica est infinita: est enim pensatio suscepti periculi. Hodie ex Constitutione Iustiniani est centesima. Vulgaris autem vsura est semis. Significat tamen Papinianus vsuram nauticam esse centesimam in l.nihil.D.de naut.fœn.sed id Tribonianum ex Iustiniani constitutione addidisse puto. C

Vsuræ quæ centesimam excedunt,per errorem solutæ repeti possunt.

Vsuræ maiores centesima per errorem solutæ,repetuntur:quod ita verum est,si vel antè,vel simul soluta sit sors.l.si non sortem.D.de cond.ind.

Si quis pignora debitoris citra auctoritatem iudicantis abduxerit, violentiæ crimen admittit.

Si creditor chirographarius sine auctoritate iudicis pignora debitoris capiat, tenetur lege Iulia de vi priuata.l.vlt.D.ad leg.Iul.de vi priu.l.in possessionem.C.eod.& J.lib.v.tit.28. D

Tutor in vsuras non conuenitur, si pecuniam pupillarem ideo non collocauit,quòd idonea nomina non habeat, quibus pecunia collocaretur:cuius rei contestatio apud Præsidem prouinciæ deponenda est.

Pecuniæ pupilli otiosæ tutor vsuras pupillo præstat, nisi ideo eam collocare cessauit, quòd idonea nomina non inueniret: qua de re testari apud Præsidem oportet.l.tutor.§.vlt.& l.prox. §. 1. l.si tutor constitutus.D.de adm.tut.l.3.C.de vsur.pup.vbi pro, *hominibus*, lego, *nominibus*. E

De mandatis. TIT. XV.

OB subitam valetudinem,ob necessariam peregrinationem,ob inimicitiam,& inanes rei actiones integra adhuc causa,mandati negotio renuntiari potest.

Renuntiari mandato potest re integra, ob valetudinem aduersam, ob necessariam peregrinationé,ob inimicitias capitales.Additur ob inanes rei actiones,quæ pars relata est in l. 24. D. mand. Rei mandatæ actiones inanes sunt,quæ vel inopia,vel exceptione debitoris excluduntur.Et ob has quidem causas, etiam qui intempestiuè renuntiarint, vel qui non expreßim renuntiarint,excusantur,§. mandatum.de mand. F

Si meis nummis mãdato tuo aliquid tibi cõparauero,& si rem postea accipere nolis,mandati actio mihi aduersus te competit. Non enim tantùm quod impensum est,sed & vsuras eius consequi possum.

Si rem quam mihi mandasti vt emerem,meo pretio emero,tu eam nolis recipere,habeo mandati actionem de pretio recuperando, & de vsuris.l.si verò non remunerandi.§. si mihi mandaueris.D.mand. G

Certo pretio rem iussus distrahere, si minoris vendiderit, mandati iudicio pretij summam poterit integrare: venditionem dissolui non placuit.

A Si mandaui tibi, vt rem meam centum venderes, tu nonaginta vendideris, mandati habeo actionem, vt mihi decem præstes:& ea decem si consecutus fuero, venditio non rescindetur.l.diligenter.§.1.& §.seruo.D.mand.At si ea non fuero consecutus,venditio rescinditur.

Pro socio. TIT. XVI.

SIcut lucrum ita & damnum inter socios communicatur, nisi quid culpa socij vel fraude euersum sit.

Vetus interpres sic exposuit, *Inter socios absq; vllius negligentia æquale erit damnum, & lucrum.* Et
B hoc etiam traditur in l.cùm duobus.§.quidam.D.pro soc.

Ex empto & vendito. TIT. XVII.

VEnditor,si eius rei quã vendidit,dominus nõ sit,pretio accepto, auctoritatis manebit obnoxius.Aliter enim nõ potest obligari.

Euicta re vendita, auctor,id est,venditor non aliter tenetur auctoritatis nomine, quàm si pretium acceperit: & si partem acceperit,eatenus dumtaxat auctoritatis nomine tenetur. l.Iulianus.§. offerri.D.de act.emp.

C Si res simpliciter traditæ euincantur, tanto venditor emptori condemnandus est,quanto si stipulatione pro euictione cauisset.

Si res vendita & simpliciter tradita nulla interposita stipulatione, euincatur, ex empto agitur ad duplam.l.ex empto.§.Caſsius.D.de act.emp.l.quòd si nolit.§.quia aſsidua.D.de ędil.ed.puta,si fundus,vel domus,vel homo,vel alia res pretiosa vendita sit, de qua promitti soleat dupla. De ceteris rebus agitur ad simplam.

Res empta mancipatione & traditione perfecta,si euincatur,auctoritatis venditor duplotenus obligatur.

D Res vendita mancipata & tradita si euincatur, auctor duplæ actione tenetur ob auctoritatem:re non tradita tenetur quidem venditor in id quod interest, sed non duplæ actione ob auctoritatem. Sequentem titulum, *De modo*, quia perperam insertus videbatur,auferendum esse putauimus.

Distracto fundo, si quis de modo mentiatur, in duplo eius quod mentitus est,officio iudicis æstimatione facta conuenitur.

Actio ex empto de modo,ob mendacium crescit in duplum:quod lib.1. vidimus,tit.18.In libris autem Iustiniani nõ inuenitur scriptum,nisi simpliciter ex empto actionem esse.l.2.D.de act.emp.

E Redhibitio vitiosi mancipij intra sex menses fieri potest,propter latens vitium.

Redhibitoriæ actioni præstituti sunt sex menses vtiles.l.sciendum.§.vlt.l.cùm sex.D.de ædil.ed. videlicet si ob vitium latens redhibitoria agatur:ex aliis causis,duo menses.

Si vt seruum quis pluris venderet, de artificio eius,vel peculio mentitus est,actione ex empto cõuentus quanto minoris valuisset,emptori præstare compellitur,nisi paratus sit eum redhibere.

F Si venditor serui,vt pluris venderet,de artificio,vel peculio mentitus sit,actione æstimatoria tenetur ex empto.l.Iulianus.§. si venditor. D. de act.emp.quæ actio in id datur quanto minoris emptor seruum emisset,vel quanto minoris seruus valuisset:Nec enim hæc sunt diuersa. Sed plerumq; illa actio exitum habet redhibitoriæ actionis, puta, quotiens emptor nullo pretio, si id sciſset, empturus fuerat.l.bouem.§.aliquando.D.de ædil.edic. Itaq; vel redhibet emptor hoc casu, vel consequitur id quanto minoris emiſset.

Ex die emptionis,si pars pretij numerata sit,& fructus, & operæ seruorum,& fetus pecorum,& ancillarũ partus ad emptorem pertinent.

Post perfectam venditionem, fructus, operæ, fetus, partus ad emptorem pertinent.*l.fructus.l.*
G pen.C.de act.emp.l.Iulianus.§.si fructibus.& §.si quid seruo.D.eod.Sed Paulus hîc exigit,vt saltem pretij pars numerata sit:& tunc puto non nisi pro ea parte fructus ad emptorem pertinere,*arg.l.vlt.* §.vlt.D.de fund.dot.

Fundum alienum mihi vendidisti, postea idem ex causa lucratiua

m meus

meus factus est, competet mihi aduersus te ad pretium recuperandum actio ex empto. A

Si fundus alienus mihi venditus, ex causa lucratiua meus factus sit, competit mihi dumtaxat actio ex empto ad pretium recipiendum, non in id quod interest. Sed neq; committitur stipulatio duplæ.l.Iulianus.§.si fundum.D.de act.emp.l.si ei cui.§.1.D.de euict.

Post rem traditam, nisi emptor pretium statim exoluat, vsuras eius præstare cogendus est.

Ex die traditionis in actione ex vendito veniunt vsuræ pretij: quia re emptor fruitur.l.Iulianus.§.ex vendito.D.de act.emp.l.curabit.l.fructus.C.eod. Ante traditionem cur vsuræ non veniant, ex his quæ superius ad septimam sententiam huius tituli adnotata sunt, elici potest. B

Mutus emere & vendere potest, furiosus autem neque emere neque vendere potest.

Emptio non verbis contrahitur, sed consensu: est enim iuris gentium, non iuris ciuilis.l.1.D. loca.l.1.§.vlt.D.de contr.emp.& ideo mutus emere, & vendere potest, furiosus non item.

Seruus bona fide comparatus, si ex veteri vitio fugerit, non tantùm pretium dominus, sed & ea quæ per fugam abstulit, reddere cogetur. C

Si seruus venditus apud emptorem fugiat, venditor seruo redhibito, non tantùm pretium serui, sed etiam rerum ablatarum æstimationem restituere cogitur. Quinetiam agi potest de pretio serui ex stipulatione duplæ. Quòd si nolit venditor æstimationem rerum ablatarum restituere, idem Paulus respondit seruum, veluti pro noxa, retineri.l.quæro.in princ.& §.1.D.de ædil.edic.vbi tamen abundant hæc verba, *de peculio vel*, vt alio loco commodius demonstrabo. Rectè autem hîc Paulus ait, *ex veteri vitio*: nam ex recenti vitio serui venditor non tenetur.l.actioni.D.eod.l.3.C.eod.

Cùm probatio prioris fugæ deficit, serui responsioni credẽdum est. In se enim interrogari non pro domino, aut in dominum videtur. D

Emptor qui redhibitoria agit, probare debet seruum ex veteri vitio fugisse.l.4.D.de proba. Deficiente probatione, indiciis non deficientibus, etiam serui responso credendum est: quia in se potius interrogari videtur, quàm in dominum, vel pro domino.l.quæro.§.vlt.D.de ædil.edic. Extat verò hæc eadem sententia Pauli in l.7.D.de probat. Ait, *non pro domino, aut in dominum*: quia pro domino, aut in dominum seruus interrogari non potest.l.6.C.de quæstio.

In eo contractu, qui ex bona fide descendit, instrumentorum oblatio sine causa desideratur, si quo modo veritas de fide contractus possit ostendi.

In emptione & venditione quæ bonæ fidei est, si aliis probationibus veritas ostendi possit, instrumenta frustra desiderantur.l.cum instrumentis.C.de fid.instr.nisi ita conuenerit, vt scriptis emptio fieret ex constitutione Iustiniani, ex qua videtur Tribonianus nonnihil appinxisse in l.2.in fin. D.de contr.emp. Erat autem hæc Pauli sententia valde deprauata, maximè in his verbis, *oblatio, veritas*: pro quibus excusi codices habebant, *obligatio, voluntas*. E

Fundus eius esse videtur cuius nomine comparatus est, non à quo pecunia numerata est: si tamen fundus comparatori sit traditus.

Eius est res empta cuius nomine empta, & cui tradita est, non eius qui pecuniam numerauit.l.1. C.si quis alteri vel sibi sub alt.nom.

Electo reo principali, fideiussor, vel heres eius liberatur. Non idem in mandatoribus obseruatur. F

Creditori est potestas eligendi cum quo agere malit, cum reo, an cum fideiussore. Sed si reum elegerit, fideiussor liberatur. Aliud est dicendum in mandatore: nam reo electo mãdator non liberatur. Sed hodie neuter liberatur. Nam hæc inter fideiussorem & mandatorẽ differentia à Iustiniano sublata est.l.vlt.C.de fideiuss. Ius quoq; eligendi ab eodem sublatum est in Nou. 4.

De locato & conducto. TIT. XVIII.

HOmo liber, qui statum suum in potestate habet, & peiorare eum, & meliorem facere potest, atque ideo operas suas diurnas nocturnasq; locat. G

Homo

A Homo liber qui suæ potestatis est, suum statum & meliorare potest, & peiorare : adeo vt & seipsum vendere possit, & multo magis operas diu noctuq; dandi necessitatem locare potest.l.3.D. de vsufr.leg.Potest & filij operas pater locare,vt.j.lib.v.tit.1.

Fundi deterioris facti,& cultura non exercitati, & ædificiorum non refectorum culpa, arbitrio iudicis domino à conductore sarciri potest.

Conductor ex locato tenetur,si fundus eius culpa desertus,aut deterior factus sit,vel si villæ eius culpa refectæ non sint.l.si merces.§.conductor.D.loca. Ergo conductor ædificia, siue villas reficere,quantum in se est,& incorruptas habere debet.
B

De nuptijs. TIT. XIX.

SPonsalia tam inter puberes,quàm inter impuberes cõtrahi possunt.

In sponsalibus pubertatem non expectamus,vt in nuptiis.l.14.D.de sponsal.

Eorum qui in potestate patris sunt, sine voluntate eius matrimonia iure non contrahuntur : sed contracta non soluuntur. Contemplatio
C enim publicæ vtilitatis priuatorum commodis præfertur.

Duplex ratio vetat nuptias contrahi sine consensu patris, naturalis,& ciuilis.§.1.de nupt. Naturalis locum etiam habet in emancipatis , ciuilis in filiisfam. tantummodo : & hanc nostri auctores sequuntur non naturalem. Nam ab emancipatis sine consensu patris , nuptiæ iure contrahuntur. Naturalem rationem aliæ gentes spectant. Hinc tot omnis generis auctorum loci iam ab aliis indicati , nuptias iniussu parentum contractas inhonestas esse comprobantes : & hic Musæi Ἀμφαδὸν οὐ δυνάμεθα γάμοις ὁσίοισι πελάσσαι. Οὐ γὰρ ἐμοῖς τοκέεσιν ἐπεύαδεν. Paulus addit, contractas quoque à filiisfamil. non solui : quod nos lib. III. Obser. cap. 5. vt accipiendum sit, ostendimus: Ait, *contemplatio enim publicæ vtilitatis*, id est, nuptiarum , vt in l. in bello. §. medio. D. de capt.
D & postlim.

Inter seruos & liberos matrimonium contrahi non potest, contubernium potest.

Aliud est matrimonium, longè aliud contubernium. Matrimonium est inter liberos homines, contubernium inter seruos,aut cum seruis.l.3.C.de incest.nup.

Neq; furiosus, neq; furiosa matrimonium contrahere possunt, sed contractum matrimonium furore non tollitur.

E Furor matrimonium contrahi non finit,sed rectè contractum non impedit. l.oratione.§.vltim. D.de rit.nup.

Vir absens vxorem ducere potest,femina absens nubere non potest.

Mulier absenti nubere potest, mulier absens nubere non potest : absente enim viro deduci per alium potest in domum mariti, quo facto nuptiæ statim constituuntur, absens verò deduci non potest.Domus igitur viri est domicilium matrimonij.l.mulierem.D.de rit.nup.l.cum in te.C.de donat.an.nup.l.ceterùm.§.mulieri.D.de vsu & hab.

Libertum qui nuptias patronæ,vel vxoris filiæ ve patroni affectaue-
F rit, pro dignitate personæ metalli pœna, vel operis publici coërceri placuit.

Libertus qui patronam, vel vxorem filiam've patroni vxorem duxit, in metallum, aut in opus publicum datur.l.3.C.de nupt. Ait, *pro dignitate personæ*, vt in l.non est. D.de rit. nupt. pro dignitate pupillæ.

De concubinis. TIT. XX.

EO tempore quo quis vxorem habet,concubinam habere non po-
G test.Concubina igitur ab vxore solo delicto separatur.

Non potest qui vxorem habet, & concubinam habere.l.1.C.de concub.l.vlt.in fin.D.de diuor. Quod sequitur, *concubina igitur ab vxore solo delicto separatur*, corruptum esse varietas lectionum argumento est. Parif.editio habet, *sola delectione*, Basil. *solo delicto*, Antuerp. *solo derelicto*, alij códices, *dilecto*.

dilecto: Puto legendum *ſolo delectu*, vt ſit idem quod ſola deſtinatione animi,in l.pen.D.de concub. Nam iuris effectu,maritus concubinam habere non intelligitur,arg.l.eum qui.C.ad leg.Iul.de adul. Cùm igitur dicimus,concubinam marito habere non licere,concubinam ab vxore non iuris effectu,ſed ſola animi deſtinatione ſeparamus. A

De dotibus. TIT. XXI.

DOs aut antecedit,aut ſequitur matrimonium:& ideo vel ante nuptias,vel poſt nuptias dari poteſt:Sed ante nuptias data earum expectat aduentum. B

Dos datur poſt nuptias:datur & ante nuptias.Sed nuptiis non ſecutis,condicitur:quod in Pandectis multis in locis expoſitum eſt.

Lege Iulia de adulteriis cauetur, ne dotale prædium maritus inuita vxore alienet.

Hæc lex quæ vetat alienari fundũ dotalẽ inuita vxore,vulgò lex Iulia de fundo dotali appellatur. Cur autẽ hìc de adulteriis inſcribatur,expoſuimus in Notis ad lib.II.Inſtit.tit.quib.alien.lic.vel non.

De pactis inter virum & vxorem. TIT. XXII. C

FRuctus fundi dotalis conſtante matrimonio percepti, lucro mariti cedunt,etiam pro rata anni eius quo factum eſt diuortium.

Dotis fructus ad maritum pertinent ex die nuptiarum,ſi ante nuptias data ſit dos,vel ex die traditæ dotis in diem ſoluti matrimonij.Igitur nouiſsimi anni fructus diuiduntur pro rata eius temporis,quo ſtetit matrimonium.l.cùm in fundo.§.diuortio.D.de iur.dot.l.fructus.§.Papinianus.l.ſi alienam.l.ſi marito.§.vlt.D.ſol.mat.l.1.§.ſed & nouiſsimi.C.de rei vx.ac.Hinc quæritur apud Papinianũ in hac ſpecie quemadmodum diuiſio facienda ſit: Kal.Octobr.contractum matrimonium,& vinea tradita dotis nomine,eodemq; tempore vindemia facta eſt,mox locata ex Kal.Nouembr.& ſolutũ matrimonium in fine menſis Ianuarij.Et Papinianus eorum tantùm opinionem reiicit,qui viro dabant integros vindemiæ fructus,& mercedis quartam partem:& cùm tertia parte anni ſteterit matrimonium, pro rata eius temporis cenſet ex vindemia dari oportere viro tertiam partem, æquè ex quarta parte mercedis marito debitæ, tertiã partem:Denique confuſa vindemia & mercedis quarta eadem ratione tertiam ex ea pecunia portionẽ marito Papinianus dat. Igitur ſi vindemia ſit XII. merces XII. marito dat quinq; : ſi vindemia XXIIII. merces XII. nouem:ſi vindemia XII. merces XXIIII. ſex.Quòd ſi anno ſtetiſſet matrimoniũ, eadem ratione in primo caſu marito dabit XXIII. ſecundo XXXV. tertio, XXXIIII. ſi ſex menſibus,primo caſu VIII. ſ̃.ſecundo XIIII. ſ̃. tertio XI. Hoc verò & ſi apertiſsimis verbis Papinianus propoſuerit,ingenioſi quidam non admittunt.Et cùm quattuor menſibus ſtetit matrimonium, primo quidem caſu alij IIII. alij III. marito dant: atque adeo ſic marito nihil omnino prodeſt locatio. Nam ſi vindemiam ipſe dumtaxat collegerit, omnimodo IIII.habiturus eſt.Secundo caſu alij dant V.alij IIII.Sic igitur marito locatio obfuerit.Nam ſi vineam non locaſſet, ex fructibus habuiſſet prorſus VIII. Tertio caſu alij dant VII. alij VI. Sic igitur ſolis fructibus perceptis,qui quattuor abſtuliſſet, ei locatio fructibus altero tanto maior I.aut II. tantùm adiiciet.Quod totum ineptum & vitioſum eſt.Id etiam imperitè quidam,exempli gratia in ſecundo caſu, inter VIII. & IIII. ne vel ex fructibus ſolis, vel ex mercede ſola tertiam partem maritus habeat,medium exquirentes,Geometricũ dum ſe ſtatuere profitentur,inter VIII.&IIII. collocant V. quo nihil alienius eſt à proportione Geometrica, quæ id omnino exigit, vt inter numeros eadem ſit ratio proportionis.Non eſt verò eadem ratio V. ad VIII. atque ad IIII.Igitur nõ eſt Geometricum temperamentum. Nec ſanè inter VIII. & IIII. ex arte dari vllum medium poteſt. Hi enim numeri ſunt plani diſsimiles, inter quos nullus eſt medius numerus proportionalis. Quòd ſi adhuc conſulantur hac in re ea quæ περὶ ἀρρήτων ἀριθμῶν tradita ſunt, & medius aliquis numerus conquiratur,is ſanè amplior erit quinario. D E F

Omnibus pactis ſtipulatio ſubiici debet, vt ex ſtipulatu actio naſci poſſit.

Pactis etiam ex continenti factis ſtipulatio ſubiicitur,vt ex ſtipulatu actio competat:cuius rei exempla in Pandectis ſunt infinita. Animo autem & concluſione tractatus pactum diſcernitur à ſtipulatione. G

De donationibus inter virum & vxorem. TIT. XXIII.

MOrtis cauſa donatio eſt,quæ impendente metu mortis fit,vt valetudin

A tudinis,peregrinationis,nauigationis,vel belli.

Quia mortis causa donatio inter virum & vxorem non est prohibita, ideo hîc definitur donatio causa mortis, vt sit ea quæ fit propter mortis suspicionem, nec nisi mors donatori contingat, confirmatur.§.1.de donat.

Manumissionis gratia inter virum & vxorem donatio fauore libertatis recepta est, vel certè quòd nemo ex hoc fiat locupletior: ideoq; seruum manumittendi causa inuicem sibi donare non prohibentur.

B Inter virum & vxorē donatio manumissionis causa non est prohibita.l.quod autem.§.vlt.D.de don.int.vir.& vx.Idq; Paulus ait receptum esse fauore libertatis, & mox se corrigens, vel certè, inquit,quòd nemo ex hoc fiat locupletior:& rectè: Nam ea tantùm donatio iure ciuili prohibita est, ex qua is cui donatur fit locupletior. Donato autem seruo manumissionis causa, non fit locupletior. Nam eo demum tempore seruus donatarij efficitur, quo incipit manumitti: nec quod libertum adquirat, ideo videtur locupletior fieri, vt & circa S. C. de petitione hereditatis auctores nostri interpretati sunt. l. nemo prædo. §.1.D.de diuer. regul. iur. Pertinet enim ea lex tota ad S.C. de petitione hereditatis, vt ex inscriptionibus P. Faber acutè collegit, & nobis indicauit.

Inter virum & vxorem nec per interpositam personam donatio fieri potest.

C Nec per se coniunx coniugi,nec per interpositam personā donare potest.l.3.§.non tantùm autē. D. de dona. int. vir. & vx. quo in loco Pandectæ Florentinæ mutilæ sunt orationis membro vno.

Inter virum & vxorem contemplatione donationis imaginaria venditio contrahi non potest.

Si nummo vno coniunx coniugi fundum vendiderit,sed etsi fundum dignum centū, quinquaginta vendiderit donationis causa,venditio nulla est:quippe cùm sit facta in fraudem iuris, quo inhibentur donationes inter virum & vxorem.l.si sponsus.§.circa.D.de donat.int. vir.& vx.

D Si inter virum & vxorem donatio facta fuerit, priore defuncto cui donatum est,ad eum res redit qui donauerat.

Hoc est ex oratione D.Seueri,vt si coniugum prior decesserit is, qui donatum accepit, donatio non valeat. Non enim mors donatarij,sed mors donatoris hanc donationem confirmat.l.cùm hic status.§.si ambo.D.de don.int.vir.& vx.Excipienda tamen est species l.si sponsus.§.sed si ipsa fuerit. D.eod.Extat hæc Pauli sententia in l. si inter.de reb. dub. Vulgò tamen eius quædam interpretatio vetus hoc loco circumfertur pro ipsius Pauli verbis.

Quocumque tempore contemplatione mortis inter virum & vxo-
E rem donatio facta est,morte secuta conualescit.

Inter virum & vxorem quocumque tempore facta donatio causa mortis non statim dominium transfert,sed donatoris morte insecuta conualescit,& plerumque recurrit ad id tempus quo interposita est.l.sed interim.D.de donat.int.vir.& vx.l.40.D.de mor.cau.don.

De liberis agnoscendis. TIT. XXIIII.

SI serua conceperit,& postea manumissa pepererit,liberum parit.

Vt partus liber sit,sufficit matrem fuisse liberam eo tempore,quo nascitur,licet ancilla con-
F ceperit.l.& seruorum.§.ingenui.D.de stat.hom.

Si libera conceperit,& ancilla facta pepererit,liberum parit. Id enim fauor libertatis exposcit.

Liber est partus, si mater libera conceperit, licet ancilla pepererit, idq; fauorem libertatis exposcere ait:quoniam ex regula iuris tradita ab Vlpiano in frag.tit.5.certè partus liber non est. Hæc eadem fauoris libertatis ratio subdita perperam est superiori sententiæ in libris excusis. Illa enim sententia ex regula iuris,hæc fauore libertatis contra regulam iuris inducitur.

Si ancilla conceperit, & medio tempore manumissa sit, rursus facta
G ancilla pepererit,liberum parit.Media enim tempora libertati prodesse, non nocere etiam possunt.

Hanc quoque sententiam fauor, qui libertatibus exhibetur, extorsit. Sufficit ergo partui liberam matrem vel medio tempore habuisse, licet ancilla conceperit, pepereritque. l. & seruorum,

ad fin.D.de stat.hom.

Ex ea muliere natus, quæ ex causa fideicommissi manumitti debuit, si post moram libertati factam nascatur, ingenuus nascitur.

Qui nascitur post moram fideicommissariæ libertatis matri factam, liber & ingenuus nascitur.l. 1.§.quæri.D.de suis & leg.her.l. si quis rogatus.D. de fideic.libert.l.3.C.eod. Emendaui, *post moram*, cùm hîc antea legeretur, *per moram*.

Si mulier diuortio facto grauidam se sciat, intra tricesimum diem viro denuntiare debet, vel patri eius, vt ad ventrem inspiciendum, obseruandumq; custodes mittant: quibus missis partum mulieris omnimodo coguntur agnoscere. B

Ex S. C. Planciano de liberis agnoscendis, si diuortio facto mulier se putet prægnãtem esse, denuntiare id debet intra dies 30. à diuortio connumerandos, vel ipsi marito, vel patri in cuius potestate est, vt custodes mittant: quibus, inquit, missis partum mulieris omnimodo coguntur agnoscere. Sed hoc pugnat cum l.1.§.quemadmodum.D.de agn.& al.lib.nisi dicas interim eos cogi omnimodo partum alere, ceterùm eis adhuc in integro esse partum editum ex se negare.

Si prægnantẽ se esse mulier non denuntiauerit, vel custodes ventris missos non admiserit, liberum est patri, vel auo natum non alere. Ceterũ negligentia matris quominus suus patri heres sit, obesse nõ debet. C

Si mulier omiserit denuntiationem, vel si custodes non admiserit, non cogitur maritus, vel pater in cuius potestate est, partum agnoscere & alere, nisi verè filius fuerit. Ceterùm filius natus suum se dicere potest.l.1.§.sed si maritus, & §.idem per cõtrarium. D.de agn.& al.lib.nec enim debet negligentia matris filio præiudicare.

Si mulier se ex viro prægnantem negat, permittitur marito ventrem inspicere, & ventri custodes dare. D

Ex rescripto Diuorum fratrum si diuortio facto mulier neget se esse pregnantem, mittuntur tres obstetrices ventris inspiciendi causa: quæ si plenum videri renuntiauerint, ventri custodes apponuntur.l.1.D.de insp.vent.custodiendoq; par.

Venter inspicitur per quinque obstetrices: & quod maxima pars earum denuntiauerit, pro vero habetur.

Si mortuo marito mulier dixerit se esse prægnantem, his ad quos ea res pertinet, ex edicto prætoris denuntiari oportet, vt mittant quæ ventrem inspiciant. Mittuntur autem non tres, vt in superiore specie, sed quinque obstetrices: & quod tres renuntiauerint pro vero habetur.l.1.§. de inspiciendo.D.de inspic.vent. Hîc non malè Anianus obstetrices, medicas interpretatur: nam & eæ medicinam exhibere videntur.l.1.§.sed & obstetrices.D.de extr.cog. E

Obstetricem quæ partum alienum attulit, vt supponi possit, summo supplicio affici placuit.

Non tantùm mulier quæ partum supposuit, sed etiam obstetrix, quæ ei partum alienum attulit, capitali iudicio tenetur.l.2.D.de Carb.edic.

Quemadmodum filij sui iuris efficiuntur. TIT. XXV.

F

PAter ab hostibus captus desinit habere filios in potestate: postliminio verò reuersus, tam filios, quàm omnia sui iuris in potestatẽ recipit, ac si numquam ab hostibus captus sit.

Captiuitate suspenditur potiùs patria potestas, quàm soluitur, propter spem postliminij, quo iure omnia pristina iura recipiuntur.§.si ab hostib.quib.mod.ius pot.sol.

Singulæ emancipationes vel iisdem, vel aliis testibus fieri possunt, vel eodem die, vel intermisso tempore. G

Filius tribus emancipationibus, & tribus manumissionibus sui iuris fit ex XII. tab. Possunt autem singulæ fieri vel eodem die, vel diuersis: & vel iisdem, vel aliis testibus. Hanc igitur sententiam ad solum filium referimus nam in ceteris liberis vna emancipatio sufficit, vt in fragm. Vlpiani ostẽdi titul.23.

Emanc

A Emancipatio etiam die feriato fieri poteſt.

Vt quocumque loco emancipatio fieri poteſt.l.emancipari.D.de adopt.ita & quocumque die.l. actus.C.de fer.l.1.C.Th.eod.tit. Sed id iure antiquo ipſo iure permiſſum fuiſſe non videtur,niſi publicæ vtilitatis cauſa,ne ſemel data libertas euaneſceret.Varro lib.v.de ling.Latina. Nefaſti per quos dies nefas fari prætorem DO, DICO, ADDICO: itaque non poteſt agi. Neceſſe eſt aliquo eorum vti verbo cùm lege quid peragitur. Quòd ſi imprudens id verbum emiſit,aut quem manumiſit,ille nihilominus eſt liber,ſed vitio:vt magiſtratus vitio creatus,nihilo ſecius magiſtratus.

Apud magiſtratus municipales, ſi habeant legis actionem, emancipari & manumitti poteſt.

B Non omnis magiſtratus municipalis legis actionem habet:& ideo nec apud omnẽ magiſtratum municipalem emancipationes,vel manumiſsiones fieri poſſunt.Nam ei apud quem fiunt,vt data ſit legis actio omnimodo exigimus.l.4.D.de adop.l.vlt.C.de vind.lib.

Filius familiàs emancipari inuitus non cogitur.

Fliumfamiliàs inuitum non emancipari Iuſtinia.tradit in Nou. LXXXIX.

De adulterijs. TIT. XXVI.

C INuentam in adulterio vxorem maritus ita demum occidere poteſt, ſi adulterium domi ſuæ deprehendat.

Ex M. Catone Gellius refert lib. x. in adulterio deprehenſam vxorem ſine iudicio impunè necari. Et Caſsiodorus lib.1. Var. Pro amore, inquit, pudicitiæ porrigere ferrum maritis, non eſt leges calcare, ſed condere:Idem Rothar.Rex Langobardorũ probat in l.2.de adulterio,& Rogerius Siciliæ rex ti.de pœn.vx.in ad.dep. At certè licet iure Romanorum impunè occidatur vxor in adulterio deprehenſa, quantum ad legem Corneliam de ſicariis, punitur tamen maritus alio modo.l.1. §.vlt.D.ad leg. Corn.de ſic.l.ſi adulterium. §.Imperatores.D.de adult.coër. Non poteſt igitur vxorem in adulterio deprehenſam occidere: at adulterum domi ſuæ deprehenſum occidere poteſt, D nec tamen quemlibet.l.marito.D.de adult.coër. Itaq; ſic hoc in loco crediderim Paulum ſcripſiſſe, *Inuentum in adulterio vxoris.*

Eum, qui in adulterio deprehenſam vxorem non ſtatim dimiſerit, reum lenocinij poſtulari placuit.

Si in adulterio deprehẽſam vxorem maritus retinuerit,nec ſtatim dimiſerit,lenocinij reus poſtulari poteſt.l.2.C.ad leg.Iul.de adult.

In cauſa adulterij dilatio poſtulata impartiri non poteſt.

E In crimine adulterij nulla dilatio datur,niſi,vt hoc in loco Paulus adiecerat (quemadmodum conſtat ex l.in crimine.D.de adult.coërc.in cuius inſcriptione pro lib.primo,legendum reor,lib.ſecundo) vt perſonæ exhibeantur,aut iudex ex qualitate negotij motus hoc cauſa cognita permiſerit. Puto hoc quoque loco non, *impartiri*, vel vt quidam alij codices habent, *impediri*, ſed, *impetrari*, eſſe legendum,vt in l.miles.§.defuncto.D.de adult.coërc.

De excuſationibus tutorum. TIT. XXVII.

INimicitiæ capitales,quas quis cum patre pupillorum habuit,à tutelis F excuſant,ne paterno inimico pupilli committantur.

Si quis ad extremam perniciem ſpectantes inimicitias cum patre pupillorum habuerit, nec reconciliatio interuenerit,à tutela excuſatur. §.inimicitiæ. de excuſ.tut. vbi nos hæc ſententia vti accipienda ſit,ſatis,vt arbitror,fideliter expoſuimus.

Ad curam eius cuius quis tutelam adminiſtrauit,inuitus vocari non poteſt.

Is qui tutelam geſſerit inuitus non cogitur & curam adminiſtrare,niſi libertus ſit.l.libertos.l.curator.C.de excuſ.tut.

G

De potioribus nominandis. TIT. XXVIII.

NOn rectè potiorem videtur nominare, qui cauſam nominati potioris non expreſſerit.

Tutela est munus publicum. Ad munera publica vocati solent nominare potiores.l.1. C.de pot. ad mun.nom.l.ad subeunda. C.de decur.l.honores. D.eod.tit. ijq; nominatores perinde tenentur, ac si fideiussissent. Sic igitur & ad tutelam nominantur potiores.l.2. D.de fideiuss.& nomin. tut. Is autem videtur potiorem nominare, qui causam qua sit potior exprimit. A

Potior quis esse debet, non solùm gradu generis, sed & substantia rei familiaris.

Cùm quis sit potior quæritur, facultates potiùs spectamus, quàm propinquitatem generis. Nominandi igitur sunt non tam propinquiores, quàm locupletiores. B

Qui potior nominari non poßit. TIT. XXIX.

Legendum est ex libris scriptis, *Qui potiores nominare non poßint:* quod & subiecta sententia indicat.

Libertus, quem pater tutorem dedit, si minùs idoneus dicatur, excusari quidem non potest, sed adiungi illi curator potest.

Libertus patroni, patronæ've liberis tutor esse cogitur ex S. C. nec se excusare potest potioribus nominatis.l.libertos.C.de excus.tut. Sed si minus sit idoneus, ei non quidem tutor, quia tutorem habenti tutor non datur, sed curator adiungitur. C

De oratione Diui Seueri. TIT. XXX.

Existimo hanc inscriptionem esse valde corruptam. Quidam codices habent, *De ratione Diui Seueri*: sed subiecta sententia indicat legendum esse *De rationibus distrahendis:* quæ actio in duplum lege XII. tab. prodita est. Nec vlla est oratio D.Seueri quæ ad eam iuris speciem pertineat. Inde & in libris scriptis sic hunc titulum interpretem exposuisse reperi: id est, si tutor aliquid distraxerit. Distrahere autem rationes, est conturbare rationes: vt distrahere funus in l.5.D.ad leg.Iul.de vi pub.est turbare, vt ex lib.v.tit.eod.ʒ.colligitur. Illud autem participiũ, distrahẽdis, præsentis temporis significationem habet, vt cùm dicimus, testamenti faciendi, litis cõtestandæ, rei iudicandæ tempore. Rationibus ergo distrahendis, id est, iam distractis & conturbatis. D

Dolo tutoris curatoris've detecto, in duplum eius pecuniæ condemnatione conueniuntur, qua minorem fraudare voluerunt.

Actione rationibus distrahendis in duplum ex XII. tabulis tenetur tutor qui pecuniam pupillarem intercepit, abstulit, furatus est.l.tres tutores.D.de administ.tut. l.1. §.rationibus. D.de tut.& rat. dist.quæ actio etiam ad curatorem porrigitur. At de aliis furtis hîc commodè generalis titulus subiicitur.

De furtis. TIT. XXXI. E

Fur est, qui dolo malo rem alienam contrectat.

Contrectatio rei alienæ fraudulosa furem facit.l.1.D.de furtis.

Furtorum genera sunt quattuor: manifesti, nec manifesti, concepti, & oblati. Manifestus fur est, qui in faciendo deprehensus est, & qui intra terminos eius loci, vnde quid sustulerat deprehensus est, vel antequam ad eum locum quò destinauerat, perueniret. Nec manifestus fur est, qui in faciendo quidem deprehensus non est, sed eum furtum fecisse negari non potest. F

Furtorum genera quattuor esse ait: sed concepti, & oblati actionum species potiùs sunt furto cohærentes, quàm furtorũ genera. §.furtorum.de obl.quæ ex del.nasc. Et ideo inferiùs concepti actionem, & oblati actionem dicit, non conceptum, aut oblatum furtum. Manifesti autem fures sunt, qui deprehenduntur in faciendo: & finem faciendi interpretamur, cùm pertulêre quò destinauerant. Ex quo satis intelligitur qui nec manifesti fures sint.l.nec manifestum. D.de furt. Porrò euenire potest, vt quis eiusdem rei & manifestus & nec manifestus fur sit l.vulgaris.D.eod. G

Concepti actione is tenetur, apud quem furtum quæsitum, & inuentum est. Oblati actione is tenetur, qui rem furtiuam alij obtulit, ne apud se inueniretur.

A Concepti actione tenetur is, apud quem res furtiua concepta, id eſt, quærendo apprehenſa eſt, licet fur non ſit. Oblati, qui obtulit ne apud ſe conciperetur. §.conceptum. de obl.quæ ex del.naſc. Oblati ſimile iudicium proponitur in lege Salica, tit.de Sepibus.

Furti actione is agere poteſt, cuius intereſt rem non perdidiſſe.

Is furti manifeſti, aut nec manifeſti actionem habet, cuius intereſt rem non ſubripi, ſi ex honeſta cauſa intereſt, & ſi faciendi furti tempore rem tenuit.l.10.l.85.D.de furtis.

Concepti is agere poteſt, qui rem concepit, & inuenit. Oblati is agere poteſt, penes quem res concepta, & inuenta eſt.

B Is concepti agit qui rem concepit. Oblati verò is apud quem concepta res eſt.§.conceptum.de obl.quæ ex delic.naſc.

Manifeſti furti actio, & nec manifeſti, & concepti, & oblati heredi quidem competit, ſed in heredem non datur.

Furti actiones heredibus competunt, non etiam in heredes, quia pœnales ſunt.§.non autem.de perp.& temp.act.

C Seruus qui furtum fecerit, damnum've dederit, niſi id pro ſui quantitate dominus ſarcire ſit paratus, noxæ dedi poteſt.

Actione furti, vel damni iniuria ex facto ſeruorum domini noxali actione tenentur: quod in tit. de nox.act.fuſiùs pertractatur.

Si ſeruus furtum fecerit, deinde manumiſſus fuerit, aut alienatus, cum ipſo manumiſſo, vel emptore agi poteſt. Noxa enim caput ſequitur.

Fure manumiſſo, noxalis actio incipit eſſe directa: fure vendito noxalis actio transfertur in emptorem: quia noxa ſemper caput ſequitur.§.omnis.de nox.act.

D Filiusfamilias ſi furtum fecerit, deinde emãcipetur, furti actio in eum datur: quia in omnibus noxa caput ſequitur.

Fure emancipato, noxalis actio incipit eſſe directa. Ergo ſi filiusfamilias furtum fecerit, pater noxali actione tenetur. Sed receptius eſt, vt patre filium non defendente, in eum directa actio furti detur.l.noxali.& l.prox.D.de nox.act.§.vlt.Inſtit.eod.tit.

Non tantùm qui furtum fecerit, ſed etiam is cuius ope, aut conſilio furtum factum fuerit, furti actione tenetur.

E Is etiam furti tenetur cuius ope aut conſilio furtum factum eſt. Hoc genus actionis ſatis, vt arbitror, dilucidè expoſuimus lib.IIII. Inſtit.tit.I.

Qui meretricem libidinis cauſa rapuit, & celauit, eum quoque furti actione teneri placuit.

Puto hoc in loco legendum eſſe, *Qui non meretricem*, vt in l. fullo.§.qui ancillam.D.de furtis, quæ eſt ex hoc libro. Nam qui meretricem rapuit, & celauit: nec furti tenetur, nec lege Fabia. Ex eodem loco, & ex eis libris quibus ſolæ interpretationes ſententiarum Pauli continentur, & in eis tamen hæc verba integra leguntur, eſſe ea interpretis, non Pauli coniicio.

F Furti manifeſti actio, præter pœnam quadrupli, ipſius rei perſecutionem genere vindicationis, & condictionis continet.

Furti manifeſti actio eſt in quadruplum ex iure prætorio, & meram pœnam continet: extra pœnam eſt rei perſecutio, quam aut vindicando, aut condicendo dominus poteſt auferre.§.vlt.de obl. quæ ex del.naſc.

Furti oblati actio aduerſus eum qui obtulit tripli eſt pœna, & ipſius rei repetitio.

G Gellius lib. XI. cap.18. ſic ſcribit, furti concepti, item oblati tripli pœna eſt. Et de his puto ſenſiſſe Gaium in l.3.D.qui ſatiſd.cog.& hunc ipſum auctorem lib.v.tit.de abact. Hîc autem malè vulgò legitur, *Furti concepti*: idcirco emendauimus, *Furti oblati*: nam actione concepti qui obtulit, non tenetur.

Furti

 A

Furti quocumq; genere condemnatus famosus efficitur.

Furtorum quattuor sunt genera. Quocumque genere suo nomine damnatus famosus est; l. furti. D. qui not. infam. quo in loco verisimile est hæc Vlpianum addidisse, siue concepti, siue oblati.

Quæcumq; in caupona, vel meritorio stabulo, diuersorio've perierint, in exercitores eorum furti actio competit.

In eum qui nauem, cauponam, vel stabulum exercet, in duplum est actio iure prætorio quasi ex maleficio, si habitatorum, vel eorum quis furtum fecerit, quorū opera nauem, cauponam, stabulum exercet. Vectorum tamen, viatorum've factum non præstat. l. 1. D. furt. adu. nau. caup. stab. B

Rem pignori datam debitor creditori subtrahendo furtum facit, quam, si & ipse similiter amiserit, suo nomine persequi potest.

Furti tenetur debitor qui rem pignoratam creditori subtrahit: quam si postea & ipse furto amiserit, nihilominus furti actionem habet: atque ita hoc casu fur furti agit. l. itaq;. §. pen. D. de furt. in quo negationem superesse notauimus lib. IIII. Instit. tit. 3.

Pater vel dominus de ea re quæ filiofamilias vel seruo subrepta est, furti agere potest. Interest enim ei deferri actionem, qui de peculio conuenitur. C

Si res peculiaris subripiatur filiofamilias, vel seruo, actio furti patri, vel domino adquiritur, qui & de peculio actiones pati solet: & ideo eius maximè interest rem peculiarem non subripi. l. si quis vxori. §. si seruus. D. de furtis.

Si rem quam tibi commodaui, postea subripui, furti actio competere tibi non poterit. Rei enim nostræ furtum facere non possumus.

Si is qui rem tibi commodauerit, eam subripiat, furti non tenetur: quia rei suæ furtum non fit, quæ tamen ratio interdum falsa est, vt in debitore pignus subtrahente superius dictum est: & hoc quoque casu nonnumquam commodator furti tenebitur. l. creditoris. §. dominus. l. si is qui rem commodasset. D. de furtis. D

Si cùm furtum quis quærit, damnum iniuria dederit, actione legis Aquiliæ tenebitur.

Quamuis in alienis ædibus furtum conquirere, & concipere liceat, si tamen quærendo damnum iniuria detur, legis Aquiliæ actionē dari placet. Nam & si magistratus damnum iniuria dederit, cùm pignora ex lege capit, Aquilia locum habet. l. quemadmodum. §. magistratus. D. ad l. Aquil.

Ob indicium comprehendendi furis præmium promissum iure debetur. E

Indicia & εὑρετρα accipere turpe non est, ideoq; repeti non potest quod ob eam causam datum est l. 4. §. vlt. D. de cond. ob turp. caus. l. falsum. §. solent. D. de furt. Quinimmo & si promissa sint indicia, rectè petuntur vel actione doli, vel actione in factum prætoria: puta, si inter nos ita conuenerit, vt ego furem indicarem, tu dares indicia. l. solent. D. de præscript. verb. vel actione ex stipulatu, si stipulatio intercesserit.

Siue segetes per furtum, siue quælibet arbores cæsæ sint, in duplum eius rei nomine reus conuenitur. F

De segetibus, arboribusq; cæsis lege XII. tab. prodita est actio. l. 1. l. pen. D. de arb. furt. cæs. vt Plin. lib. XVII. cap. 1. & lib. XVIII. cap. 3. explicat. Sed in duplum redacta est edicto prætoris, vt ostendit l. furtim. §. vlt. D. eod. quæ ex libris ad edictum sumpta est. Tunc verò maximè huic actioni locus est, cùm furtim arbores cæsæ sunt, etiam si contrectatio, atq; adeò furtum earum non intercesserit, l. furtim. l. facienda. D. eod. Itaq; in hac Pauli sententia aut, *per furtum*, furtim interpretabimur, aut eos potius codices sequemur, à quibus in Basiliensi editione adnotatum est hæc verba, *per furtum*, abesse. Dupli actio impubere segetem furtim cædente ex lege XII. tab. est, vt Plinius scribit. Sed eam, vt diximus, edictum ad omnes casus porrexit.

Qui tabulas cautiones've subripuit, in adscriptam summam furti actione tenebitur: Nec refert cācellatæ nec'ne sint: quia ex his debitum dissolutum esse comprobari potest. G

Integra hæc sentētia extat in l. fullo. §. vlt. D. de furt. Ergo is, qui tabulas aut cautiones subripuit, non

A non tantùm pretij tabularum, ſed etiam ſummæ tabulis adſcriptæ nomine furti tenetur. Eademq; actio eſt, ſi tabulæ ſint cancellatæ, in pretium tabularum, & in id quanti intereſt creditoris tabulas cancellatas non ſubripi: quòd ex eis aliquando calumniante debitore, & indebitum ſolutum eſſe contendente, debitum ſolutum eſſe comprobare poſsit. l. qui tabulas. D. de furtis. Quidam codices habent, *quia ex his debitum diſſolutum intereſt comprobari*: quidam, *quia ex his debitum magis ſolutum eſſe comprobari poteſt.*

Seruus qui in fuga eſt, à domino quidem poſſidetur, ſed dominus furti actione eius nomine non tenetur, quia in poteſtate eum non
B habet.

Seruus fugitiuus, ſi nondum ab alio poſsideatur, à domino quidem poſsidetur: ſed ſi interim alteri furtum faciat, non tenetur dominus actione noxali, quia eum in ſua poteſtate non habet. l. ſerui. §. vlt. D. de furt. l. quotiens. §. in poteſtate. D. de nox. act. quod valde pugnat cum l. ſi ſeruus ſeruum. §. ſerui autem. D. ad leg. Aquil. niſi hanc diſtinctionem admittimus, Aut ſeruus fugitiuus ab alio poſsidetur, aut non: Si ab alio non poſsidetur, dominus noxali actione non tenetur, quia exhibendi eius poteſtatem non habet, & hoc tranſlaticium eſt, vt noxalem actionem recuſare poſsit is, qui ſerui exhibendi poteſtatem non habet. Quòd ſi ab alio poſsidetur bona fide, dominus noxali actione tenetur, quia iam à poſſeſſore repetendi ſerui poteſtatem habet: ipſe autem bonæ fidei poſſeſſor non tenetur. Et hoc dicimus cùm deditum ſeruum actoris fieri volumus: alioquin bo-
C næ fidei poſſeſſor certè noxali actione tenetur: ſed ſi in rem agat, exceptione repellitur. l. bona fide. l. & generaliter. D. de nox. act. Et ita hæc quæſtio, malè ab interpretibus diſcuſſa, meo quidem iudicio, explicanda eſt.

De operis Libertorum. TIT. XXXII.

Libri ſcripti habent, *De operibus Libertorum*, quod loquendi genus probauimus in fragm. Vlpiani tit. 19.

EGentem patronum libertus obligatione doni, muneris, operarum
D ſolutus alere cogendus eſt, pro modo facultatum ſuarum.

Si libertus doni, muneris, operarum obligatione liberis dimiſſus ſit, ex lege Iulia de maritandis ordinibus, cuius verba referuntur in l. qui libertinus. D. de oper. libert. patrono quidem perinde denegabitur bonorum poſſeſsio cõtra tabulas, ac ſi operas exegiſſet, aut vendidiſſet. Sed tamen egenti alimenta non denegabuntur. l. libertus qui operarum. D. de oper. lib. eaq; pro modo facultatũ præſtabuntur. l. ſi quis à liberis. §. ſolent. D. de agn. & al. lib.

E

IVLII PAVLI SENTENTIARVM, LIBER IIII.

*

De Carboniano edicto. TIT. I.

F

I fratri puberi controuerſia fiat, an pro parte impuberis differri cauſa debeat, variatum eſt. Sed magis eſt, vt differri non debeat.

Omnino legendum eſt, *Si fratri impuberi controuerſia fiat an pro parte puberis*, &c. Puberi non datur bonorum poſſeſsio Carboniana. l. 3. §. puberi. D. de Carb. edic. At ſi duobus impuberibus fiat controuerſia, & vnus pubuerit, alter non pubuerit, propter impuberẽ puberis controuerſia differtur. d. l. 3. §. ibidem Iulianus. Quod hæc ſententia non
G ita obſeruari oſtendit, cùm ab initio puberi ſimul & impuberi ſit controuerſia: nec enim propter impuberem puberis controuerſia differtur. Igitur duobus impuberibus datur Carboniana, & quamdiu vel vnus impubes eſt, in alterius perſona Carboniana pubertate non finitur. At ſi puberi & impuberi controuerſia fiat, impuberi Carboniana datur, non etiam puberi, propter impuberis fratris perſonam.

De bonis

De bonis liberti. TIT. II.

IN bonis liberti prior est patronus, quàm filius alterius patroni. Itemq; prior est filius patroni, quàm nepos alterius patroni.

Patronus patroni filio, patroni filius patroni nepoti obstat: quia proximus quisque ad hereditatem liberti vocatur. l.si libertus præterito.§.pen.D.de bon.libert. l.pen. D.de adsig. libert. neque locus est edicto nouo. l.2. §.vlt. l.libertinus.§.vlt. D.eod.Item ad liberti paterni vel auiti bonorum possessionem vocantur liberi qui sunt in adoptiua familia. l.patroni filia. D.eod. Itemq; concepti post mortem aui.l.Paulus.§.Paulus.D.de bon.libert.quæ tamen omnia in successione ingenuorum non obseruantur. B

Libertus duos patronos heredes instituit, alter eorum viuo liberto moritur, is qui superest, contra tabulas testamenti, bonorum possessionem rectè postulat.

Hanc sententiam deprauatam esse manifestissimum est. Nec enim institutis heredibus solet dari bonorum possessio contra tabulas. In quibusdam codicibus legitur, *duos patronos habere instituit*, malim, *duos patronos habuit, alter eorum viuo liberto moritur*, &c. Hic erit sensus, Si ex duobus patronis alter viuo liberto decesserit, ei soli qui superuixerit partis vtrique debitæ bonorum possessionem contra tabulas dari. l.communi.D.de bon.libert.quæ vti dispungenda sit, lib.1.Obser. ostendi cap.14. C

Libertorum hereditas in capita non in stirpes diuiditur: & ideo si vnius patroni duo sint liberi, alterius quattuor, singuli viriles, id est, æquales portiones habebunt.

Liberi patronorum hereditatem liberti inter se diuidunt in capita, nō in stirpes.l.si libertus præterito.§.vlt.D.de bon.libert.quod in ingenuorum successione non semper obseruatur.

Patronus, vel patroni liberi ex parte dimidia heredes instituti, æs alienum liberti pro portionibus exoluere cogantur. D

Patrono, liberis've patroni debetur semis bonorum ex lege Papia. Igitur si ex semisse patronus instituatur, satisfactum ei est. At necesse est vt pro semisse æs alienum exoluat. Nam bona deducto ære alieno intelliguntur. Credo sub hoc titulo etiam positam fuisse sententiam l.sicut. D.de iur.patr.& l.liberto per obreptionem.D.de bon.libert.

De lege Fabiana. TIT. III.

Lex pro edicto sumitur, vt in l.1.§.1.D.vnd.cogn.& apud Ciceronem Lex annua, apud Varronem Lex prætoria. E

EA quæ in fraudem patroni à liberto quoquomodo alienata sunt, Fabiana formula tam ab ipso patrono, quàm à liberis eius reuocantur.

Libertates datæ in fraudem patroni ipso iure nullæ sunt, id est, ex lege Ælia Sentia, auctore Vlpiano in fragm. Ceterarum rerum alienatio non prohibetur, sed rescinditur per actionem Fabianam siue Caluisianam, quæ etiam liberis patroni dantur.l.1.§.pen.D.si quid in fraud.patr.fac.fit.

De testamentis. TIT. IIII. F

TEstamentum facere possunt masculi post completum quartumdecimum annum, feminæ post duodecimum.

Masculi à quartodecimo anno, feminæ à duodecimo completo testamentum facere possunt. l.à qua ætate.D.qui testa.fac.poss.Pupilli igitur testamentum facere non possunt: Quod remissum olim fuit pupillis tribunis militum. l.vlt.C.de testam.mil.& à Constantino, pupillis profitentibus cœlibatum, auctore Sozomeno & Nicephoro. G

Spadones eo tempore testamentum facere possunt, quo pleriq; pubescunt, id est, anno decimooctauo.

Plenæ pubertati datus est annus decimus octauus.§.minorem.de adopt.Ea ætate spadones testamentum facere possunt, id est, castrati. Omnino enim numquam fuere prohibiti.l.6.D.de lib.& post.

A Sed hodie constitutum est,vt eunuchi exemplo ceterorum testamentum facere possint.l.eunuchis. C.qui testam.fac.poss.id est,anno XIIII.

Filiusfamilias, qui militauit de castrensi peculio tam cōmuni, quàm proprio,iure testamentum facere potest.Castrense autem peculium est, quod in castris adquiritur,vel quod proficiscenti ad militiam datur.

Filiusfamilias de castrensi peculio post missionem iure communi testatur,iure singulari in militia. Castrense autem peculium est quod occasione militiæ adquiritur. l.4.l.castrense. D.de castr. pecul.l.si filius.C.fam.ercisc.id Græci ἰδιόκτητον vocant: quasi castrense,οἱονεὶ ἰδιόκτητον, de quo etiam filiusfamilias ex constitutionibus liberè testari potest.
B

Cæcus testamentum facere potest, quia accire potest adhibitos testes,& audire sibi testimonium perhibentes.

Cæcus qui intelligit quid agatur,testamētum facere potest,quia testes accire potest.Sunt namq; acciendi,& rogandi testes ab ipso testatore. l.heredes.§.pen.D.qui test.fac.poss. Potest item audire sibi testimonium perhibentes, quos vtique vt exaudiat necesse est: vt in surdo apparet, qui etiam sublato testamento per æs & libram,ob eandem rationem testari non potuit.l.penult. D.vnde cog. Necesse,inquam,est exaudiri testes,cùm & ita eos testator appellet, *Vos Quirites testimonium perhibetote*, auctore Vlpiano in fragm.tit.20.lego, *perhibetote*,non, *præbitote*, ex Isidoro.Apuleius lib.11. de
C
Asin.aureo: Introductis quibusdam septem testibus obtestata fidem præsentium singula demonstrat anxiè,verba concepta de industria quodam tabulis prænotante:Ecce,inquit,nasus integer,incolumes oculi, saluæ aures, illibatæ labiæ, mentum solidum. Vos in hanc rem boni Quirites testimonium perhibetote. At,vt ad cæcum redeatur, his verbis Paulus ostendere voluit nihil esse quo cæcus testamētum facere prohibeatur. Et hodie cæco etiam licet testamentum facere ea forma quæ præscripta est in l.hac consultissima.C.qui testam.fac.poss.

Furiosus tempore intermissi furoris testamentum facere potest.

Furiosus iure testatus videtur,si eo tempore fecerit testamentum,quo furor eius intermissus est.
D §.furiosi.quib.non est perm.fac.testam.l.furiosum.C.qui testa.fac.poss.

Mulieri quæ luxuriosè viuit bonis interdici potest.

Meretrici bonis interdicitur. Extat hæc sententia in l.& mulieri.D.de cur.fur. quam ego in vno tantùm,sed eo tamen peruetusto codice scripto hoc loco positam inueni.

Moribus per prætorem bonis interdicitur, hoc modo: QVANDO TVA BONA PATERNA AVITA'QVE NEQVITIA TVA DISPERDIS, LIBEROS'QVE TVOS AD EGESTATEM PER-
E DVCIS, OB EAM REM TIBI EA RE COMMERCIO'QVE INTERDICO.

Quoniam is cui bonis interdictum est,testamentum facere non potest, ideo sub hoc titulo explicatur quemadmodum fiat bonorum interdictio per prætorem.Ait autem eam moribus fieri:alibi lege fieri dicitur. Sed cœpit à moribus primùm,deinde translata est in XII. tab.l.1.D.de cura.fur. M.Tul.in Cato.maiore.Vt quemadmodum,inquit,nostro more malè rem gerentibus patriis bonis interdici solet.Fit autem his verbis, *Quando tua bona paterna,auitaq́*,&c. Antea legebatur,*habita quæ*, pro,*auitaq́*. Sic in l.priuilegio.C.de decur.vbi pro, *assuetus*, veteres lib.habent, *habitus*, id est, auitus rectissimè: Hic enim est legis sensus, Auo decurione, patre milite, vel patre decurione, auo milite
F natum,curiam,vtrobiq; sequi potius quàm militiam. Sic Cic.de Senect. Arbitror te audire Scipio hospes tuus habitus Masinissa. scriptum enim est antiquo more habitus,pro,auitus: quod nec Gaza qui νομιζόμενος vertit, nec cæteri interpretes intellexerunt. Sic Valerius lib.VI. cap.Liberè dicta aut facta, de eodem Scipione loquens, Recens, inquit, ipsius victoria Numantina, & patris Macedonica, deuictæ Carthaginis spolia habita, ac duorum regum Siphacis & Persei ante triumphales currus catenæ, ceruices totius tunc fori clauserunt. Sic Tullij inscripta est oratio pro Cluentio, Habito, id est, Auito, vt Flor.est scriptum in l.Cicero.D.de pœn. Habitus enim si penultimam corripias, nomen Romanum non est. Sic Obser.1. ostendimus, *Habe*, scribi pro *Aue*. Sic in libro Ciceronis de Vniuersitate, *sin minus*, inquit, *id quod habemus animo consequimur*: quem locum nemo adhuc intellexit, aut repurgauit. Scribit autem, *habemus*, pro *auemus*. Item scripserat, *omnino*,
G quod his Græcis respondet πάντη πάντως, non *animo*. Error natus est ex his notis, αἴο, οἴο. Sed ad rem: neq; enim illud omittendum est,in quibusdam Codicibus hac in formula interdictionis pro, *ea re*, legi *are*: non omnino malè. Alij habent,*ab ea re tibi,commercioq́ interdico.*

Qui ab hostibus captus est, testamentum quasi seruus facere
n non

non poteſt. Sanè valet teſtamentum id quod ante captiuitatem factum eſt, ſi reuertatur, iure poſtliminij: aut ſi ibidem decedat, beneficio legis Corneliæ: qua lege etiam legitimæ tutelæ, hereditatesq; firmantur. A

Eius qui apud hoſtes eſt, teſtamentum quod ibi fecit, non valet: ſed quod dum in ciuitate fuerat, fecit, ſi redierit, iure poſtliminij, ſi ibi deceſſerit, ex lege Cornelia valet. §. vlt. quib. non eſt perm. fac. teſt. Quidam putant poſtliminium per errorem dixiſſe Impp. legem Corneliam in l. captum. c. de poſtl. & redemp. ab hoſt. ſed falluntur: quoniam ibi lex Cornelia non ad reuerſum filium, ſed ad patrem referenda eſt, qui deceſsit apud hoſtes. vt in l. vlt. C. quib. ex cau. maior. in integ. reſtit. At non tantùm teſtamentarias lex Cornelia, ſed etiam legitimas hereditates, tutelasq; confirmat. l. bona. in princ. D. de cap. & poſtl. l. 1. §. 1. D. de ſuis & legit. hered. B

In inſulam relegatus, & in opus publicum ad tempus damnatus, quia retinet ciuitatem, teſtamentum facere poteſt, & ex teſtamento capere.

In inſulam relegatus capite non minuitur, & ideo teſtamentum facere poteſt. l. eius. §. ſed relegati. D. qui teſtam. fac. poſſ. l. relegatorum. §. ſiue. D. de interd. & releg. Eademq; ratio eſt in opus publicum ad tempus dati. l. capitalium. §. ceteræ pœnæ. D. de pœn. quod malè Anianus de damnato in metallum ad tempus, interpretatur. Hic enim mediam capitis deminutionem patitur.

Plures quàm ſeptem ad teſtamentum adhibiti non nocent. Superflua enim facta prodeſſe, iuri tamen nocere non poſſunt. C

Plures quàm ſeptem teſtes in teſtamentis adhiberi poſſunt. l. heredes. §. 1. D. qui teſta. fac. poſ. Idque, licet ſuperfluum ſit, prodeſſe potiùs, quàm nocere debet. Iuri enim noſtro ſuperflua non nocent.

In aduerſa corporis valetudine mente captus, eo tempore teſtamentum facere non poteſt.

Ægrotus, qui non eſt in poteſtate mentis ſuæ, vt ferè fit in graui periculoſoq; morbo, teſtamentum facere non poteſt. Extat hæc ſententia in l. in aduerſa. D. qui teſtam. fac. poſſ. D

Prodigus recepta vitæ ſanitate ad bonos mores reuerſus, & teſtamẽtum facere, & ad teſtamenti ſollemnia adhiberi poteſt.

Prodigus cui moribus bonis interdictum eſt, nec teſtamentum facere, nec teſtis ad teſtamentum adhiberi poteſt. l. is cui. D. qui teſta. fac. poſſ. At ſanis moribus receptis, ſicut ipſo iure, deſinit eſſe in poteſtate curatoris. l. 1. D. de cur. fur. ita ſtatim & teſtamentum facere, & teſtis ad teſtamentum adhiberi poteſt.

Ex his qui ad teſtamentũ adhibentur, ſi qui ſint qui Latinè neſciant, vel non intelligant, ſed tamen ſentiant cui rei ſint adhibiti, non vitiant teſtamentum. E

Teſtamenta Latinè fiebant, vt oſtendi in fragm. Vlpiani tit. 25. Ex teſtibus autem ſi qui ſint qui Latini ſermonis cognitionem non habeant, nõ vitiatur teſtamentum, dummodo cui rei adhibeantur, intelligant. l. qui teſtamento. §. vlt. qui teſtam. fac. poſſ.

Condicionum duo ſunt genera: aut enim poſſibilis eſt, aut impoſſibilis. Poſſibilis eſt, quæ per rerum naturam admitti poteſt: impoſsibilis, quæ non poteſt. Quarũ altera ex euentu expectatur, altera ſubmouetur. F

Loquitur Paulus de condicionibus inſtitutionum, & poſsibilem expectari ait, impoſsibilem pro non ſcripta haberi. §. impoſsibilis. de hered. inſtit. definitq; poſsibilem ita, cui rerum natura impedimento non eſt, quominus exiſtat: contrà impoſsibilem, cui rerum natura impedimento eſt. §. ſi impoſsibilis. de inutil. ſtip.

Condiciones contra leges, & decreta principum, vel bonos mores, adſcriptæ nullius momenti ſunt, veluti, SI VXOREM NON DVXERIS, SI FILIOS NON SVSCEPERIS, SI HOMICIDIVM FECERIS, SI BARBARO HABITV PROCESSERIS, & his ſimilia. G

Vt impoſſ

A Vt impoſsibiles condiciones, ita quæ contra leges vel decreta principum, vel contra bonos mores ſunt, pro non ſcriptis habentur, nec institutioné extranei vitiant. l. condiciones. D. de cond. instit. At ſi filiusfamilias fuerit institutus ſub cōdicione impoſsibili, vel probroſa, vel legibus interdicta, in eo hæc primùm occurrit ratio, quæ efficit vt institutio non valeat, quia poteſtatiua condicio non eſt: qua ratione abrepta filius ab inteſtato rem vindicabit. l. filius. D. de cond. inſtit. & hæc eſt proximior ratio. Sequenti ratione, quod ſcilicet impoſsibilis ſit condicio, ſolus extraneus vtitur: qua fit vt perinde admittatur ac ſi purè inſtitutus eſſet. Hæ autem condiciones, SI VXOREM NON DVXERIS, SI FILIOS NON SVSCEPERIS, quarum hîc Paulus meminit, ſunt contra leges Iuliam & Papiam.

B Quotiens non apparet quis ſit heres inſtitutus, inſtitutio non valet. Quod euenit, ſi teſtator plures amicos vnius nominis habeat.

Si Titius heres inſtitutus ſit, & duo eiuſdem nominis amici teſtatores ſint, nec appareat de quo ſenſerit, neuter eſt heres. l. in tempus. §. 1. D. de her. inſtit.

Heredes aut inſtituti, aut ſubſtituti dicuntur. Inſtituuntur primo gradu: Subſtituuntur ſecundo vel tertio ſcripti.

Idem Modeſtinus ſcribit in l. 1. D. de vulg. & pup. ſubſt. ex qua maximè vellem hinc tolli verbum, *ſcripti*. At, vt Paulus ait, primo gradu eſt inſtitutus, ſecundo ſubſtitutus, tertio ſubſtituti ſubſtitutus:
C ſequentibus gradibus ſcripti, ſubſtituti etiam appellantur. Igitur inſtitutio eſt primi gradus, Subſtitutio eſt ſecundi gradus, vel ſequentium inſtitutio. Gaius ita definit in Inſtitutionibus, Secundi heredis inſtitutio. Et hoc etiam quaſi ambitu verborũ Paulus ſubſtitutionem ſignificauit in l. ex facto. §. Lucius. D. de vulg. ſubſt. Sed alia eſt ſubſtitutio ſecundi gradus, alia ſequentium: alia inſtitutionem, alia ſubſtitutionem ſequitur: illa definitur à Gaio, hæc non item.

Subſtituere quis purè & ſub condicione poteſt, & tam ſuis quàm extraneis, tam puberibus, quàm impuberibus.

Subſtitutio aut purè fit, aut ſub condicione. Purè ſic, SI PRIMVS HERES NON ERIT, SECVNDVS HERES ESTO: SI FILIVS MEVS HERES ERIT, ET INTRA PV-
D BERTATEM DECESSERIT, SEIVS HERES ESTO. Sub condicione hoc modo, SI PRIMVS HERES NON ERIT, SECVNDVS, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, HERES ESTO: SI TITIVS MIHI HERES ERIT, IDEM FILIO MEO IMPVBERI HERES ESTO. l. qui liberis. l. vlt. §. 1. D. de vulg. ſubſt. At Anianus hîc ſubſtitutũ purè eum eſſe interpretatur, cui datus non eſt ſubſtitutus. Contrà, eũ cui datus eſt ſubſtitutus, ſub condicione ſubſtitutum eſſe, & tertio gradu ſcriptum propriè ſcriptum appellari: quod totum apertè falſum eſt. Porrò Paulus ait, ſubſtitutionem tam ſuis fieri quàm extraneis, & tam puberibus, quàm impuberibus. Suis vel extraneis heredibus puberibus fit vulgaris: Suis impuberibus, vulgaris, aut pupillaris: Extraneis impuberibus vulgaris tantùm.

E In quot vult vncias teſtator hereditatem ſuam diuidere poteſt. Impleto aſſe, ſine parte heredes inſtituti ad prioris aſſis ſemiſſem æquis portionibus veniunt.

Aſsis diſtributio ſolet fieri in xij. vncias: poteſt tamen teſtator, vel in plures vel in pauciores vncias hereditatem diuidere. l. interdum. §. paterfamilias. D. de her. inſtit. At ſi aſſe expleto heredes ſine parte inſtituat, hi alium aſſem occupant, vel ad ſollemnem aſsis diſtributionem ratione reducta, ad prioris aſsis ſemiſſem æquis portionibus veniunt. Rectè notat Anianus ſecus eſſe ſi expleto aſſe ita ſcripſerit, EX RELIQVA PARTE ILLI HEREDES SVNTO. l. item quod. §. pen. D. de
F hered. inſtit.

Seruus alienus cum libertate heres inſtitutus, inſtitutionem non infirmat: ſed libertas, vt alieno, ſuperuacuè data videtur.

Si ſeruum alienum liberum & heredem eſſe iuſsi, hereditatis datio valet, libertatis datio nō valet, quoniã ſeruo alieno libertas inutiliter datur: ideoq; ſi is poſtea meus effectus ſit, neutrum valet, l. ſi alienum. D. de her. inſtit.

Filio & extraneo æquis partibus heredibus inſtitutis, ſi præterita adcreſcat, tantum ſuo auocabit quãtum extraneo. Si verò duo ſint filij in-
G ſtituti, ſuis tertiam, extraneis dimidiam tollit.

Filia præterita non infirmat teſtamentum, ſed ſcriptis heredibus adcreſcit, *ſuis in virilem, extraneis in dimidiam*, auctore Vlpiano in fragm. tit. 22. Theophilo in §. 1. de exhered. lib. Sed ſi vnà extraneus & ſuus heredes ſcripti ſint, eadem ratione ſingulis adcreſcit ad virilem: & ſi plures extranei,

 pluresq;

pluresq; sui,extraneis ad dimidiam,suis ad virilem. Item si duos filios,vnum extraneum,huic ad semissem,illis ad trientem. Sed hoc ius est à Iustiniano sublatum. A

Talis est postumorũ institutio, SI QVI POST MORTEM MEAM POSTVMI NATI FVERINT, HEREDES MIHI ESTOTE: si viuo eo nascantur,rumpunt testamentum.

Postumus qui institutus est ex iure antiquo,non videtur institutus ex lege Vellea: & contrà,qui est institutus ex lege Vellea,non videtur institutus ex iure antiquo.l.commodissimè.l.Gallus.§.forsitan.D.de lib.& postu.l.si pater filium. D.de vulg.subst. Sed hoc puto Iustinianum emendare in l. vlt.C.de post.her.inst. B

Nepos postumus, qui in locum patris succedere potest, ab auo aut heres instituendus est, aut nominatim exheredandus, ne agnascendo rumpat testamentum.

Suasit Gallus, ne rumperentur, vel irrita fierent testamenta, vt nepotes qui sunt in vtero nurus superstite filio,auus institueret,vel exheredaret: quoniam fieri potest vt viuo auo filius moriatur,ac deinde post mortem aui nato nepote præterito, vel rumpatur testamentum, vel irritum fiat.l.Gallus.D.de lib.& post. C

Qui semel constituit ad se hereditatem pertinere, aut se rebus eius immiscuit,repudiare eam non potest,etiam si damnosa sit.

Qui semel adiuit,pro herede gessit,aut miscuit se,postea abstinere nõ potest,nisi beneficio ętatis per restitutionem in integrum.§.extraneis.de hered.qual.& diff.l.sicut.C.de repud.her.

De S. C. Silaniano. TIT. V.

Hereditas eius,qui à familia occisus esse dicitur,ante habitam quæstionem adiri non potest,neque bonorum possessio postulari. D

Ex S. C. Silaniano domino occiso,de seruis qui sub eodem tecto fuerunt, nec domino auxilium tulerunt,quæstio habetur, suppliciumq; sumitur: nec antè,vt edicto prætoris comprehensum est,adiri hereditas, aperiri, recitari've tabulæ,aut bonorum possessio peti potest, quàm de eis quæstio ex S. C. habita, suppliciumq; sumptum sit.l.3.§.non tantùm.l.5.in princ.D.de S. C. Silania. Et hæc non tantùm si à familia,sed etsi ab alio dominus occisus dicatur.

Occisus videtur non tantùm qui per vim,aut per cædem interfectus est,velut iugulatus, aut præcipitatus, sed & is qui veneno necatus dicitur. Honestati enim heredis conuenit qualemcumq; mortem testatoris inultam non prætermittere. E

Occisi appellatione continetur,qui per vim,aut cædem interfectus est. Is autem qui veneno interemptus est,non pertinet ad S. C. Silanianum,etiam si quidam ex seruis venenum præbuerit. l.1. §.occisorum.D.de S. C. Silan.sed mors vindicatur ab herede.l.cùm fratrem.C.de his quib.vt indig.

Domino occiso, de ea familia quæstio habenda est, quæ intra tectum fuerit, vel certè extra tectum cum domino eo tempore quo occidebatur. F

Ad S.C. Silanianum hi etiam pertinent qui extra tectum, vt puta in itinere, cum domino fuerint cùm occideretur.l.1.§.cùm dominus.D.de S. C. Silan.& ꝟ.6.sententia.

Qui occisus dicitur,si constet eum sibi quoquomodo manus intulisse,de familia eius quæstio non est habenda, nisi forte prohibere potuit,nec prohibuit.

Si quis sibi manus intulerit,cessat S.C.Silanianum,puniẽdi tamen sunt serui qui cùm prohibere possent,non prohibuerunt:idq; heres defuncti exequetur.l.1.§.si sibi manus.D.de S.C.Silan. G

Neroniano Senatusconsulto cauetur,vt occisa vxore etiam de familia viri quæstio habeatur: idemq; vt iuxta vxoris familiam obseruetur,

si vir

A ſi vir dicatur occiſus.

De quæſtione familiæ facta ſunt plurima Senatuſconſulta, vt oſtendi lib.1. Obſer.cap.18. Id de quo agitur hoc in loco, Nerone A. I I. & Piſone Coſſ. factum eſt, in quo hoc inter cetera continetur, vt viro, aut vxore occiſa, perinde habeatur queſtio de vxoris aut de viri ſeruis, ac ſi eius, qui occiſus à familia dicitur, proprij eſſent ſerui. l.1.§.ſi vir. D.de S. C. Silan. Neronianum S. C. aliam in rem citatur ab Vlpiano in fragm.tit.de legat.

Serui, qui ſub eodem tecto fuerunt, vbi dominus perhibetur occiſus, & torquentur, & puniuntur, & ſi teſtamento occiſi manumiſſi ſint. Sed B & hi torquentur, qui cum occiſo in itinere fuerunt.

De his quoque ſeruis quæſtio habetur, ſuppliciumq; ſumitur, qui teſtamento manumiſsi ſunt, ſi vel ſub eodem tecto fuerint, vel extra tectum cum domino cùm occideretur. l.3.§.de his. D.de S.C. Silan. Idq; etiam S. C. Neroniano cautum fuiſſe Corn. Tacitus ſcribit, lib. X I I I.

Serui de proximo ſi cùm poſſent ferre auditis clamoribus auxilium domino, non tulerunt, puniuntur.

In S. C. Silaniano ſub eodem tecto hi etiam videntur fuiſſe, qui in proximo fuerunt, & clamores exaudierunt, nec ad auxilium ferendum accurrerunt. l.1.§.eodem. D.de S. C. Silan.

C Seruos, qui in itinere circundatũ à latronibus dominum per fugam deſeruerunt, apprehenſos & torqueri, & ſummo ſupplicio affici placuit.

Cùm dominus in itinere eſt occiſus, de his qui cum domino erant, & profugerunt vltimum ſupplicium ſumitur. l.1.§.cùm dominus. D.de S. C. Silan.

Habetur de familia quæſtio & ſi heres teſtatorem occidiſſe dicatur: nec intereſt, an extraneus, an ex liberis ſit.

Si heres teſtatorem occidiſſe dicatur, de ſeruis queſtio habetur in caput heredis. Idq; veriſsimum D eſt ſi extraneus heres ſit, quia nondum dominus eſt. Sed & in neceſſario herede, licet ſtatim ipſo iure heres exiſtat, idem Paulus admittit: & hoc planè caſu ſeruus in caput domini torqueri videtur. l.& ſi certus.§.1.de S. C. Silan.

Omnibus qui contra voluntatem defuncti faciunt, vt indignis aufertur hereditas, ſi nihil teſtamento in fraudem legis fuerit cautum.

Si heres nõ pareat legitimæ voluntati teſtatoris, ei hereditas aufertur, quaſi indigno, & ad fiſcum pertinet. Et hoc olim obtinuiſſe verum eſt. l.vlt.§.vlt.C.de fideic. Excipitur cauſa ſepulturę ab Alexãdro in l.5.C.de his quib.vt indig. quam legem eundem Alexandrũ intelligere arbitror in l.5.C.de relig. & ſump. fun. dum ait, Ne ob neglectam defuncti voluntatem circa faciendum monumentum E bona fiſco deferantur, præteritis conſtitutionibus cautum eſſe: Idemq; porrectum fuiſſe videtur ad omnes alias cauſas Iuſtiniani temporibus, vt argumento eſt l.ſi quis in ſuo.C.de inoffic.teſtam. At ex Nou.1. eiuſdem Iuſtiniani, expellitur quidem heres ab hereditate, non tamen quaſi indignus. Ait, *Si nihil teſtamento in fraudem legis fuerit cautum.* Exemplo ſit P. Sextilius Rufus qui voluntati defuncti prætulit legem Voconiam, vt Cicero narrat in 2.de finib.

Siue falſum ſiue ruptum, ſiue irritum dicatur eſſe teſtamentum, ſalua eorum diſceptatione, ſcriptus heres iure in poſſeſſionẽ mitti deſiderat.

F Heres ſcriptus in poſſeſsionem mittitur ex edicto Diui Adriani, etiam ſi falſum, ruptum, aut irritum teſtamentum eſſe dicatur, ſaluo eorum iure. l.vlt.C.de codicil. l.2.C.de edic. Diui Adr.tol. l.quiſquis.C.quorum appel.non rec.& Nou. Valentiniani De teſtam. Hodie non ex edicto Adriani, ſed ex conſtitutione Iuſtiniani in poſſeſsionem miſsio fit. l.3. C.de edic. Diui Adria.tol. Et ideo cùm in d.l. vlt.& l.quiſquis. in C.Theodoſij additum eſſet, *ex edicto D. Adriani,* ea verba in ſuo Codice Iuſtinianus ſubtraxit. Idem factum opinor in l.filiam. D.ad Trebel. Ex edicto D.Adriani miſsio anno finiebatur: ex conſtitutione Iuſtiniani eſt perpetua. Ex edicto D.Adriani ab herede ſcripto viceſima pars hereditatis fiſco præſtabatur: ex conſtitutione Iuſtiniani non præſtatur.

Si inter heredem inſtitutum & ſubſtitutum controuerſia ſit, magis G placuit eum in poſſeſſionem rerum hereditariarũ mitti, qui primo loco ſcriptus eſt.

Si inter inſtitutum & ſubſtitutum ſit controuerſia de hereditate, ex edicto D. Adriani, interim inſtitutus mittetur in poſſeſsionem potius, quàm ſubſtitutus l.1.C.de edic.D.Adr.tol.

Scriptus heres vt statim in possessionem mittatur iure desiderat, Hoc post annum impetrare non poterit. A

Ex edicto D. Adriani post annum scripti heredes in possessionem rerum hereditariarum non mittuntur. Quod & in sua constitutione Iustinianus indicat illis verbis, *siue enim post annale tempus.*

In eo testamento heres scriptus, quod nec vt oportuit, oblatum, nec publicè recitatum est, in possessionem mitti frustra desiderat.

Non fit misio ex edicto D. Adriani, nisi, vt etiam Iustiniani constitutione cauetur, testamentum ostendatur non cancellatum, neque abolitum, neque ex quacumq; suæ formæ parte vitiatum: Sed quod prima figura, id est, prima specie, siue prima inspectione sine omni vituperatione appareat, & depositionibus testium legitimi numeri vallatum sit. l. 3. C. de edic. Diu. Adria. tol. Præterea publicè recitatum testamentum vt sit, omnimodo exigimus. B

In possessionem earum rerum, quas mortis tempore testator non possedit, heres scriptus priusquam iure ordinario experiatur, improbè mitti desiderat.

Ex edicto D. Adriani in earum tantummodo rerum possessionem heres scriptus mittitur, quas testator possedit mortis tempore: quod & ex Constitutione Iustiniani locum obtinet. Ceteras verò non ante nanciscitur, quàm petitione hereditatis egerit, & vicerit. C

De legatis. TIT. VI.

PEr præceptionē vni ex heredibus nummi legati qui domi nō erant, officio iudicis familiæ erciscundæ à coheredibus præstabuntur.

Si vni ex heredibus pecunia quæ domi relicta non est, prælegata sit, à coheredibus perinde præstabitur officio iudicis familiæ erciscundæ, atque si in hereditate inuenta esset. l. heredes. §. vlt. & l. prox. D. fam. ercisc. D

Ante heredis institutionem legari nō potest: inter medias heredum institutiones, siue alter siue vterq; adeat, potest.

Olim inter medias institutiones legari poterat, ante institutiones non item. Hodie æquè ante institutiones, atque inter medias institutiones rectè legatur, ex constitutione Iustiniani. §. ante heredis. de legat.

Interdum dimidium, interdum totū debetur legatariis. Dimidium, si per vindicationem legatum sit, totum si per damnationem. E

Vulgò hæc sententia superiori perperam coniuncta est: ego disiunxi vt sensum conseruarem. Et cùm in vno codice, *totum legari*, in altero, *totum debetur*, scriptum legeretur, vtrumque coniungens ita hunc locum restitui, *interdum totum debetur legatarijs*. Et hoc est quod Vlpianus in fragm. tradit, tit. 24. His quibus per vindicationem legatum est disiunctim, singulis partes (vt eo loco emendauimus) deberi: his autem quibus per damnationem legatum est disiunctim, singulis solidum deberi.

Communi seruo cum libertate, & sine libertate legari potest, totumq; legatum socio testatoris adquiritur. F

Seruum communem vel quasi proprium cum libertate, vel quasi alienum sine libertate heredem instituere, itemq; ei legare possumus. Si tamen cum libertate id fiat, totus iure adcrescendi ad socium pertinebit, iure Iustiniani liber & heres erit. §. vlt. de donat. Quòd si prætermissa libertate id fiat, communis erit seruus inter heredem & socium testatotis: hereditas autem, vel legatum soli socio adquiretur. l. verum. §. si seruo. D. pro soc. l. Plautius. D. ad leg. Falc. Nam propter partem socij hereditas vel legatum valet, vt Vlpianus ait in fragm. tit. 22. Idemq; in fideicommisso, & in donatione seruatur: non tamen in promisione vt Accurs. notat rectè.

Post mortem heredis legari non potest, quia nihil ab herede heredis relinqui potest. G

Ideo post mortem heredis non rectè legatur, ne ab herede heredis legari videatur, quod regula iuris non patitur. Cuius illa videtur fuisse ratio, quam hîc Anianus exponit, quia illequi heres relinquit

A linquitur, quem sit heredem habiturus incertum est. l. sciendum. D. de verb. sign. At hæc Iustinianus emendauit. §. post mortem. de lega.

In mortis tempus tam sua, quàm heredis eius legata confirmari possunt, hoc modo: LVCIO TITIO CVM MORIETVR, DO LEGO, AVT, HERES MEVS DARE DAMNAS ESTO.

Legendum reor, *in tēpus mortis tam suæ, quàm heredis eius legata conferri possunt. Suæ,* id est, legatarij, vt ex apposito exēplo colligitur. l. heres meus. D. de cōd. & dem. *Eius,* id est, testatoris. Ergo licet post mortem heredis legari non posit, in mortis heredis tempus legari potest. Sed & in tempus mortis
B legatarij rectè legatur. Hîc quoque perperam legebatur *damnes*, pro *damnas*: quem errorem Alciatus secutus est lib. III. παρέργων. Ceterùm Latini semper dixêre damnas, non damnes, etiam in multitudinis numero. l. nomen. §. I. D. de lega. lib. II. l. ciuitatibus. §. I. D. de lega. lib. I.

Per vindicationem legatum, etsi nondum constituerit legatarius ad se pertinere, atque ita post apertas tabulas ante aditam hereditatem decesserit, ad heredem suum transmittit.

Legati puri ex lege Papia dies cedit ex apertis tabulis, licet nondum sit adita hereditas: & ideo si legatarius post apertas tabulas, etiam nondum agnito legato decesserit, ad heredem eius transit le-
C gatum. Agnitione adquiritur, id est, si constituerit legatarius ad se pertinere. Defertur ex apertis tabulis, & transmittitur. Hodie defertur ex die mortis, restituto iure antiquo, vt in constitutione de caduc. tollen. Iustinianus tradidit. Quia verò hîc ait, *per vindicationem,* forsitan non idem obtinuit in legato damnationis.

Si res obligata creditori, cuius causam testator non ignorat, per damnationem legata sit, luitio ad heredis sollicitudinem spectat.

Si sciens testator rem pignori obligatam per damnationem legauerit, eius rei luitio ad heredem spectat. §. sed etsi rem. de lega. Hanc sententiam sic Anianus interpretatur, vt si creditori debi-
D tor pignus legauerit, non prohibeatur creditor debitam pecuniam ab heredibus debitoris exigere. Quod etsi verum sit. l. creditorem. D. de lega. lib II. non tamen verbis Pauli vllo modo conuenit. Scripsi, *luitio*, ex editione Parisiensi, quamquam Basil. habeat, *solutio*.

Seruo fataliter interempto, legatarij damnum est: quia legatum nulla culpa heredis intercidit.

Si seruus legatus fato intereat, legatario decedit. Si heredis facto, heredi. §. si res legata. de lega.

Damnari heres potest, vt alicui domum extruat, aut ære alieno eum
E liberet.

Rectè ita legatur, DAMNAS ESTO HERES EIVS DOMVM REFICERE, VEL ILLVM ÆRE ALIENO LIBERARE. §. sed & tale legatum. de lega. quod vindicationis modo fieri potest.

Sinendi modo tam corporales res, quàm quæ in iure consistunt legari possunt: & ideo debitori id quod debet rectè legatur.

Prima hæc verba, *sinendi modo*, mihi valde suspecta sunt, mallemq; ita generaliter proponi sententiam, *Tam corporales res, quàm quæ in iure consistunt, legari possunt: & ideo debitori id quod debet rectè*
F *legatur.* vt in §. tam autem. de lega. Eadem ratione quod debetur testatori, alteri legari potest: qua in re omne legandi genus receptum est.

Eius rei quæ legata est, exemplo heredis partem agnoscere, partem repudiare legatarius non potest.

Vt heres partem hereditatis adire, partem repudiare non potest. l. I. D. de adq. her. ita legatarius pro parte agnoscere, pro parte repudiare legatum non potest. l. legatarius. D. de lega. lib. I.

Legatum nisi rei certæ sit, & ad certam personam deferatur, nullius est momenti.

G Vt incertæ personæ frustra legatur. §. incertis. de lega. ita res incerta. l. cùm post. §. gener. D. de iur. dot.

Si quis sibi & Titio legatum adscripserit, magis est, vt totum lega-

tum ad coniunctum pertineat.

Si quis seruo communi legatum adscripserit, Marcellus ad Iulianum notat socio nihil deberi, quia serui nomen pro non scripto habetur. At si quis sibi & Titio adscripserit, cùm facillimè quæri posse Iulianus scripsisset quantum Titio adquiratur, nihil de eo Marcellus adiecit: credo, quia Titij nomen non circumscribi, & ideo Titio totum deberi certum erat. vt hîc Paulus ait. Videnda est l. filius. §. sequens. D. ad leg. Cor. de fal.

Qui se filio testatoris impuberi tutorem adscripsit, vt suspectus à tutela remouendus est, ad quam vltro videtur affectasse. B

Suspectus est is, qui se filio testatoris tutorem adscribit, & ideo remouendus est. Exposita pleniùs est hæc sententia in l. vxori. §. 1. D. ad leg. Cor. de fal.

Rem legatam testator si postea pignori vel fiduciæ dederit, ex eo voluntatem mutasse non videtur.

Qui post testamentum rem legatam pignori vel fiduciæ dedit, ademisse legatum non videtur. l. 3. C. de lega. §. si rem suam. Instit. eod. tit.

Vsusfructus vniuscuiusque rei legari potest, & aut ipso iure constituetur, aut per heredem præstabitur. Ex causa quidem damnationis per heredem præstabitur, ipso autem iure per vindicationem. C

Omnium rerum vsusfructus legari potest ex S. C. l. vsufructu. D. ad leg. Falc. Et ipso iure constituitur, si per vindicationem relictus sit: heredis facto, si per damnationem. Igitur ipso iure, id est, sine heredis facto. Alibi traditur ipsum vsumfructum aut ipso iure constitui, id est, ciuili iure: aut tuitione Prætoris. l. 1. D. quib. mod. vsusfr. amit. l. si vsusfructus. §. illud sciendum. D. vsufr. quem. cau.

Furiosi, & ægrotantis, & infantis vsusfructus vtiliter relinquitur. Horum enim alius resipiscere, alius conualescere, alius crescere potest. D

Nemo dubitat quin furioso, ægrotanti, infanti vsusfructus legatum relictum statim valeat, non expectata resipiscétia, aut sanitate, aut maiori ætate legatarij. Sed furiosi, ægri, infantis an possit vsusfructus legari, dubitari potest, quia interim nullus est. l. si infantis. l. arboribus. §. de illo. D. de vsufr. Verùm incipiet si furiosus resipuerit, æger conualuerit, infans creuerit. Itaq; legendum hoc in loco sic esse censeo, *Furiosi, & ægrotantis, & infantis*, non, vt antea, *Furioso & ægrotanti & infanti*. Et hoc indicat vetus interpretatio, cuius hæc sunt verba: vsusfructus quidem in furioso, & ægrotáte, & infante vtiliter relinquetur.

Ancillæ vsufructu legato, partus eius ad fructuarium non pertinent.

Partus non est in fructu. Scripsimus de hac Pauli sententia in l. 4. D. de vsurp. & vsucap. E

Gregis vsufructu legato, grege integro manente, fetus ad vsufructuarium pertinent.

Vulgò ad finem huius sententiæ hæc adduntur verba *saluo eo vt quidquid gregi deperierit, ex fetibus impleatur*, quæ illorum, *grege integro manente*, quia interpretatio sunt, ideo subtraximus. l. vetus. §. vlt. D. de vsufr.

Areæ vsufructu legato, ædificia in eo constitui non possunt.

Non potest dominus in area ædificium ponere, si areæ vsusfructus legatus & concessus sit. l. 7. §. hac ratione. D. de vsufr. ne vsusfructus extinguatur. F

Accessio alluuionum ad fructuarium fundum, quia fructus fundi non est, non pertinet: venationis verò & aucupij reditus ad fructuarium pertinet.

Fundi vsufructu relicto vel concesso, venationis quidem & aucupij reditus ad fructuarium pertinet. l. item si fundi. §. aucupiorum. D. de vsufr. At accessionem alluuionis non pertinere Paulus ait, quoniam hæc accessio ex ipso fundo non est. Sed ab eo dissentit Vlpianus in d. l. item si fundi. §. huic vicinus. G

Seruos neque torquere, neq; flagellis cædere, neque in eum casum facto suo perducere vsufructuarius potest, quo deteriores fiant.

Fructuarius modicam castigationem habet: torquere autem seruum, vel flagellis cædere, vel alias

A aliàs deteriorem facere non poteſt.l.locum.§.1.l.ſed ſicuti.in fin.D.de vſufr.

Fructu legato ſi vſus non adſcribatur, magis placuit vſumfructum videri adſcriptum.Fructus enim ſine vſu eſſe non poteſt.

Legato fructu videtur legatus vſusfructus:Nam ſine vſu eſſe fructus non poteſt.l.per ſeruum.§. vſusfructus.D.de vſu & habit.

Si alteri vſus, alteri fructus legatus ſit, fructuarius, in vſum concurrit:quod in fructu vſuarius facere non poteſt.

B Si tibi vſus,mihi fructus legatus ſit,concurrimus in vſum, atque ita re coniuncti ſumus:ego ſolus fructum habeo.l.per ſeruum.§.pen.D.de vſu & habit. At ibidem oſtenditur interdum fructum ſine vſu inueniri,vt in hac ſpecie,Titius à me fundi vſum Primo legauit,ego fructum Secundo, fieri non poteſt vt Secundus in vſum concurrat: nec enim potui vſum transferre in Secundum quem Primo Titius in ſolidum legauit. Igitur Secundus in eo fundo habitare non poterit, & ab vſuario illò venire prohibebitur, niſi ad fructus percipiendos veniat, quia fructum ſine vſu habet, quod ſummè notandum eſt.

Cùm coniunctim duobus vſumfructum do lego, legatum altero mortuo,ad alterum in ſolidum pertinebit.

C Duobus legato vſufructu,vno mortuo alteri totus debetur.Nam poſt adquiſitionem ius adcreſcendi in vſufructu durat.l.1.§.interdum.D.de vſufr.adcr.

Vſufructu legato,de modo vtendi cautio à fructuario ſolet interponi:& ideo perinde omnia ſe facturum,ac ſi optimus paterfam.vteretur, fideiuſſoribus oblatis cauere cogetur.

In lib.1.tit.10.dixit vſufructuarium cauere,ſe perinde vſurum,atque ipſe paterfam.id eſt,proprietatis dominus vteretur.In hoc loco ait,ſe perinde vſurum, atque optimus paterfam.vteretur. Alibi eum cauere boni viri arbitratu ſe vſurum fruiturum.l.vlt.D.vſufr.quemad.cau.

D Vſusfructus amiſſus ad proprietatem recurrit. Amittitur autẽ quinque modis,capitis minutione, rei mutatione, non vtendo, in iure ceſſione,domini comparatione.

Amiſſus vſusfructus reuertitur ad proprietatem.§.vlt.de vſufr.Amittitur autem quinque modis, vt Paulus ſcribit. Seruitutes capitis minutione, rei mutatione non amittuntur: at confuſione prædiorum,vel comparatione dominij,& non vtendo,& ceſsione amittuntur.

E Capitis minutione amittitur, ſi in inſulam fructuarius deportetur, vel ſi ex cauſa metalli ſeruus pœnæ efficiatur, aut ſi ſtatum ex adrogatione,vel adoptione mutauerit.

Vſusfructus non tantùm maxima & media capitis minutione amittitur, ſed etiam minima, veluti emancipatione,adrogatione, adoptione. Ex conſtitutione Iuſtiniani vſusfructus minima capitis minutione non amittitur.l.pen.C.de vſufru. Adoptione certè tantum abeſt vt amittatur, vt neq; morte,neque maxima capitis minutione filij vſusfructus patri adquiſitus intereat.l.vlt.C.eod.

Non vtendo amittitur vſusfructus,ſi poſſeſſione fundi biennio fructuarius non vtatur,rei mobilis anno.

F Ex iure antiquo vſusfructus rei mobilis anno,rei immobilis biennio,ex conſtitutione Iuſtiniani rei mobilis triennio, rei immobilis decennio inter præſentes, vicennio inter abſentes non vtendo amittitur.l.pen.C.de ſeruit.& aq.

Rei mutatione amittitur vſusfructus, ſi domus legata incẽdio conflagrauerit,aut ruina perierit,licet poſtea reſtituatur.

Rei mutatione amittitur vſusfructus,vt ſi domus legata,id eſt,cuius vſusfructus legatus eſt,corruerit, vel exuſta ſit.l.repeti.§.rei. D. quib.mod.vſusfr.amit, nec reſtituta domo reſtituitur vſusfructus.l.quid tamen.§.pen.D.eod.quoniam.alia domus eſt: qua in re diſtat vſusfructus à ſeruitute.l.

G ſeruitutes.§.ſi ſublatum.D.de ſeru.vrb.

In rure ceſſione amittitur vſusfructus quotiens domino proprietatis eum fructuarius in iure ceſſerit.

Vſusfr

Vſusfructus proprietario in iure cedi poteſt:ſed & ceſſus extraneo ad proprietarium reuertitur. A
l.ſi vſusfr.D.de iur.dot.De quinto modo amittendi vſusfructus,nihil adiicit, ſed hic notus eſt ex §.finitur.de vſufr.quo in loco Conſolidatio appellatur.

Finitur vſusfructus aut morte,aut tempore. Morte,cùm vſufructuarius moritur.Tempore, quoties ad certum tempus vſusfructus legatur, velutbie nnio,aut triennio.

Differentiam facit Paulus inter amittere,& finiri.Quinque modis amitti vſumfructum oſtendit: nunc duobus modis finiri,morte fructuarij,& tempore,in quod vſusfructus conſtitutus eſt: quod
in ſeruitutibus locum non obtinet.Nam neq; morte eius,cuius prædio ſeruitus debetur,neq; tem- B
pore in quod conſtituta eſt,ſeruitus ipſo iure finitur.

Fundo,vel ſeruo legato,tam fundi inſtrumentum,quàm ſerui peculium ad legatarium pertinet.

Mirum eſt quod ait, ſeruo legato,& peculium deberi: hoc enim pugnat cum l.ſi legatus.D.de pecul.lega. Nec niſi cum ordinario vicarius legatur, vllo alio caſu reperias peculium ad legatarium pertinere. Sed ordinario in teſtamento manumiſſo, & peculiari ſeruo, id eſt, vicario ſuo ei legato, plenius legatum accipimus,vt & vicarij peculium contineatur,reliquum ordinarij peculium ei non
debeatur.l.6.§.vicario.D.eod. Mirum eſt etiàm quod ait Fundo legato, & inſtrumentum deberi: C
Hoc enim manifeſtò pugnat cum l.vlt.D.de ſup.leg.

Quærendorum fructuum cauſa eſſe videntur,qui opus ruſticum faciunt,& monitores,& villici, & ſaltuarij, item boues aratorij,aratra, bidentes, & falces putatoriæ, frumentum quoque ad ſementem repoſitum.

In fundi inſtrumento ea ſunt, quæ fructuum quærendorum, cogendorum, conſeruandorum cauſa parata ſunt.Quærendorum,veluti agricolæ, villici, monitores, ſaltuarij, & cetera quæ conti-
nentur in l.inſtrumento. D.de inſtr. vel inſtr.leg. Notandum eſt quod ait frumentum ſerendi cau- D
ſa repoſitum, in fundi inſtrumento eſſe, quærendorum fructuum cauſa.l.quæſitum.§.1.D.eod.tit. Et quod de ſaltuario, qui tamen conſeruando fructui deſeruire videtur, d.l. in inſtrumento, in fin. Sed hîc cuſtodem finium ſignificat, cuius interuentu interdum opera ruſtica fiunt.l.quæſitum.§. ſaltuarium.D.eod.

Cogendorum fructuum cauſa comparata inſtrumento cedunt, velut corbes,aluei,falces meſſoriæ,& fœnariæ,item molæ oliuariæ.

Eadem habentur in d.l.in inſtrumento, niſi quòd hîc additur etiam alueos, & molas oliuarias cogendorum fructuum cauſa haberi,de quibus in l.ſi reditus,& l.cùm fundus.eod.tit.

Conſeruandorum fructuum cauſa comparata, inſtrumento ce- E
dunt,velut dolia,cupæ,vehicula ruſtica, cibaria, piſtores, aſini, focariæ, item ancillæ quæ veſtimenta ruſticis faciunt: ſcotra quoque, & ſutor continebuntur.

In inſtrumento conſeruandi fructus cauſa comparato hæc ſunt,dolia,cupæ. d.l.in inſtrumento. item vehicula.l.quæſitum.§.conſeruandi.D.eod.item cibaria ruſtica,& piſtores familiæ ruſticæ cauſa parati,& aſini machinarij,& lanificæ,& focariæ. Quidam habent, *ſoccariæ*: ſed *focariæ* rectiſsimũ eſt,vt in d.l.quæſitum.§. Trebatius, & §.prox.& l.ſi ita teſtamento.eod.tit.l.2.C.de don.int.vir.&
vxor.l.3.C.de cond.inſ.item ſcotra,inquit, & ſutor continebuntur.Scotra,ſiue ſcrota, ſunt τὰ σαθρὰ F
τῶν ὑποδυμάτων.

Vxores eorum qui operantur,magis eſt,vt inſtrumento cedant. Pecora quoque,& paſtores eorum ſtercorandi cauſa parata, inſtrumento continentur.

Inſtrumenti legato cedunt contubernales eorum, qui opus ruſticum faciunt ex coniectura voluntatis,ne dura ſeparatio inducatur.l.quæſitum.§.vxores.D.de inſtr.vel inſtrum.leg. Item pecora fundi ſtercorandi cauſa parata, & paſtores, qui eius generis pecora curant.l.cùm quæreretur.§.vlt.
D.de leg.lib.III. Pecora autem paſcendi cauſa parata,vt ex eis fructus capiantur, inſtructo quidem G
cedunt.l.2.C.de verb.ſign.ſed non inſtrumento.l.de grege.D.de inſtr.vel inſtrum.leg. Proinde latius eſt inſtructi,quàm inſtrumenti legatum.

Ea autem,quæ cuſtodiæ magis cauſa, quàm ad vſus patri sfamiliæ eò delata

A delata sunt, instrumenti nomine non continentur.

Ea quæ paterfam. in fundum custodiæ causa transtulit, non vsus sui gratia, proculdubio instrumenti non sunt: sed neque instructi sunt. l. quæsitum. §. sed si fundus. D. de instr. vel instrum. leg. l. 1. C. de verb. sign.

Vxores eorum, qui mercedes præstare consueuerunt, neque instructionis, neque instrumenti appellatione continentur.

Contubernales eorum, qui in mercedem mittuntur, neque instrumenti, neque instructi sunt. Putem & eos qui mercedes præstant, instrumento non contineri, arg. l. quæsitum. §. si aliqua parte.
B l. si mancipia. §. vlt. D. de instruc. vel instr. leg. At instructo certè non minus continetur, quàm pecora ideo comparata, vt ex eis fructus capiatur. Et hac quoque in re plenius est instructi quàm instrumenti legatum.

Piscationis, & venationis instrumentum ita demum instrumento fundi continetur, si ex his maximè fundi reditus cogatur.

Instrumenti legato cedunt piscationis, & venationis instrumenta, si ex his maximè fundi reditus constet. d. l. quæsitum. §. si in agro.

C Fructus percepti instrumento fundi ita demum cedunt, si ibidem absumi à testatore consueuerunt.

Fructus ex fundo percepti instrumenti legato non cedunt, nisi à testatore consumi soleant in vsum fundi, vt puta, in semina, vel alimenta cultorum. Sed & instructo hi tantùm fructus continentur, quos in suum, vel fundi vsum ibidem consumere testator solet. d. l. quæsitum. §. Celsus. l. 1. C. de verb. sign.

Fundo cum omni instrumento rustico, & vrbano, & mancipiis quæ ibi sunt legato, semina quoque & cibaria debebuntur.

D Fundo cum omni instrumento legato, semina debentur, & cibaria cultorum. d. l. quæsitum, in princ. l. cùm de lanionis. §. item cùm fundus. D. eod. Sed & cibaria, quæ ipsius patrisfam. causa parata sunt contineri puto: quoniam plenissimum est legatum, *Cum omni instrumento rustico & vrbano.*

Fundo cum omni instrumento rustico, & vrbano, & mancipiis quæ ibi sunt legato, tam supellex, quàm æramentum, itemq; argentum, & vestes, quæ ibi paterfam. instruendi gratia habere solet, debebuntur. Item ea mancipia, quæ vsui patrifamilias esse solent. Itemque aues & pecora
E quæ instruendarum epularum gratia in fundo comparata sunt, exceptis his quæ ibi custodiæ causa deposita sunt.

Instrumento fundi legato, supellex non continetur. d. l. quæsitum. §. supellex. Sed & si villæ instrumentum legatum sit, supellex non debetur: idq; verius esse Alphenus ait in l. villæ. D. de instruc. vel instr. leg. Ab eo enim Paulus dissentit in l. si mancipia. §. vlt. D. eod. At instructo etiam supellex, & æramentum, & aurum, & argentum, & vestis, & homines patrisfam. & aues, & pecora, instruendarum epularum patrisfam. gratia comparata, continentur, vt latius explicatur in d. l. quæsitum: non etiam ea, quæ in apothecis, aut promercij causa habentur. Hæc autem verba, *Cum omni instrumento rustico & vrbano*, instructi plenam significationem continere hæc Pauli sententia de-
F monstrat.

Fundo legato VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, retia apraria, & cetera venationis instrumenta continebuntur: quod etiã ad instrumentum pertinet, si quæstus fundi ex maxima parte in venationibus consistat.

Si fundum ita legauerit, VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, etiam venationis instrumenta omnia debentur. Quòd si hoc modo, FVNDVM CVM INSTRVMENTO, non aliter venationis instrumenta debentur, quàm si maximè fundi reditus ex venatione consistat.
G Hinc adnotanda est vis horum verborum, VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE EST. Extat hæc eadem Pauli sententia, in l. fundo legato. D. de instruc. vel instr. leg.

Fructus, qui solo cohærebant mortis testatoris tempore, ad legatarium pertinent: antè percepti, ad heredem.

Lega

Legato fundo, non debentur legatario fructus ex eo percepti viuo testatore, nisi, vt superius dictum est, fundi quoque instrumentum legatum sit, ibique fructus absumi à testatore consueuerint. Fructus autem qui solo cohærebant mortis testatoris tempore, omnimodo ad legatarium pertinent, quia pars fundi esse videntur. Hoc tamen interpretes quidam non admittunt, & mouentur l. 9. D. ad leg. Fal. omnino malè. Nam lex non de fundo legato, sed de fundo hereditario tractat, cuius fructibus stantibus mortis tempore augeri hereditatem ait. Alij autem fructus post mortem testatoris obuenientes, quos vel heres percepit, vel legatarius pecipere potuit, legatario non debentur, nisi mora intercesserit. l. vltim. C. de vsur. & fruc. leg. l. cùm seruus. §. fructus. D. de lega. lib. 1. A

Fundo legato cum mancipiis & pecoribus, & omni instrumẽto rustico & vrbano, peculium actoris ante testatorem defuncti, si ex eodem fundo fuerit, magis placet ad legatarium pertinere. B

Hic sermo *Cum mancipijs, pecoribus, omni instrumento rustico & vrbano*, ad instructum refertur. Ex eo igitur non tantùm villici, & mancipia debentur, sed etiam res omnes, & pecora, fundi vel ipsius patrisfam. gratia comparata, & peculia. l. Seiæ. §. prædia. D. de instruc. vel instr. leg. non superstitum modò, verùm etiam ante testatorem defunctorum: quia hoc sermone sic omnia, quibus instructus est fundus, legantur, vt alia aliis vice accessionis non cedant. Extat hæc eadem Pauli sententia in l. fundo legato. D. de instruc. vel instr. leg.

Actor vel colonus ex alio fundo in eodem constitutus, qui cum omni instrumento legatus erat, ad legatarium non pertinet: nisi eum ad ius eius fundi testator voluerit pertinere. C

Fundo legato instructo, vel cum omni instrumento, non debentur omnes serui qui in eo fundo sunt. Nec enim debentur hi qui alij fundo parati sunt, si in eo mortis tempore inueniatur. l. Seiæ. §. idem quæsiit. l. quæsitum. §. Pap. quoq; prædiis. D. de instruc. vel instr. leg.

Adiunctiones, quas fundo legato testator ex diuersis emptionibus applicauerat, legatario cedere placuit. D

Appellatione fundi, comparati adiectiq; agelli fundi causa, legati videntur. d. l. Seiæ. §. tyrannæ.

Instructo prædio legato, fabri ferrarij, item lignarij, putatores, & qui instruendi fundi gratia ibidem morabantur, legato cedunt.

Fundo instructo legato, fabri ferrarij vel lignarij & putatores, & generaliter qui fundi causa ruri morantur, legato continentur. Hæc eadem legato fundo cum instrumento, contineri satis constat ex l. quæsitum. & l. cùm de lanionis. §. de putatoribus. eod. In Basil. editione pro, *lignarij*, legitur *tignarij*: ego Parisiensem secutus sum. Gaius in l. ferri. D. de verb. sign. Fabros, inquit, lignarios dicimus non eos dumtaxat qui ligna dolant, sed omnes qui ædificant. E

Instructo fundo legato libri quoque, & bibliothecæ quæ in eodem fundo sunt, legato continentur.

Instructo fundo & bibliotheca, & libri qui illic sunt, vt eis paterfam. quotiens in villam ibit, vtatur, continentur. l. quæsitum. §. instructo item fundo. D. de instruc. vel instr. leg. Instrumento certè non continentur.

Seruum studendi gratia ex eodem fundo, qui cum mancipiis fuerat legatus, aliò translatum ad legatarium placuit pertinere.

Fundo legato cum seruis qui ibi erant, hi etiam debentur, qui ex eo fundo studendi causa abducti sunt. l. Seiæ. §. Pamphilæ. D. de instr. vel instr. leg. l. quæsitum, in princ. D. de legat. lib. III. F

Fundo ita vt possederat legato, mancipia tam vrbana, quàm rustica, itemq; aurum & vestes, quæ eodem tempore in fundo comprehẽduntur ad legatarium pertinent.

Hoc verbo, *Vt possedi*, instructus fundus significatur. l. prædiis. §. 1. de lega. lib. III.

Pascua quæ postea comparata ad fundum legatum testator adiunxerat, si eius appellatione contineantur, ad legatarium pertinent. G

Fundo legato, pascua quoq; postea comparata, si ita fundo adiuncta sint, vt sub vna fundi appellatione habeantur, legato cedunt. l. Seiæ. §. tyrannæ. D. de instr. vel instr. leg. Idemq; generaliter de omnibus adiunctionibus superiùs traditum est.

Quidq

A Quidquid in eadem domo, quam inſtructam legauit paterfam. perpetuò inſtruendi ſe gratia habuit, legatario cedit.

Inſtructa domo legata, non tantùm domus, ſed etiam ipſius patrisfam. inſtrumenta debentur, quæ ibi non temporis cauſa habuit. l. 1. & 2. C. de verb. ſig. Inſtrumenta generis vtriuſque ſequens ſententia declarat.

Inſtructa domo legata, ea legato continentur quibus domus munitior, vel tuta ab incendio præſtatur, tegulæ, ſpecularia, vela legato conti-
B nebuntur. Item æramenta, lecti, culcitræ, puluinaria, ſubſellia, cathedræ, menſæ, armaria, delphicæ, pelues, conchæ, aquiminalia, candelabra, lucernæ, & ſimilia quacumque materia expreſſa.

Tegulæ, & ſpecularia interdum, ac vela inſtrumenta ſunt domus. l. quæſitum. §. vela. §. ſpecularia. D. de inſtr. vel inſtr. leg. Cetera quæ hìc enumerantur inſtrumenta ſunt patrisfam. Conchæ, quæ vox deerat in libris excuſis, inter potoria vaſa numerantur, vt ỹ. oſtenditur circa finem tituli. Et hæc quidem omnia inſtructi appellatione continentur.

Domo legata, balneum eius quod publicè præbetur, niſi aliàs ſepa-
C retur, legato cedit.

Domus appellatione, balneum quoque legatum videtur quod publicè præbetur, niſi habeatur ſeorſim ratio balnei à rationibus domus. l. prædiis. §. balneas. D. de lega. lib. III.

Domo cum omni iure ſuo ſicut inſtructa eſt legata, vrbana familia, item artifices, & veſtiarij, & zetarij, & aquarij eidem domui ſeruientes legato cedunt.

Domo inſtructa legata, mancipia vrbana, & artifices domus cauſa parati legato continentur. l. quæſitum. §. idem reſpondit, domo ita vt. D. de inſtruc. vel inſtr. leg. Sequitur, *& veſtiarij*, malim ex
D eadem lege *& hoſtiarij*: veſtiarij enim patrisfamilias, hoſtiarij domui deſeruiunt. Hi verò tantùm hìc enumerantur, qui domui deſeruiunt. Qui porro hìc zetarij, illic diætarij appellantur: ex quo apparet Zetam & Diętam idem valere, ſicut Zabolum (qua voce vtuntur ſæpe Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, Paulinus) & diabolum, item Zacynthum, & diacynthum, Zaconum & diaconum.

Omnibus quæ in domo ſunt legatis, cautiones debitorum, rationesq; ſeruorum legato cedunt.

Dubium mihi quidem non eſt, vt in l. quæſitum. §. pen. D. de inſtr. vel inſtr. leg. & l. ſi mihi mœnia. D. de lega. lib. III. quin etiam hoc loco legendum ſit, *Legato non cedunt*, & pro *rationes*, *emptio-*
E *nes*. Igitur debitorum & emptionum inſtrumenta ad legatarium non pertinent. Quod equidem ſic accipio, vt traditorum ſeruorum, quiq; iam in domo ſunt emptiones, ſiue auctoritatum inſtrumenta, hoc genere legati contineantur, non etiam nondum traditorum, niſi de eis quoque teſtatorem ſenſiſſe appareat.

Mobilibus legatis, aurum vel argentũ non debetur, niſi de his quoq; manifeſtè ſenſiſſe teſtatorem poſſit oſtendi.

Qui mobilia generaliter legat, nummos quidem pręſidij cauſa repoſitos legare videtur. l. ſi chorus. §. 1. de legat. lib. III. non tamen aurum vel argentum factum vel infectum. Cuius ſententiæ rationem ſic Conſtantinus expoſuit lib. v. Epit. τῶν κινητῶν λεγατευθέντων ὁ χρυσὸς, ἢ ὁ ἄργυρος οὐ περιέχεται·
F ἀλλ' ἰδικῶς ταῦτα μνημονεύεται ὡς μὴ ἐλάχιστα, ἀλλὰ μεγάλα. πρόληψις γὰρ ἐστὶν ἐκ νόμων ὡς ὁ διατιθέμενος μετὰ τῶν οἱωνδήποτε κινητῶν, τὰ τιμιώτερα οὐ γενικῶς, ἀλλ' ἰδικῶς αὐτῶν μέμνηται. Additur exceptio, *niſi de his quoque* &c. Et ſic legata ſupellectile, ea quæ in auro vel argento ſunt, non debentur, niſi hoc quoq; teſtatorem ſenſiſſe legatarius doceat. l. cùm quidam. D. de ſup. leg.

Inſtrumento cauponio legato, ea debentur quæ in cauponij vſum parata ſunt, velut vaſa in quibus vinum diffunditur, eſcaria quoq;, & pocularia vaſa debentur. Sanè miniſtri earũ rerum legato non cedunt.

Inſtrumento tabernæ cauponiæ legato, vaſa debentur, inſtitores non debentur: quod pugnat
G cum l. itẽ pictoris. §. vlt. D. de inſtr. vel inſtr. leg. itaque adhibenda eſt hìc diſtinctio l. tabernæ. D. eod.

Inſtrumento medici legato collyria, & emplaſtra, & apparatus omnis conficiendorum medicamentorum, itemque ferramenta legato

 A

legato cedunt.

In instrumento medici sunt collyria, emplastra, & cetera eius generis. l. cùm de lanionis. §. in instrumento. D. de instruc. vel instr. leg. Medici enim sunt hi, qui medicamenta conficiunt, vulnera curant, cucurbitas admouent, item qui circumcidunt, aut castrant, vt. j. lib. v. tit. 23. l. lege. §. vlt. D. ad leg. Cor. de sicar.

Instrumento pictoris legato, colores, penicilli, cauteria, & temperandorum colorum vasa debentur.

In instrumento pictoris sunt colores, peniculi, cauteria, conchæ, & cetera eius generis. l. item pi- B ctoris. D. de instruc. vel inst. leg.

Pistoris instrumento legato, cribra, asini, molę, & serui qui pistrinum exercent, item machinæ quibus farinæ subiguntur, legato cedunt.

In pistoris instrumento sunt cribra, asini, molæ, pistores, machinæ frumentariæ. l. cùm de lanionis. §. 1. D. eod. tit.

Instrumento balneatorio legato, balneator ipse, & scamna, & hypodia, fistulæ, miliaria, epitonia, rotæ aquariæ, iumenta quoque quibus ligna deferuntur, legato cedunt. C

Instrumento balneatorio etiam balneator continetur. l. tabernæ. in fin. l. item pecoris. §. vlt. D. eod. Item scamna, & hypodia. Scamna dixit, ni fallor, pro subselliis. l. 2. C. Th. de contr. emp. Hypodia sunt quæ sub pedem sedentibus ponuntur, quæ interdum etiam scamna vocantur. l. 3. D. de sup. leg. Sequitur, *miliaria, epitonia*, Ita emendaui, auctoribus libris scriptis Dn. Ranconeti: cùm antea legeretur, *epistomia*: quem errorem, & in aliis auctoribus Pet. Victorius annotauit ad M. Varronem.

Instrumento piscatoris legato, retia, & nassæ, & fuscinæ, & nauiculæ, hami quoque & cetera eiusmodi vsibus destinata debentur.

Si paterfam. piscatorium instrumentum legauerit, retia, nassæ, fuscinæ, nauiculæ, hami, sed & pi- D scatores ipsi debentur. l. item piscatoris. §. 1. D. de instruc. vel instr. leg.

Supellectile legata, capsæ, armaria, non solùm librorum, aut quæ vestis ponendæ gratia parata sunt, debentur, sed & byssina, & crystallina & argentea, & vitrea vasa, tam escaria, quàm pocularia, & vestes stratoriæ legato cedunt.

Supellex patrisfam. instrumentum est, quod in aliam speciem non cadit. In supellectile hæc sunt, mensæ, subsellia, hypodia, lecti, pelues, aquiminalia, scaphia, candelabra, capsæ, armaria. An & capsæ & armaria librorum, aut vestium causa comparata, quæsitum est. Sed Paulus ea etiam in supellectile E posuit: dissentientium tamen opinionem, quam retulerat in l. 3. D. de sup. leg. Tribonianus, mea quidem sententia, vt probaret effecit, addendo particulam, *rectè*. Sequitur, *sed & byßina*, puto legendum, *sed & myrrina*, ex d. l. 3. §. de murrinis. Nam ex bysso quî fieri possunt vasa? Illud verò constat myrrina, crystallina, vitrea vasa tam escaria, quàm potoria in supellectile esse. l. vasa. D. de sup. leg. At quia argentum, aurum've factum à supellectile separatur, nec supellectilis legato continetur. l. 1. l. Labeo. D. de sup. leg. dubitari potest escaria vel potoria vasa quæ aurea sunt vel argentea, item candelabra, pelues, lecti, mensæ, & cetera his similia argentea vel aurea, supellectilis sint, an argenti vel auri. Et receptum est in supellectile esse candelabra, lectos, & his similia cuiuscumque materiæ sint, nisi cùm argentea essent vel aurea, ea testator vel auri vel argenti numero habuit. l. cùm aurum. §. lectum planè. l. Quintus. §. pen. D. de aur. & arg. leg. l. 3. §. vlt. D. de sup. leg. Rursus argentea, vel au- F rea vasa, tam escaria, quàm potoria argenti vel auri numero haberi, nisi probetur ea testatorem supellectili annumerasse. d. l. 3. §. pen. & l. cùm quidam. eod. Et hoc est quod dicitur errorem ius facere. Seruij igitur sententia, quam Celsus probat in l. Labeo. D. eod. tit. in escario argento quod testator supellectili annumerabat, non obtinebit: & ideo supellectile legata, id quoque debebitur. Hic enim error ratione non caret, cùm in supellectile materiam non intueamur, & escaria quoque ac potoria vasa ex myrro aut crystallo, aut vitro omnium sententia, supellectili adscribantur. In veste Seruij sententia verissima est, quandoquidem stultum est existimare supellectilis appellatione vestem contineri, & rerum vocabula, quæ sunt διδασκαλικὰ ὄργανα καὶ διακριτικὰ τῆς οὐσίας, arbitrio nostro mutari non possunt. Hominum vocabula quæ arbitrio cuiusque imponuntur, ea certè arbitrio etiam cuiusque mutari possunt: vt quem dixi fundum Cornelianum, nunc, si volo, Sempronianum G dicam. l. 4. D. de leg. 1. Vestes tamen stratoriæ, quæ his quæ in supellectile sunt, insterni solent, & ipsa supellectile continentur. l. de tapetis. D. de sup. leg.

Villis vel agris separatim legatis, alterum alteri cedit.

Agro

A Agro vel fundo legato, etiam villa continetur, quoniam pars fundi est.l.si ita, in fin.D.de instr. vel instr.leg. Æquè villa legata, à parte totum appellatum videbitur.l. vxori vsumfr.D. de vsufr. leg. quia sine fundo villa vsui esse non potest.

Seruis legatis, ancillæ quoque debentur, non item serui legatis ancillis. Sed ancillarum appellatione tam virgines, quàm seruorum, pueri continentur, his scilicet exceptis, quæ fiduciæ datæ sunt.

Seruis legatis etiam ancillæ debentur: ancillis verò legatis serui non debentur. Et ancillis legatis, etiam virgines debentur, sicut seruis legatis, pueri.l.seruis legatis.D.de lega.lib.III. Non debentur
B verò serui qui fiduciæ dati sunt, quia debitoris non sunt: ceterùm serui pignori, vel hypothecæ dati debentur.l.suos autem.D.de lega.lib.III.

Seruis amanuensibus legatis, omnes qui ex conuersatione vrbana, & in ministerio fuerunt, debebuntur, nisi ex his aliqui perpetuò ad opus rusticum transferantur.

Serui amanuenses sunt qui notis vel literis domini, vel alterius orationem iubente domino excipiunt, atque conscribunt. His legatis Paulus omnes eos deberi ait, qui sunt in vrbano ministerio, nisi ex his aliqui ad opus rusticum translati sint.

C Venatores serui, vel aucupes an inter vrbana ministeria contineantur, dubium remansit: & ideo voluntatis est quæstio. tamen si instruendarum quotidianarum epularum gratia habentur, debentur.

Seruis vrbanis legatis, non debentur venatores, & aucupes, nisi instruendarum quotidianarum epularum gratia in vrbe habeantur, & alantur, vel nisi eos pater fam. inter vrbanos annumerare solitus sit.l.seruis vrbanis.§.1.D.de lega.lib.III.

Muliones, & institores inter vrbana ministeria continētur, item ob-
D sonatores, & vestiarij, & cellararij, & cubicularij, & arcarij, & coqui, placentarij, tonsores, pistores, lecticarij.

In vrbanis seruis continentur institores, item muliones, nisi rei rusticæ parati sint.l.cùm quæreretur.§.1.l.seruis vrbanis.§.muliones.D.de lega.lib.III. Item obsonatores, vestiarij, cellararij, arcarij, & his similes. Cellararij (sic emendaui ex lib.vet.) sunt, qui ideo præpositi sunt, vt rationes saluæ sint.l.quæsitum.§.cellararium.D.de instruc.vel instr.leg.

Pecoribus legatis, quadrupedes omnes continentur, quæ gregatim
E pascuntur.

Pecorum appellatione continentur quadrupedes, quæ gregatim pascuntur, vt equi, muli, asini, oues, boues, capræ, sues.l.legatis.§.pecoribus.D.de leg.lib.III.

Iumentis legatis, boues non continentur. Equis verò legatis, equas quoque placuit contineri. Ouibus autem legatis, agni non continentur, nisi annuales sint.

Iumenta sunt animalia quæ dorso domantur, vt equi, muli, asini. Oues, boues, sues, iumentorū appellatione non continentur. Equis legatis, equæ etiam debentur. Ouibus autem legatis agni nō
F debentur. Agni sic definiuntur minores anniculis, nisi alia sit loci consuetudo, quæ & rerum omniū & verborum domina est.l.cùm quæreretur.l.legatis.§.iumentis.D.de lega.lib.III.

Grege ouium legato, arietes etiam continentur.

Licet ouibus legatis, neq; arietes, neque agni contineantur, grege tamen ouium legato, & arietes, & agni continentur.l.seruis vrbanis.§.vlt.D.de leg.lib.III.

Auibus legatis, anseres, phasiani, gallinæ, & auiaria debebuntur. An autem phasianarij, & pastores anserum, voluntatis quæstio est.

G Auibus legatis, debētur anseres, phasiani, gallinæ, auiaria. Phasianarij, & pastores anserum nō debentur, nisi hoc sensisse testatorē iudici cōprobetur. Extat hæc sententia in l.auibus.D. de leg.lib.III.

Dulcibus legatis, sapa, defrutum, mulsum, dulce etiam vinum, palmæ, caricæ, vuæ passæ debebuntur. Sed in hoc quoque voluntatis est quæstio,

quæstio,quia & in specie pomorum comprehendi possunt. A

Inter dulcia numerantur passum,defrutum,murina,quod hic versus Plauti indicat in Pseudolo. Quid si opus fiet,vt dulce promat indidem,ecquid habet?Rogas?Murinam,passum,defrutum,melinam.Item mulsum,sapa,lora,œnomeli,palmæ,caricæ, ficus, vuæ passæ inter dulcia numerantur.l. vlt.§.vlt.D.de trit.vin.& ol.leg. Quamquam palmæ, caricæ, vuæ passæ, ficus inter poma etiam numerari possint.l. qui fundum.D.de verb.sig. Itaque si quæratur dulcium potius, an pomorum sint, facti siue voluntatis,atq; adeo in æstimatione iudicis quæstio est.l. voluntatis.C.de fideic. quæ coniecturis explicabitur.Aliæ duæ sunt iuris quæstiones,vt eleganter Fabius tradit lib. XII. cap.2.quarum vna verborum proprietate continetur, finitione explicatur:altera æqui disputatione continetur,qualitate explicatur.Et omnis quæstio iuris in hæc tria genera deduci potest. B

Frugibus legatis, tam legumina, quàm ordeum, & triticum continentur.

Frugum appellatione tam legumina,quàm frumenta continentur.l.frugem.D.de verb. signific. Plin.lib. XVIII.Frugum,inquit,duo sunt prima genera,frumenta,vt triticum,ordeum: & legumina,vt faba,cicer.

Veste legata ea cedunt quæ ex lana & lino texta sunt: item serica, & bombycina,quæ tamen induendi,operiendi,cingendi, sternendi, iniiciendi've causa parata sunt:pelles quoque indutoriæ continebuntur. C

Vestis appellatione continentur lanea,linea,serica,bombycina,pellicea, quæ induendi, amiciẽdi,præcingẽdi,sternendi,iniiciẽdi causa habentur.l.vestis.§.1.& §.vlt.& l.prox.D. de aur.& arg.leg.

Veste virili legata, ea tantummodo debebuntur quæ ad vsum virilẽ saluo pudore attinent.Stragula quoque huic legato cedunt.

Virilia vestimenta sunt, quibus vir sine reprehensione vtitur. Nec enim stola numeratur inter virilia vestimenta,etiam si ea Caligula,vel Heliogabalus vtatur:vt meritò ϛολὼ ἀπάνθρωπον Tatianus dixerit in oratione πρὸς ἕλληνας. Vestimenta quoque stragula virilia sunt.l.vestis.§.virilia.D.de aur.& arg.leg. D

Muliebri veste legata, omnia,quæ ad vsum muliebrem spectant, debebuntur.

Muliebria vestimenta sunt,quæ matrisfamiliæ causa parata sunt,veluti stolæ,pallia, chiridotæ.d. l.vestis.§.muliebria.

Lana legata,siue succida,siue lota sit,siue pectinata, siue versicoloria legato cedit. Purpura verò, aut stamen subtegmen've hoc nomine non continentur. E

Paulus lanæ appellatione & succidam, & lotam, & pectinatam, & versicoloriam contineri putat.l.pediculis.§.Labeo.D.de aur.& arg.leg.Ab eo dissentiunt Sabinus,& Vlpianus.l.si cui,in princ. & §.2.D.de lega.lib. III. tinctam enim lanam negant esse lanam.Sic Paulus lanæ appellatione stamen,& subtegmen contineri negat: illi contra in d.l.si cui.§.1. Sic versicolorum appellatione Paulus purpuram non contineri putat:quandoquidem lanæ vocabulo,quo versicoloria contineri putat,purpuram negat contineri. Vlpianus contrà in d.l.si cui.§.pen. Et verò ex hoc loco id necessariò efficitur omnimodo operam ludere eos, qui l.pediculis.§.Labeo. cum l.si cui. id est, Paulum cum Vlpiano in concordiam adducere conantur. Verùm quod diximus lanæ appellatione versicoloria,siue tincta ex Vlpiani sententia non contineri, pugnat cum §.de versicoloribus.l.si cui. At is sine dubio corruptus est,vt Pet.Faber, vir omni eruditione atque omni virtute præditus, primus animaduertit, mihiq; indicauit. Cùm enim de lanæ,& lini significatione satis Vlpianus dixisset, de versicolorum appellatione quæstione proposita,sic inchoat malè, *Et constat apud veteres lanæ appellatione versicoloria non contineri: sed ea omnia videri legata quæ tincta sunt, & neta.* Iam enim non de lanæ,sed de versicolorum appellatione est quæstio: & veteres ex quibus Sabinus fuit, ea quæ tincta sunt,vt ex initio legis constat, lanam non esse existimauère. Proinde Fabro assentior qui hunc locum ita restituit,*Et constat apud veteres lanam appellatione versicolorum non contineri.* Ac inde similiter quærit postea Vlpianus,an purpura appellatione versicolorum cõtineatur: & contineri ait:Coloria autem siue αὐτόφυῆ non contineri. F

Mundo muliebri legato, ea cedunt per quæ mundior mulier, lautiorq; efficitur:velut speculum,conchæ,situli,item buxides,vnguenta,& vasa in quibus ea sunt:item sella balnearis,& cetera eiusmodi. G

Mundo

A Mundo muliebri cótineri ait specula, conchas, situlos: hi sunt qui matulæ dicũtur in l. argumento. §. mundus. D. de aur. & arg. leg. Item buxides: sic habent libri veteres, pro quo Græci dixere pyxides. Item vnguenta, & vasa vnguentaria: item fella balnearis, & argentum omne balneare. l. pediculis. §. pen. D. eod. & lauatio. Riscus etiam est in mundo muliebri d. §. mundus.

Ornamentis legatis ea cedunt, per quæ ornatior efficitur mulier, veluti anuli, catenæ, reticuli, & cetera quibus collo, vel capite, vel manibus mulieres ornantur.

B Iurisconsulti mundum ab ornamentis separant: eaq; etiam Tertullianus in lib. de habitu muliеb. ita rectè distinguit: Habitus, inquit, feminæ duplicem speciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus quem mundum muliebrem vocant. Ornatum quem immundum muliebrem cõuenit dici. Iste in auro & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: ille in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt. Quod ait Tertullianus de vestibus, Paulus non probat in l. quamuis. l. ornamentorum. D. de aur. & arg. leg. Vestes enim propriam speciem habent, nec ornamentorum numero habentur. Verùm in ornamentis hæc sunt, anuli, catenæ, reticuli, inaureis, viriolæ, armillæ, aurum, argentum, gemmæ, lapilli. l. argumento. §. ornamenta. D. eod.

C Argento legato, massæ tantummodo debebuntur: Vasa enim quæ proprio nomine separantur, legato non cedunt: quia nec lana legata, vestimenta debebuntur.

Vt auro ita & argento legato vasa continentur. l. cùm aurum. §. vlt. D. de auro & arg. leg. Sed profectò magis est voluntatis quæstio. Infectum enim argentum debetur, factum propriis nominibus separatur. Lana legata, proculdubio ne vestimenta quidem ex ea lana facta debentur. l. lana. D. de leg. 3.

D Vasis argenteis legatis ea omnia continentur, quæ capacitati alicui parata sunt: & ideo tam potoria, quàm escaria, item ministeria omnia debebuntur, veluti vrceoli, lances, patinæ, piperataria, cochlearia quoq;, itemq; trullæ, calices, scyphi, & his similia.

Vasa dicimus ea, quæ aliquid in se recipiunt: ideoq; vasis legatis, non potoria tantùm, & escaria, sed etiam ministratoria debentur, vt puta vrceoli, lances, patinæ, & his similia. l. cùm aurum. §. sed cui vasa. D. de aur. & arg. leg.

E Libris legatis, chartæ, volumina, membranæ, & philuræ continentur: Codices quoque debentur. Librorum enim appellatione non volumina chartarum, sed scripturæ modus, qui certo fine concluditur, æstimatur.

Librorum appellatione volumina continentur, quæ veteres in cylindri modum complicare solebant. Continentur quoque scriptæ chartæ, & membranæ, & philuræ, item codices cuiuscumque materiæ. Librum enim cum dico, non volumen tantùm dico, sed & quemlibet scripturæ modum certo fine conclusum. l. librorum. D. de lega. lib. III.

F Auro legato, gemmæ quoque inclusæ, itemq; margaritæ, & smaragdi legato cedunt. Sed magis est voluntatis esse quæstionem. Infectũ enim aurum debetur, factum ornamentorum genere continetur.

Auro legato factum infectumq; debetur. l. cùm aurum. in princ. D. de aur. & arg. leg. itemq; gemmæ auro inclusæ. d. l. cùm aurum. §. perueniamus. Sed disputari hîc de voluntate defuncti potest, quia forsitan is aurum factum, cui inclusæ sunt gemmæ, ornamentorum nomine habuit: quo casu, auro legato, infectum dumtaxat debebitur. A gemmis margaritas separat, & smaragdos, propterea quòd inter gemmas summum pretium obtinent. Ceterùm generalis est gemmarum appellatio, licet quidam ex auctoribus nostris subtilem quandam inter ea differentiam constituerint.

G Vasis argenteis legatis, emblemata quoque ex auro infixa legato cedunt.

Emblemata aurea vasis argenteis legatis iniuncta, ad legatarium pertinent. d. l. cùm aurum. §. simili modo.

Argento potorio legato, omnia quæ ad poculorum speciem comparata

parata ſunt,debebuntur,veluti pateræ,calices,ſcyphi, vrceoli, œnophoria,& conchæ. A

In argento potorio ſunt vaſa omnia potui parata.l.in argento.l.Seiæ.D.de aur.& arg.leg.

Carruca cum iunctura legata, mulæ quoque legatæ, non mulio videtur,propter quotidianam loquendi conſuetudinem.

Ad carrucas iũgi mulæ ſolebant.l.ædiles.§.quæſitum.D.de ædil.ed.l.vxori.D. de aur. & arg.leg. Ideoq; carruca cum iunctura legata, mulæ ipſæ legatæ videntur. Nam ita vulgò loquuntur, vt iuncturæ nomine,id quod iungitur intelligant.At mulio certè iuncturæ appellatione non continetur. B In excuſis corruptè legitur, *nec non & mulio.*

Prolatis codicillis, vel alio teſtamento quibus ademptum eſt legatũ, vel certè reſciſſum,perperam ſoluta repetuntur.

Scripto heredi directa indebiti condictio datur, ſi diu celatum aliud teſtamentum, vel ſi codicilli prolati fuerint,quibus ademptum eſt legatum,vel certè reſciſſum,id eſt,deminutum.l.2.§.1.D. de cond.indeb.

De mortis cauſa donationibus. TIT. VII. C

MOrtis cauſa donat,qui ad bellum proficiſcitur,& qui nauigat, ea ſcilicet condicione,vt ſi reuerſus fuerit,ſibi reſtituatur:ſi perierit, penes eum remaneat,cui donauit.

Mortis donatio fit periculo mortis,vt dictum eſt lib. 11. tit. 23.& ita vt ſi liberatus fuerit, donata recipiat,ſi perierit,vt habeat is qui accepit.§.1.de donat.

Donatio mortis cauſa, ceſſante valetudine, & ſecuta ſanitate, pœnitentia etiam reuocatur:Morte enim tantummodo conualeſcit.

Donatio cauſa mortis donatoris morte confirmatur:At reuocatur,ſi eum donationis pœniteat, D vel ſi è vitæ periculo eripiatur.§.1.de donatio.

Ad legem Falcidiam. TIT. VIII.

EXhauſta legatis aut fideicommiſſis, vel mortis cauſa donationibus hereditate, auxilio Falcidiæ inſtitutus heres quadrantem retinere poteſt.

Legata aut onerant,aut delibant,aut exhauriunt hereditatẽ.Delibant,quæ non excedunt: onerant,quæ excedunt dodrantem:exhauriunt,quæ aſſem abſumunt.Per legem Falcidiam delibari poteſt hereditas, onerari vel exhauriri non poteſt. Quadrans enim heredi illibatus reſeruandus eſt. E Erat lex Falcidia de legatis, ſed Pegaſiano S. C. ad fideicommiſſa, Conſtitutione Seueri ad donationes cauſa mortis etiam producta eſt.

Quotiens de modo quartæ retinendæ quæritur,propter periculum plus petendi,officio iudicis omnibus æſtimatis,quarta faciẽda eſt, quæ apud heredem remaneat:aut certè exigenda cautio à legatario,vt quod plus dodrante perceperit,reſtituat.

Si heres legatariũ plus petere dicat,quaſi ipſo iure per legem Falcidiam imminuto & reſciſſo legato,à iudice omnibus diligenter æſtimatis,diuidenda eſt pro quadrante & dodrante hereditas inter heredem & legatarios: aut petitori cauenti, Quod amplius quàm per legem Falcidiam liceret, cepiſſet reddituiri, ſolidum & integrum legatum exſoluendum eſt.l. 1. §.cùm dicitur.D.ſi cui plus quàm per leg.Falc.l.2.C.de vſur.leg. F

Ea quæ mater viua filio donauit,in quartam non imputantur.

In quartam Falcidianam non imputantur ea quæ heredi inter viuos donata ſunt, niſi ideo donata ſint,vt integra heres legata præſtaret.l.cum quo.§.vlt.D ad leg.Falc.Propè enim eſt,vt ex cauſa hereditaria obueniſſe videantur ea, quæ prouidentia & contemplatione heredis futuri donata ſunt. Illud etiam conſtat donationes inter viuos non imputari in eam quartam, quæ inofficioſi G teſtamenti querelam excludit: niſi & ea mente donetur, vt in eam imputetur. l. ſi quando. §. generaliter. C. de inoffic. teſtam. Hæc verò quarta an etiam ſit ex lege Falcidia, vt quidam opinantur,mihi nondum ſatis liquet,an verò ex lege Glicia:nec magis an ex conſtitutione D. Marci, cuius

A meminimus lib. III. Obſer. Nam ſicut D.Pius prolato S. C. Tertylliano, quo mater ab inteſtato liberis ſuccedit, & matri ex teſtamento τὸ νόμιμον μέρος dedit, auctore Zonara: ita facto Orfitiano S. C. auctore. D.Marco quo matri liberi ab inteſtato ſuccedunt, ex teſtamento matris tantundem liberis D.Marcum dediſſe, atque ita quadrantem antiquiori quodam iure, liberis ex teſtamento parentum virilis ſexus, & viciſsim his ex illorum teſtamento datum, eos quoq; matribus ex teſtamento liberorum, & his viciſsim ex illarum teſtamento dediſſe verius eſt. Sed & ante D.Marcum receptum id fuiſſe indicat Plinius, in lib.v. epiſtola prima.

Ex mora præſtandorum fideicommiſſorum, vel legatorum fructus & vſuræ peti poſſunt. Mora autem fieri videtur, cùm poſtulanti non
B datur.

Legatorum & fideicommiſſorum vſuræ & fructus ex mora debentur. Mora autem fieri intelligitur in perſonam per litis conteſtationem.l.1.C.de vſur.leg.Itemq; per interpellationem, vt hoc loco Paulus docet, & relicti legati petitionem.

C
IVLII PAVLI
SENTENTIARVM,
LIBER IIII.

*

De Fideicommiſsis. TIT. I.

AB VXORE cui vir dotem prælegauit, fideicom-
D miſſum relinqui non poteſt: quia non ex lucratiua cauſa teſtamento aliquid capit, ſed proprium recipere videtur.

Ab vxore cui dos relegatur, fideicommiſſum relinqui non poteſt, quia reddi dos potius, quàm legato adquiri videtur. l.cùm pater. §.fidei. D.de legat. lib.2. Eademq; ratione lex Falcidia hoc legatum non minuit. l.ſed vſusfructus. §.dos. D.ad leg.Falcid. At ex commodo repræſentationis Falcidiam detrahi, & fideicommiſſum ab ea relinqui
E poſſe, nemo eſt qui ambigat.

A poſtumo herede inſtituto fideicommiſſum dari poteſt.

A poſtumo herede legitimo, licet alienus ſit poſtumus, fideicommiſſum relinqui poteſt.l.pen.D. de legat.lib.1. l.1.§.pen.de legat.lib.III. A poſtumo quoque herede inſtituto fideicommiſſum relinqui poſſe Paulus ait: quod ego etiam in poſtumo alieno locum obtinuiſſe arbitror: quia etſi non heres, bonorum tamen poſſeſſor exiſtere poteſt.

Ab Imperatore herede inſtituto legatum & fideicommiſſum dari
F poteſt.

A poſtumo alieno herede inſtituto legatum dari nõ poteſt, quia heres fieri non poteſt, vt ſ. diximus: Ab imperatore herede inſtituto & legatum, & fideicommiſſum relinqui poteſt: quia aditione heres fieri poteſt, & ius habet commune cum ceteris. l.cùm heredes.C.qui teſtam.fac.poſſ. Quæ lex aliqua ex parte tollitur in l.2.C.Th.de teſta.ſed Iuſtinianus.l.cum heredes, magis probauit.

A ſurdo vel muto, ſiue legatum acceperit, ſiue heres inſtitutus ſit, vel ab inteſtato ſucceſſerit, fideicommiſſum relinquitur.

Ignorãtes adſtringi poſſunt fideicommiſſo, & ideo à ſurdo etiam vel muto herede aut legatario fideicommiſſum relinqui poteſt.l.cùm pater.§.ſurdo.D.de legat.lib.2.

G Qui fideicommiſſum relinquit, etiam cum eo cui relinquit, loqui poteſt: velut, PETO, GAI SEI CONTENTVS SIS ILLA RE, aut, VOLO TIBI ILLVD PRÆSTARI.

Etiam si cum fideicommissario, non cum herede, aut legatario defunctus loquatur, fideicommissum debetur.l.peto.D.de lega.lib.2.l.fideicommissa.§.si quis ita.D.de legat.lib.2.Qua de re scripsimus Obser. lib.2. cap.3. A

Fideicommittere his verbis possumus, ROGO, PETO, VOLO, MANDO, DEPRECOR, CVPIO, INIVNGO. DESIDERO quoq;, & IMPERO verba vtile faciunt fideicommissum. RELINQVO verò, & COMMENDO, nullam fideicommissi pariunt actionem.

Verba precaria hæc sunt, peto, rogo, volo, mando.§.vlt.de sing.reb.per fid.rel.l.2.C.com.de lega. Item deprecor, cupio, iniũgo, desidero.l.etiam hoc modo.l.& eo modo.D.de legat.lib.1.Addit Paulus, *impetro*, lego, *impero*, cum Alciato.Ei tamen non assentior dum minus esse precarium, *iubeo*, putat quàm, *impero*, Nam &, *iubeo*, precarium est.l.Aurelius.§.vlt.D.de lib.leg.& vtrumq; significat *volo*, siue *cupio*. Hęc verba & inflexa dicuntur & παρακλητικά, & fideicommissaria, nusquam obliqua. *Commendo*, non est verbum precarium, vt si dixerit, *Illum tibi commendo*.l.ex verbo. C.de fideic.lib.l. fideicommissa. §.si ita quis. D.de legat. lib.3. nisi vt Thalelæus notat forsitan probetur fideicommittere eo verbo testatorem voluisse. Nam ex nouissimis constitutionibus omne verbum ad fideicommittẽdum vtile atq; validum est. At *relinquo* videtur esse precarium.l.Lucius.§.filiam.D.ad S.C. Trebel.sed Paulus negat. B

Tam nostras res, quàm alienas per fideicommissum relinquere possumus: sed nostræ statim, alienæ autem æstimatæ, aut redemptæ præstantur. C

Quæ per damnationem legari possunt, & per fideicommissum relinqui possunt, auctore Vlpiano in tit.de fideic.Res igitur alienæ per fideicõmissum relinqui possunt, nam & legari per damnationem: quod Agrætius Grãmaticus significat, dum ex quopiam auctore bono, hoc verbo, damnas, relicta omnimodo solui oportere ait, etiam si res aliena legata sit.Per vindicationẽ res aliena si legata sit, legatũ iure ciuili non valet, vt probat l.Stichus seruus.D.de manu.testa.Vt enim libertas seruo alieno non rectè legatur, sic lex ait rem alienam non rectè legari, vindicationis, scilicet, modo.Atq; adeo nec illo modo rem suam testatorem rectè legare, aut seruum suum rectè testamento manumittere in eum casum quo res, aut seruus heredis esse desierit.At ex S. C. Neroniano, & ex constitutione Iustiniani, & per vindicationem legata res aliena perinde debetur, ac si damnationis modo relicta esset. Præstatur autem vel res ipsa, vel æstimatio eius. D

Si alienam rem tamquam suam testator per fideicommissum reliquerit, non relicturus si alienam scisset, vt solet legatum, ita inutile erit fideicommissum.

Si quis rem alienam ignorans per fideicommissum reliquerit, vel per damnationem legauerit, inutile fideicommissum vel legatum est, nisi & si scisset rem alienam esse, legaturum eum fuisse appareat.l.cùm alienam.C.de legat.l.prædia.C.de fideic. E

Testator superuiuens, si eam rem quam reliquerat, vendiderit, extinguitur fideicommissum.

Licet rei alienæ fideicommissum valeat, si tamen quis rem suam quam per fideicommissum reliquit, alienauerit, placet fideicommissum extingui: quia fideicommissum videtur ademisse, nisi alia mente testatorem alienasse probetur.§.si rem suam.de legat.l.cùm seruus.D.de adim.lega.

Codicillis, qui testamento confirmati non sunt, adscriptum fideicommissum iure debetur. F

In codicillis testamento confirmatis licet nemo heres institui posit, legata tamen relinqui possunt, & tutelæ, & libertates directæ: quoniam hi codicilli pro parte testamenti sunt.In codicillis testamento non confirmatis nihil recto iure relinqui potest, fideicommissum tamen dari potest.

Filio quibuscumq; verbis à patre fideicommissum relictum, iure debetur. Sufficit enim inter coniunctas personas quibuscumq; verbis, vt in donatione, voluntas expressa: & ideo etiam pridie quàm moriatur rectè relictum videtur. G

Non sic est accipienda hæc sententia vt à patre herede instituto filiofamliàs relictum fideicommissum debeatur, etiã si ita testator dixerit, *Pridie quàm morietur heres, filio eius dari volo*. Hoc enim fit non

A fit non ratione cōiunctionis personarum, sed quia paria hæc sunt, *Post mortem heredis*, & *Pridie quàm morietur heres*: propterea quod non nisi post mortem sciri potest quando fuerit pridie. §. post mortem. De legat. Sed & hanc orationem, *Cùm morietur heres*, in fideicommissis hac in specie non esse ab illis diuersam constat. l. 1. §. si emancipato. D. de colla. bonor. l. fideicommissa. §. si filio. D. de legat. lib. III. Igitur sic potius hanc sententiam accipiamus, vt licet fideicommissum relictum post mortem fideicommissarij, aut pridie quàm moriatur fideicōmissarius non valeat (qua in re à fideicommisso legatum nihil distat, multoq; dissimilis est causa relicti post mortem heredis, cùm possit hoc genere fideicommitti, non etiam legari) tamen ratione coniunctionis personarum, vtpote filio patre dante fideicommissum, etiam post mortem filij, aut pridie quàm morietur filius, filio rectè fideicommissum relictum videatur. Sufficit, inquit, inter coniunctas personas quibuscumq; verbis, B vt in donatione, expressa voluntas. Nec enim in donationibus inter cōiunctas personas verborum subtilitas obseruatur: nec exigitur mancipatio aut traditio ex Constit. D. Pij l. 4. C. Th. de donat. licet actorum insinuatio omnimodo exigatur. l. data. C. de donat. Ad quam legem si quæratur dubitationis ratio nec à Latinis, vt reor, nec à Græcis interpretibus intellecta, ex hoc loco sumenda erit.

In tempus emancipationis, vel cùm sui iuris erit, fideicommissum relictum quocumq; modo patria potestate liberato debetur.

Fideicōmissum ita relictum, Cùm sui iuris erit, morte, vel emācipatione, vel alio quocumq; modo patria potestate liberato debetur. Idemq; iuris erit vno tantùm casu expresso. l. fideicommissa. §. si C cui. D. de legat. lib. III. l. si ita esset. D. quand. dies leg. ced. l. 3. C. de inst. & substit.

Rogati inuicem sibi, si sine liberis decesserint, hereditatem restituere, altero decedente sine liberis, hereditas ad eum peruenit qui superuixit, nec ex eo pacisci contra voluntatem testatoris possunt.

Si duo sibi inuicem precario substituti sint, sub hac condicione, Si sine liberis decesserint, pacto effici non potest vno decedente sine liberis, quominus ad superstitem hereditas pertineat. Sed hoc constitutiones non admittunt. l. cùm proponas. 1. C. de pact. l. de fideicommisso. C. de transact. Nam & alienatione prohibita extra familiam, omnibus vendentibus itemq; pacto fideicommissum D remittitur. Nou. CLIX. ex qua est explicanda l. quotiens ab omnibus. C. de fideic. & l. cùm pater. §. libertis. D. de legat. lib. 2.

Heres ante aditam hereditatem, legatarius antequam legatum accipiat, fideicommissum præstare non possunt.

Adiri prius hereditatem ab herede, vel à legatario legatum agnosci oportet, deinde fideicommissum præstari ab eo herede, vel legatario relictum.

Rem fideicommissam si heres vendiderit, eamque sciens compara- E uerit, nihilominus in possessionem eius fideicommissarius mitti iure desiderat.

Si rem fideicommissam scienti heres vendiderit, fideicōmissario dabitur in rem missio. Sed Iustinianus in rem missionem sustulit. Igitur superest fideicommissario dumtaxat vindicatio: emptori autem malæ fidei aduersus heredem solius pretij repetitio dabitur l. vlt. C. com. de legat.

Quotiens libertis fideicommissum relinquitur, ad eos tantummodo placuit pertinere, qui manumissi sunt, vel qui in eodem testamento li- F bertatem intra numerum legitimum consecuti sunt.

Fideicommisso relicto libertis, non tantùm hi quos viuus testator manumisit, sed etiam testamento codicillis've manumissi iuxta modum lege Caninia constitutum ad fideicommissum admittuntur. Idem interdum datur & manumissis per fideicommissum, & libertorum libertis. l. 2. l. alimenta. §. 1. D. de alim. leg.

Cui ab herede fideicommissum non præstatur, non solùm in res hereditarias, sed & in proprias heredis inducitur.

Fideicommissarius, cui heres fideicommissum pecuniarium non præstat, non tantùm in heredi- G tariarum, sed in propriarum heredis rerum possessionem inducitur. Quod ita procedit, nisi malit separationem bonorum impetrare. Datur enim separatio legatariis & fideicōmissariis. l. pen. D. de separat. At cùm ob cautionem non præstitam mittitur fideicommissarius in possessionem, sanè non mittitur in res heredis proprias, nisi certis modis ex constitutione Antonini, l. is cui. §. Imp. D. vt in posses. legat.

Ius

Ius omne fideicommissi non in vindicatione, sed in petitione consistit. A

Legata vindicamus, fideicommissa petimus, siue persequimur. l. mulier. §. non est. D. ad S. C. Trebel.

De S. C. Trebelliano. TIT. II.

SENATVSCONSVLTO Trebelliano prospectum est, ne solus heres omnibus hereditariis actionibus oneretur. Et ideo quotiens hereditas ex causa fideicommissi restituitur, actiones eius in fideicommissarium transferuntur: quia vnicuique damnosam esse fidem suam non oportet. B

Lege Falcidia non interueniente ex S. C. Trebelliano restituitur hereditas, ita vt actiones in fideicommissarium dentur. Quod ideo proditum est, ne cui periculosa esset fides sua. l. 1. D. ad S. C. Trebel.

De S. C. Pegasiano. TIT. III.

C

INter heredem & fideicommissarium, cui ex Pagasiano hereditas restituitur, partis & pro parte stipulatio interponitur: vt heredi instituto pro quarta actiones, pro ceteris verò portionibus fideicommissario competant.

Lege Falcidia interueniente, ex S. C. Pegasiano restituitur hereditas deducta quarta, & actionibus in fideicommissarium minimè translatis. Communicantur tamen onera inter heredem & fideicommissarium interpositis stipulationibus partis & pro parte. §. post quod. de fideic. hered. Sed à Iustiniano Pegasianum S. C. transfusum est in Trebellianum, vt actio rei vxoriæ in actionem ex stipulatu. D

Totam hereditatem restituere rogatus, si quartam retinere nolit, magis est, vt eam ex S. C. Trebelliano debeat restituere. Tunc enim omnes actiones in fideicommissarium dantur.

Is qui totam hereditatem restituere rogatus est, si Falcidiam omittat fidei explendæ gratia, vel ex S. C. Pegasiano restituere debet, interpositis emptæ & venditæ hereditatis stipulationibus. §. ergo siquidem. de fid. hered. vel quod expeditius est, ex S. C. Trebelliano, aut vi prætoris ex S. C. Pegasiano, nullis stipulationibus interpositis. l. qui totam. D. ad S. C. Treb.

Lex Falcidia, itemq́ue S. C. Pegasianum deducto omni ære alieno, Deorumq́ue donis, quartam residuæ hereditatis ad heredem voluit pertinere. E

Deduci prius oportet omne æs alienùm, & Deorum dona, deinde Falcidianam, aut Pegasianam quartam. Ex hoc loco in Notis ad Iustiniani Institutiones testatus sum malle me in l. 1. §. ad municipum. D. ad leg. Falcid. sic legere, *Ad municipum quoque legata, non etiam ad ea quæ Deo relinquuntur, lex Falcidia pertinet:* nec muto sententiam. Vt enim constitutio iuris ciuilis quæ inter coniuges donationem prohibet, in Deorum donis non valet. l. si sponsus. §. proinde. D. de donat. int. vir. & vxor. ita Dei cultus postulat, vt nec in eis valeat lex Falcidia: idq́; nouissimis constitutionibus comprobatur. F

Qui totam hereditatem restituit, cùm quartam retinere ex Pegasiano debuisset, repetere eam non potest. Nec enim indebitum soluisse videtur, qui plenam fidem defuncto præstare maluit.

Qui ex Pagasiano totam hereditatem restituit, quartæ condictionem non habet, quia sciens restituit. l. 1. l. vlt. C. ad leg. Falcid. l. si sponsus. §. si quis rogatus. D. de don. int. vir. & vxor. Stipulationem emptæ & venditæ hereditatis habet. Qui verò ex Trebelliano restituit, quartæ condictionem habet, quia ignorans soluit. §. sed quia. de fid. hered. Cùm enim interueniẽte Falcidia, Pegasiano non interueniente, Trebelliano locus sit, is qui hoc vtitur Falcidiam non interuenire, qui illo, interuenire vt existimet necesse est: nisi forsitan expeditiore via vsus, cùm posset ex Pegasiano restituere, maluerit totam hereditatem restituere ex Trebelliano actionum transferendarum causa: quo casu & Falcidiæ condictio cessat. G

A *De repudianda hereditate.* TIT. IIII.

RECuſari hereditas non tantùm verbis, ſed etiam re poteſt, & alio quouis indicio voluntatis.

Diuerſa hæc ſunt, Repudiare & Recuſare. Repudiatio fit in iure, Recuſatio quoquomodo, vt oſtendi in tit. de hered. qual. & diff. lib. 2. Inſtit. Recuſat non tantùm heres, ſed etiam fideicommiſſarius. l. cogi. §. ſi quis heres. §. ſi ſeruo. D. Ad Treb. Repudiat ſolus heres, numquam verò fideicommiſſarius dicitur repudiare, quia non defertur ei hereditas. Cùm igitur hæc duo ſint diuerſa, non debuit huic quæſtioni de recuſatione hereditatis præponi titulus, *De repudianda hereditate.* Et verò
B ſufficiebat ſuperior titulus, *De* S. C. *Pegaſiano,* cùm omnia ea quæ ſequuntur ad S. C. Pegaſianum pertineant: Ideoq; ſub tit. ad S. C. Trebel. ponere hanc ſententiam Tribonianus debuit, quam tamen huius tituli falſa impoſitione deceptus ſub tit. de adquir. vel omit. hered. collocauit. l. recuſari. D. de adquir. hered.

Heres per magiſtratus municipales ex auctoritate præſidis, fideicommiſſario poſtulante, hereditatem adire & reſtituere compellitur.

Qui recuſat adire, in vrbe per prætorem adire & reſtituere cogitur, in prouinciis per præſidem. Sed & per Duumuiros ex præcepto præſidis cogi poteſt. Eodemq; modo Duumuiri tutores dant. l.
C Lucius. §. cùm teſtamento. D. de adm. tut. cùm tamen neutrum imperij ſit, aut iuriſdictionis.

Fideicommiſſarius ſi affirmet heredem nolle adire hereditatem, abſente eo interponi decretum, & in poſſeſſionem mitti iure deſiderat.

Etiam aduerſus abſentem heredem & recuſantem fideicommiſſarius rectè poſtulat decretum. l. recuſare. D. ad Trebel. vt ſcilicet, adeat. l. ſi poſtulante. D. eod. eoq; ceſſante, fideicommiſſarius in poſſeſſionem mittetur, & ipſo iure in eum tranſibunt actiones, vt conſtitutum eſt in l. penult. §. vlt. C. eod.

Suſpectã hereditatem adire cõpulſus omnia ex Trebelliano reſtituit.

D Si ex decreto prætoris heres adierit, reſtituit quidem hereditatem ex S.C. Pegaſiano, ſed perinde eſt, atq; ſi ex Trebelliano reſtituiſſet: & ideo neq; actiones, neq; quartam habet. l. quia poterat. l. qui totam. D. ad Trebel. §. ſed ſi recuſabat. de fideic. hered.

De inofficioſi querela. TIT. V.

INofficioſum dicitur teſtamentum, quod fruſtra, liberis exheredatis, non ex officio pietatis, videtur eſſe conſcriptum.

E Inofficioſum teſtamẽtum eſt, in quo liberi, vel parentes fruſtra exheredati ſunt. Fruſtra fit exheredatio quæ non tenet. Quòd ſi obtinuerit exheredatio, inofficioſum teſtamentum non eſt. Sic autem dicitur, quaſi contra merita (vt Aſconius ait) vel contra officium pietatis factum. l. 2. D. de inoff. teſtam.

Poſt factum à matre teſtamentum filius procreatus, non mutata ab ea, cùm poſſet, voluntate, ad exemplum præteriti inofficioſi querelam rectè inſtituit.

Præteriti à matre pro exheredatis habentur: & ideo datur eis querela inofficioſi teſtamenti.
F Præteriti autem dicuntur, non tantùm qui cùm nati eſſent, teſtamenti faciendi tempore omiſsi ſunt, ſed & qui poſt factum teſtamentum naſcuntur, ſi poſt eorum editionem mutandi teſtamenti liberum ſpatium mater habuerit, nec mutauerit. Quòd ſi in ipſo puerperio diem ſuum obierit, aduerſus fratres inſtitutos omiſſo non dabitur querela, ſed adcreſcet eis in virilem: aduerſus extraneos dabitur querela. l. 3. C. de inoff. teſt. Igitur & ſi ſint duo filij ex partibus diſparibus ſcripti, puta, Primus ex quadrante, Secundus ex dodrante, Tertius qui omiſſus eſt trientem feret, Primus ſextãtem, Secundus ſemiſſem. Quòd ſi filius & extraneus ex æquo inſtituti ſint, omiſſo querela dabitur tantùm aduerſus extraneum: nec enim fratri inſtituto quicquam auferet. At ſi ex minima parte, puta ex vncia extraneus inſtitutus ſit, ex deunce filius, aget filius præteritus querela in extraneum, fratri autem adcreſcet in quincuncẽ. Eademq; ratio ſeruabitur ſi plures ſint extranei, pluresq; filij heredes inſtituti,
G aut plures filij, vnus extraneus, plures extranei vnus filius.

Teſtamentum in quo Imperator ſcriptus eſt heres, inofficioſum argui poteſt. Eum enim qui leges facit, pari maieſtate legibus obtemperare conuenit.

Actio inofficiosi datur liberis, aut parentibus exheredatis, etiam contra Imperatorem heredem scriptum.l.Papinianus.§.si Imperator. D.de inoffic.test. Seruare enim eum leges decet qui & facit.l. ex imperfecto.D.de legat.lib. III. A

Qui inofficiosum dicere potest, hereditatem petere non prohibetur.

Multum à querela inofficiosi, quæ & petitio hereditatis de inofficioso appellatur, distat illa petitio hereditatis, de qua post tit.de inoff.test.in Pandectis generalis titulus datur. Nam querela aduersus eum intenditur, qui iustè possidet, vt puta aduersus heredem scriptum, item cōtra fideicommissarium.l.1.C.de inoff.test.contra præteritum, qui accepit cum re bonorum possessionem contra tabulas.l.filium.D.de bonor.possess.contr.tab. Illa autem petitio hereditatis aduersus eum datur, qui nullo iure possidet.l.regulariter.D.de pet.hered. Sed tamen, vt hoc in loco Paulus sentit, qui inofficiosi actionem habet aduersus heredem scriptum, & petitionem illam hereditatis aduersus eum intendere potest. Quamuis enim dari non soleat aduersus eum qui iure possidet: æquum tamen eam dari, cùm is qui agat paratus est inofficiosum testamentum dicere.l.1.C.de inoff.test. Quidam Codices habent, *Qui inofficiosum dicere non potest.* B

Filius ex asse heres institutus inofficiosum dicere non potest, nec interest, exhausta necne sit hereditas, cùm apud eum quarta aut legis Falcidiæ, aut S. C. Pegasiani beneficio sit remansura.

Institutis querela inofficiosi testamenti, ne tunc quidem datur, cùm legatis exhausta vel onerata est hereditas, vel cùm ipsi alteri eam restituere rogati sunt, quia Falcidiam habent. l.Papinianus. §. quarta.D.de inoff.test. C

Quarta portio liberis deducto ære alieno, & funeris impensa præstanda est, vt ab inofficiosi querela excludantur: libertates quoque eam portionem minuere placet.

Quarta debitæ portionis excludit querelam. Quartæ autem ratio priusquam ineatur, deducendum æs alienum, deducendá funeris impensa, deducendæ sunt libertates.l.Papinianus.§.quoniam. & §.quarta.D.de inoff.test.l.cùm quæritur.C.eod. D

Filius in iudicio patris si minus quarta portione consecutus sit, vt quarta sibi à coheredibus fratribus citra inofficiosi querelam impleatur iure desiderat.

Filio instituto ex minore parte non datur querela, maximè si ei adiecti sint fratres coheredes: sed ita actio datur, vt sibi portio debita à fratribus suppleatur. Adiectis extraneis secus esse argumētum prębet.l.3.C.de inoffic.test. Filio autem exheredato, si minus debita portione cōcessum aliquid vel relictum sit, vel eadem actio dabitur, maximè si in testamento id adiectum sit, vt ei debita portio viri boni arbitratu repleatur, vel etiam dabitur querela cum onere collationis, si in totum rescisso testamento omnes fratres ab intestato veniant. Et ita accipio l.si non mortis. D.de inoff.test. l.vt liberis.C.de collat.l.pater filium.D.de collat.dot. Filio autem præterito, nemo est qui nesciat ad excludendum bonorum possessionem contra tabulas quartam non sufficere. Hodie ex constitutione Iustiniani filio instituto ex minore parte, vel exheredato, cui minus debito relictum est, omnimodo actio datur supplendæ portionis gratia, non querela.l.omnimodo.l.scimus.C.de inoff.test. E

Pactio talis, ne de inofficioso testamento dicatur, querelam super iudicio futuram non excludit. Meritis enim liberos, quàm pactionibus adstringi placuit. F

Si parens cum filio paciscatur, ne de inofficioso agat, agenti postea filio non obstat exceptio pacti, vel doli. Sunt enim filij, vt & Papinianus ait, meritis prouocandi ad obsequia paterna, non pactionibus adstringendi.l.si quando.§.illud.C.de inoff.test.

Rogatus hereditatem restituere, etsi inofficiosi querelam instituerit, fideicommisso non fit iniuria: quartam enim solummodo hereditatis amittit, quam beneficio Senatusconsulti habere potuisset.

Qui inofficiosum testamentum dixit, nec obtinuit: id, quod ex testamento accepit, ei aufertur, quasi indigno, & fisco vindicatur.l.Papinianus.§.meminisse.D.de inoff.test. Igitur si institutus & rogatus Titio hereditatem restituere, aduersus Titium inofficiosum testamentum dixerit, atque adeò non obtinuerit, quarta quidem Pegasiana, quam habere potuisset, fisco vindicatur, reliqua autem hereditas Titio conseruatur.d.l.Papinianus. §.vnde non malè. Id enim dumtaxat ei aufertur quod apud eum remanere potuisset. G

Heres

A Heres institutus habẽs substitutum, si de inofficioso dixerit, nec obtinuerit, non id ad fiscum, sed ad substitutum pertinebit.

Vt substitutioni precariæ iniuriam non fieri dixit, scripto querente, nec obtinente: ita nunc ait substitutioni directæ iniuriam non fieri, si scriptus de inofficioso testamento egerit, nec obtinuerit. Nec enim fisco, sed substituto hereditas conseruatur. In priori specie agit aduersus fideicõmissarium, in hac aduersus substitutum, vt & in d.l.Papinia. §.quarta.in fin. Nam vterq; est heredis loco.

De Vicesima. TIT. VI.

B Hic titulus est de vicesima hereditatum, de qua Æmilius Macer libros duos scripsit. Hæc lege Iulia primùm augẽdi ærarij gratia, extraneis heredibus, nec inopibus irrogata est, vt Dio scribit lib. LV. Deinde Neruæ, Traiani, Adriani, Marci, & aliorum constitutionibus vel accisa, vel ex integro reducta, & ad postremum abolita est. Non est credendum Alciato, qui eam fuisse à Gratiano sublatam, idq; Ausonium in Gratiarũ actione testari falso conscripsit. Solet Alciatus auctorum testimonio abuti, eorumq; verba ad sui animi sentẽtiam cõmutare, qua re nihil est iniquius, nihil illiberalius. Quæ lex verò vicesimam sanxit, eadem & de aperiendis tabulis testamenti cauit, vt ex postrema huius tituli sententia apparet: & ita edicto quoque D. Adrianus de Vicesima simul, & de aperiendis tabulis constituit.l.vlt.C.de edic.D.Adr.tol.l.vlt.D.de ap.rec.

C TAbulæ testamenti aperiuntur hoc modo, vt testes, vel maxima pars eorum adhibeantur qui signauerint testamẽtum: ita vt agnitis signis rupto lino aperiatur & recitetur, atq; ita describendi exempli fiat potestas, ac deinde signo publico obsignatũ in archium redigatur: vt si quando exemplum eius interciderit, sit vnde peti possit.

Coactis signatoribus, vel maiori horum parte, & sigillis recognitis, lino inciso tabulæ resignantur, & recitantur.l.cùm ab initio.l.sed si maior.D.quemad.test.aper. Si non fuerit signatorum copia, præsentibus optimæ opinionis viris aperiuntur.l.sed si quis.D.eod.l.2.C.eod.tit. Et ideo in proxima sententia Paulus, *Præsentibus*, inquit, *testibus, vel honestis viris*. Apertis autem tabulis inspiciendi, describendiq; fit potestas eis, quorũ res est. Tum deinde obsignantur signo publico, & in archium D publicum deponuntur, vt si fortasse exemplum interciderit, ex archio petatur. Quid sit archium notum est. Deponuntur in eo instrumenta etiam priuata.l.moris est.D.de pœn.vt publicũ testimonium habeãt: eaq; ratione in archium redacta ad cõparationem valent, licet destituta sint legis sollemnitate. Nou.L.§.pen. Ecclesiarũ archium cimeliarchium appellatur, quòd in eo sint reposita *κειμήλια*, id est, sacra vasa: Et ideo in l.litibus.C.de agr, & cens.sic rectius in scriptis, quàm in excusis codicibus legitur, *In æde sacrosancta, id est, cimeliarchio.* At quemadmodum ideo Paulus ait testamenta in archio deponi, vt exemplo amisso sit vnde aliud promi posit, sic inuenta est ratio qua posint, etiam dum adhuc testatores in rebus humanis agunt, testamẽta publicari, & insinuari actis publicis, vt ipso etiã authentico amisso, ex actis publicis fides testamenti petatur.l.2.l.testamenta.l.consulta.C.de testam. E Non aliter quàm si ab initio actis solùm publicis testamenta condita fuissent. Quod fieri posse indicat l.omnium. C.eod. & Nouel.Valentiniani.de testam. Publicantur autem & reserantur in vrbe apud magistrum census, in prouinciis apud præsides vel magistratus, vel defensores.d.l.testamenta.l. in hac.C.de donatio. Acta in hũc ferme modum Romano more fieri ex Marculphi monachi libro, De formulis publicorũ priuatorumq; negotiorũ Emari Ranconeti v.c. diuino immortaliq; beneficio didicimus: *Anno illo, sub die illa, ciuitate illa, adstante defensore & omni curia illius ciuitatis,* TITIVS *prosecutor dixit: Peto, optime defensor, vosq; laudabiles curiales atq; municipes, vt mihi codices publicos patere iubeatis. Quædam enim in manibus habeo, quæ gestorũ cupio allegatione roborari.* DEFENSOR *& curiales dixerunt, Patent tibi codices publici, prosequere quæ optas.* PROSECVTOR *dixit, Gaius vir illustris mihi mandauit, testamentũ, vt mos est, gestis municipalibus insinuarem.* DEFENSOR *dixit, Amanuensis* F *mandatum accipiat, & recitet.* POST *recitationẽ mandati, Defensor dixit, Mandatũ quidem recitatum est, sed testamentum quod præ manibus te habere dicis, etiam nobis præsentibus recitetur, & vt postulas, gestis publicis firmetur.* POST *recitationem testamenti, Defensor & curiales dixerunt, Testamentum quod recitatum est, gestis publicis inseratur.* PROSECVTOR *dixit, Hoc amplius peto optime Defensor, vt mihi gesta publice edantur:* DEFENSOR *& ordo curiæ dixerunt, Quia testamentum, & mandatum rite cõdita, & bonorum virorum subscriptionibus firmata cognouimus, æquum est vt gesta cùm à nobis fuerint subscripta, & ab amanuensi edita, tibi ex more tradantur, eademq; in archijs publicis conseruentur.* Parq; modo acta in donationum insinuatione conficiebantur.

G Testamenta in municipiis, coloniis, oppidis, præfectura, vico, castello, conciliabulo facta, in foro vel basilica præsentibus testibus vel honestis viris, inter horam secundam & decimã diei recitari debent, exemploq; sublato ab iisdem rursus magistratibus obsignari, quorum præsentia constat aperta.

Recitationes teſtamentorũ fiunt in foro, aut baſilicis à ſecũda hora ad decimã: quoniam eo maximè tempore frequentiſsimum eſt forum. Et fiunt præſente magiſtratu, eodemq; teſtamentum, poſteaquam deſcribendi poteſtas facta eſt, obſignante. Et hoc eſt quod ſuperius publicum ſignum appellauit. Sed ſi in archio ciuitatis tabulæ non deponantur, ſatis erit vel priorum ſignatorum, vel eorum qui illis abſentibus adfuerunt, ſigna magiſtratu præſente reponi. l. ſed ſi quis. D. teſt. quemad. aper. l. 2. C. eod. Pertinet ad hanc maximè quæſtionẽ quod Auguſtinus ſcribit in pſalmum 21. Tamdiu cõtenditur, inquit, de hereditate mortuorum, quamdiu teſtamentum proferatur in plublicum. & cùm teſtamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, vt tabulę aperiantur & recitentur. Iudex intus audit, aduocati ſilent, præcones ſilentium faciunt, vniuerſus populus ſuſpenſus eſt, vt legantur verba mortui non ſentientis in monumento. Ille ſine ſenſu iacet in monumento, & valent verba ipſius: ſedet Chriſtus in cælo, & contradicitur teſtamento eius. A B

Teſtamẽtum lex ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiri voluit: & ideo quamuis ſit reſcriptis variatum, tamen à præſentibus intra triduum, vel quinque dies aperiẽdæ ſunt tabulæ: ab abſentibus quoq; intra eos dies, cùm ſuperuenerinr. Nec enim oportet teſtamẽtum heredibus aut legatariis, aut libertatibus, quàm neceſſario vectigali moram fieri.

Hæc eſt lex Iulia, quæ proprio nomine lex Viceſima hereditatum dicitur in earum legum inſcriptionibus, quæ ſumptæ ſunt ex duobus Æmilij Macri εἰκοσῶν libris. Vult autẽ non tantùm vt viceſima hereditatum fiſco præſtetur, ſed etiam vt tabulæ teſtamenti ſtatim aperiantur. Nec enim hæc res dilationem recipit: & ideo, vt rectè Paulus ait, in l. vlt. D. de appel. rec. ne teſtamentum aperiatur, vt D. Adrianus conſtituit, id eſt, ex edicto D. Adriani, quod etiam pertinet ad viceſimam hereditatum, appellare non permittitur. Qui locus notandus eſt, propterea quòd & ſi mentionem eius edicti ſtudioſè Tribonianus remouerit ex l. vlt. C. de codic. & l. quiſquis. C. quor. appel. nõ rec. vt oſtendi lib. 3. tit. de S.C. Silaniano, reliquit tamen eo in loco: credo quia ea verba, *Vt D. Adrianus conſtituit*, non intellexit ad edictum illud Adriani referenda eſſe. Statim autem aperiendæ ſunt tabulæ, id eſt, à pręſentibus intra dies tres vel quinque à morte teſtatoris. Abſentibus enim primùm itineri in viceна millia paſſuum ſinguli dies dantur: & ob id tractans de lege viceſima, mille paſſus Macer definiuit in l. mille. de verb. ſignific. Aperturæ tabularum poſtea triduum vel quinque dies. Quod ſequitur in hac Pauli ſententia, *Nec enim oportet, &c.* ita reſtituimus ex codicibus nouem: ſed tamen vt ſenſus idoneus reddatur, pro, *teſtamentum*, legendum exiſtimo, *teſtamento.* Dixit autem *quàm neceſſario. κατ᾽ ἔλλειψιν*, vt in tit. prox. §. Meritis liberos, quàm pactionibus adſtringi placet: & in lib. 5. tit. 18. neque in pecuniariis, quàm in capitalibus. Sic enim & in eis locis omnes libri veteres habent. Senſus igitur hic eſt, ideo ſtatim aperiri tabulas, quòd non ſit magis æquum per cauſam teſtamenti clauſi heredibus, aut legatariis, aut libertatibus moram fieri, quàm neceſſario vectigali, id eſt, viceſimæ. Ea igitur legis pars & fiſco, & heredibus, & legatariis, & libertatibus vtilis eſt. Neceſſarium vectigal dicitur, quia id onera imperij introduxerunt pro vtilitate communi, vt Plinius ait in Panegytico. C D E

De lege Cornelia. TIT. VII.

QVi teſtamentum falſum ſcripſerit, recitauerit, ſubiecerit, ſignauerit, ſuppreſſerit, amouerit, reſignauerit, deleuerit, pœna legis Corneliæ de falſis tenebitur, id eſt, in inſulam deportatur.

Lege Cornelia teſtamentaria tenetur, qui falſum teſtamentum ſcripſit, recitauit, ſubiecit, ſignauit dolo malo, vel qui verum celauit, amouit, reſignauit, deleuit. l. 2. D. de leg. Corn. de fal. Qui amouit, furti non tenetur, quia nõ lucrifaciendi animo amouit, ſed vt verum non appareat. Pœna legis Corneliæ eſt deportatio, vt lib. 5. latius explicabitur. F

Non tantùm is qui teſtamentum ſubiecit, ſuppreſſit, deleuit, pœna legis Corneliæ coërcetur, ſed & is qui ſciẽs dolo malo id fieri iuſſit, faciendum've curauit.

Lege Cornelia tenetur non tantùm is, qui eorum, quæ ſuperiùs comprehenſa ſunt, quid fecit: ſed & is, cuius dolo malo eorum aliquid factum erit. l. 2. D. eod.

G

Teſtamentum ſupprimit, qui ſciens prudensq; tabulas teſtamenti in fraudem heredum, legatariorum, fideicommiſſariorum, aut libertatum non profert.

A Quid sit in lege Cornelia supprimere, explicat. Est autem dolo malo testamentum celare, nec iis quorũ interest, exhibere, puta heredibus, aut legatariis, aut exheredatis. Inde in l. Pomp. D. de adq. rer. dom. Qui reposcenti, inquit, non reddit, supprimere, & intercipere videtur. Sed omnimodo supprimendi animum ac consilium exigimus. l. 3. §. si quis dolo. D. de tab. exh.

Supprimere tabulas videtur, qui cùm habeat, & proferre possit, eas proferre non curat.

Vt quis dolo malo supprimere videatur, duo exigimus, vt tabulas habeat, easq́; exhibere posit. Sed tamen qui dolo malo fecit, vt desineret habere, quasi suppressor tabularum, etiam condemnabitur. d. l. 3. §. si quis dolo.

B Codicilli quoq; si lateant, nec proferantur, supprimi videbuntur.

Lege Cornelia tenetur non is tantùm qui testamentũ, sed & qui codicillos occultat dolo malo. Similiter vterque interdicto tenetur, de tabulis exhibendis. l. 1. §. hoc interdictum. D. de tab. exhib.

Edicto perpetuo cauetur, vt si tabulæ testamenti non appareant, de earum exhibitione interdicto reddito, intra annum agi possit, quo ad exhibendum compellitur qui supprimit. Tabularum autem appellatione chartæ quoque & membranæ continentur.

C Interdicto de tabulis proferendis tenetur, qui tabulas supprimit. Dum autem hoc intra annum ait interdictum reddi, post annum non reddi significat: quod pugnat directò cum l. 3. §. vlt. D. de tab. exhib. in quo Vlpianus, Interdictum hoc, inquit, & post annum cõpetere constat: sed & heredi, ceterisq́; successoribus competit. Non est igitur controuersum, sed constat inter omnes perpetuũ esse interdictum, De tabulis exhibẽdis. Sed hoc an ita senserit Vlpianus, subtilius intueamur. Et quidem si verum est quod Vlpianus proposuit, interdictum De tabulis exhibendis post annum competere, cur subdit, quasi augendæ rei gratia, Sed & heredi ceterisq́; successoribus cõpetit? Certisimum est perpetua interdicta successoribus competere: idq́; in annuis tantùm interdictis commodè adiungitur, heredi cõpetere. Quod si in heredem hoc interdictum ceterosq́; successores competere, quod D tamen nusquam reperitur scriptum, Vlpianus scripsisset, & perpetuum esse interdictum facilè admitteremus, & aptè eum atq; conuenienter id subdidisse confiteremur. Quando verò & illud adscripsit, & hoc prætermisit, ita censeo, eandem esse rationem huius interdicti, & interdicti, Ne vis fiat ei, qui in possesionem missus erit. Vtrumq; enim pœnale est: & rectè, meo quidem iudicio. Accursius quæ traduntur in l. 3. §. cõdemnatio. D. de tab. exhib. ad aliud quoq; interdictum transfert in l. 1. §. hanc actionem. D. ne vis fiat ei, qui in poss. miss. erit. Neq; enim ei quicquam obstat. l. si quis dolo. §. 1. D. de re iudic. si quidem in eo pro, *venditor*, mihi persuadeo legendum esse, *debitor*, & verum est. At cõsiderandum hîc rursus est, hoc ordine interdicta proponi, vt præcedat interdictum, Ne vis fiat ei, &c. sequatur interdictum, De tabulis exhibendis. Neq; perturbemur legum inscriptionibus, quas tractatu proprio habito, quandoq; mendis innumeris scatere, Domino faciente, docebimus. Nam E vt l. 3. D. ne vis fiat ei &c. est ex Vlpiani lib. LXVIII. ad edictum, sic & l. 1. & l. vlt. Et quod lex prima LXXII. lex vltima LXVIII. libro tribuitur, mendum allatum est ex numerorum notis in l. i. v. in x. mutato & vno I. quod superest in l. vlt. in ea prætermisso. Quæ vitiorum genera in auctoribus frequenter occurrunt. Cùm verò Vlpianus hoc prius de interdicto, Ne vis fiat ei &c. scripsisset post annum id nõ competere, sed heredibus similibusq́; personis dari, in l. 1. §. hanc actionem. D. ne vis fiat ei, &c. quod & de interdicto annali Vnde vi adnotatur in l. 1. §. hoc interdictum heredi. D. vnde vi. deinde idem Vlpianus huic interdicto proximè adiuncta tractatione interdicti De tabulis exhibendis, vt credo, sic scripsit in l. 3. §. vlt. D. de tab. exhib. Interdictum hoc & post annum non competere constat hoc sensu sicut superiùs, Ne vis fiat, ita & hoc post annum non competere constat. Sequitur, F Sed & (sicut videlicet superius) heredi ceterisq́; successoribus competit. Et hanc lectionem cùm ipse rerum ordo, tum hæc Pauli sententia manifestò confirmat. Qui nec hunc interdictorum ordinem animaduerterunt, nec iterati huius articuli, &c, vim intellexerũt, auctores, vt opinor, demendæ negationis fuerunt. Non est illud ommittendum, edictum quidem loqui de tabulis, sed tabularum appellatione omnem materiam contineri. Quæ interpretatio etiam ad edictum de bonor. possesione secundum tab. adhiberi solet.

De Intestatorum successione. TIT. VIII.

G INter agnatos & cognatos hoc interest, quòd in agnatis etiam cognati continentur, inter cognatos verò agnati non comprehenduntur. Et ideo patruus & agnatus est, & cognatus, auunculus autem cognatus tantummodo.

Cognatorum nomen generale eſt. Ex his alij ſunt agnati, alij cognati. Agnati ſunt cognati per mares, vt patruus amita: cognati ſunt per feminas, vt auunculus matertera. l. penult. D. vnd. legit. A

Si ſint fratres defuncti, & fratris filij, vel nepotes, fratre non exiſtente, filius fratris nepoti præfertur.

Hæc ſententia ſecum ipſa non conſentit: ait enim initio eſſe fratres defuncti, deinde fratrem non exiſtere. Rurſus ait filium fratris nepoti præferri, cùm tamen exiſtere fratris filios & nepotes non propoſuerit, ſed fratris filios vel nepotes. Igitur ſic lego, *ſi ſint frater defuncti, & fratris filius vel nepos, frater filio fratris, vel eo non exiſtente, nepoti præfertur.* §. ſi plures. de legit. agn. ſuc. B

Feminæ ad hereditates legitimas vltra conſanguineas ſucceſſiones non admittuntur, idq; iure ciuili, vel Voconia narratione videtur effectum. Ceterùm lex XII. tab. nulla diſcretione ſexus cognatos admittit.

Conſanguinei vtriusq; ſexus, legitimi heredes ſunt: vltra conſanguineos feminæ legitimi heredes non ſunt: idq; effectum eſt iure nouo. Iure enim antiquo omnes agnati cuiuſcunq; ſexus legitimi ſunt: quod à Iuſtiniano renouatum eſt. §. ceterùm. de legit. agn. ſuc. Ait, *iure ciuili, vel Voconia narratione.* Quidam codices habent *iure ciuili Voconiana ratione*, emendo, *iure ciuili Voconiana rogatione.* Hæc lex hereditates coërcuit mulierum ne diteſcerent, ac proinde elatæ æquarent ſe viris. Scripſimus de ea in Notis ad tit. de leg. Falc. lib. III. Inſtitu. C

In hereditate legitima ſucceſſioni locus non eſt. Et ideo fratre decedente antequam adeat, aut repudiet hereditatem, fratris filius admitti non poteſt, quia omnis ſucceſſio proximiori defertur.

In legitimis heredibus non eſt ſucceſsio. Et ideo fratre moriente dum deliberat, fratris filius mihi heres legitimus non eſt: nam ſucceſsio legitima proximiori defertur. Tempore autem delatæ hereditatis frater fuit proximior, non fratris filius, ergo fratris filio non defertur, neque eam frater tranſmiſit ad fratris filium. Igitur filio fratris non dabitur Vnde legitimi, dabitur tamen Vnde cognati. §. placebat. de legit. agnat. ſuc. Ex conſtitutionibus Iuſtiniani in legitimis hereditatibus eſt ſucceſsio, & frater alterius fratris filio non præfertur. D

Ab hoſtibus captus neque ſui, neq; legitimi heredis ius amittit poſtliminio reuerſus. Quod & circa eos qui in inſulam deportantur, vel ſerui pœnæ effecti ſunt, placuit obſeruari, ſi per omnia in integrum indulgentia principali reſtituantur.

Poſtliminio recipimus ſui & legitimi heredis ius: Item reſtitutione principis. l. 1. §. filio. D. ad Tertyl. l. 1. §. vlt. D. de bon. poſſ. contr. tab. non tamen manumiſsione. l. 7. D. vnd. cogn. Reſtitutio plenior eſt manumiſsione: Reſtitutio ingenuum facit, Manumiſsio ingenuum non facit. E

Pro herede gerere, eſt deſtinatione futuri dominij aliquid ex hereditariis rebus vſurpare. Et ideo pro herede gerere videtur, qui fundorum hereditariorum culturas, rationesq; diſponit, & qui ſeruis hereditariis, iumentis, rebus've aliis vtitur.

Heres legitimus fundos hereditarios coluit, aut eorum rationes diſpoſuit, ſeruos, aut iumenta pauit, aut diſtraxit: ſi hoc animo heredis geſsit, pro herede geſsit: ſi alio animo, non item. Quod fuſius explicatur in l. pro herede. D. de adq. hered. F

Ex pluribus heredibus iiſdemq; legitimis, ſi qui omiſerint hereditatẽ, vel in adeundo aliqua ratione fuerint impediti, his qui adierunt, vel eorum heredibus omittentium portiones adcreſcunt. Quod in herede inſtituto eum qui acceperat ſubſtitutum euenire nõ poterit. Diuerſa enim cauſa eſt ſcripti & legitimi.

G

Qua in re diuerſa ſit cauſa ſcripti & legitimi, Anianus non intellexit: ſed colligitur ex l. ſi ex pluribus. D. de ſuis & leg. hered. Ius adcreſcendi coheredis heredem ſequitur, ad quem portio hereditatis peruenit: ius ſubſtitutionis coheredis heredem non ſequitur, licet portio hereditatis, ex qua ſubſtitutus coheres adiectus eſt, ad eũ peruenerit. Ius adcreſcẽdi reale, ius ſubſtitutionis perſonale. Ineſt verò

A verò mendum, ni fallor, in illo loco, *eum qui acceperat substitutum*, legendum censeo, *eoq; coheredi substituto*, vt in l.si ex pluribus: instituti heredis & coheredi substituti.

Ad S. C. *Tertullianum*. TIT. IX.

MAtres tam ingenuæ quàm libertinæ ciues Romanę, vt ius liberorum consecutæ videantur, ter & quater peperisse sufficiet, dummodo viuos & pleni temporis pariant.

B Mater filio succedit quasi legitima ex S.C.Tertulliano, cuius auctor fuit D.Pius, vt Zonaras scribit, & nos probasse in Instit.meminimus. Sed hoc ita si ius liberorum habeat, ingenua trium, libertina quattuor, & si viuos, maturosq; peperit. Nati enim non videntur, qui mortui nascuntur, & contra naturam ac leges videntur nasci qui immaturo partu eduntur: vt qui ante septimum mensem.

Quæ semel vno partu tres filios edidit, ius liberorum non consequitur. Non enim ter peperisse, sed semel partum fudisse videtur, nisi forte per interualla pariat.

Ter enixa videtur, quæ tergeminos peperit per interualla.l.ter enixa. D.de verb. sign. non quæ
C vno partu, id est, nullo interiecto interuallo. Vno autem impetu constat duos plures've nasci non posse.l.Arescusa.D.de stat.hom.

Mulier si monstrosum aliquid aut prodigiosum enixa sit, nihil proficit. Non sunt enim liberi qui contra formam humani generis conuerso more procreantur.

Extat hæc sententia in l.non sunt.D.de stat.hom. Pertinet autem propriè ad S. C.Tertullianum. Igitur monstrosus vel prodigiosus partus in S. C. Tertulliano matri non prodest. Contrà Vlpianus in l.quæret.D.de verb.sign. prodigiosum vel monstrosum partum matri in lege Papia prodesse
D ait. Diuersitatis ratio aliqua reddi potest: Odiosa enim est lex Papia quæ orbas eorum quæ in testamentis relinquuntur semisse multat, auctore Nicephoro libr. VII. cap.47. Et ideo Ambrosius in Lucæ capite 3. Erat, inquit, deforme liberos non habere: quod etiam legum ciuilium fuit auctoritate multatum. In S. C. Tertulliano de lucro certatur, in lege Papia de damno. Plus autem fauendum est his, qui de damno vitando, quàm de lucro captando certant. l.vlt. §.fin verò creditores. C. de iur.delib. Sed quia derogatum erat hac in re S. C. Tertulliano. l.2.C.de iur.liber. hanc sequentemq; sententiam Tribonianus posuit sub tit.de stat.hom.verbis ad hunc sensum inflexis, vt nō sint iusti liberi, & in potestate qui contra naturam nascuntur.

Partum qui membrorum humanorum officia ampliauit, quia aliqua-
E tenus videtur effectus, matri prodesse placuit.

Quibus ampliata sunt officia membrorum, vt sedigiti, matri prosunt.l.non sunt.D.de stat.hom.

Septimo mense natus matri prodest. Ratio enim Pythagoræi numeri hoc videtur admittere, vt aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur.

Partus ἑπτάμηνος matri prodest in S. C. Tertulliano: est enim pleni temporis. l.septimo. D.de stat.hom. Qui ante septimum, vel octauo mense prodeūt, imperfecti sunt, nec vitales. Nono autem, & decimo, & vndecimo à conceptionis die legitimi partus fiunt. Non tamen vndecimo à morte
F mariti ex XII. tab. Sed decreto quodam Adriani, etiam vndecimo à morte mariti mense partus legitimus fit. Quod defendi potest partu edito sub initium vndecimi mensis. Nam si sub finem edatur, proculdubio illegitimus est, Nouel. XXXIX. Cùm verò summus hic sit pariendi finis, non dubito quin sit in l.vlt.D.de adquir.rer.dom.pro *vsucapta*, legendum, *vendita*. Est enim vsucapio ancillæ saltem anni vnius. Vt autem quæ grauida facta est apud testatorem, vel donatorem, fieri potest vt apud legatarium, vel donatarium pariat, ita fieri non potest, vt quæ apud dominum prægnans facta est, apud eum qui eam vsu suam fecerit, pariat. Sic igitur totam eam legem suæ integritati restituo, *Cum prægnans mulier legata, aut vendita, alio've quo modo alienata pariet, eius fiet partus cuius est ea cum eniteretur, non cuius tunc fuisset, cùm conciperet*. Opponitur editioni conceptio: & hoc posito concepisse ancillam apud vnum, peperisse apud alterum, huic datur partus, nō illi. Sed vt ad ἑπτάμηνον
G redeamus, quem maturū partum esse diximus, cùm tamen ὀκτάμηνος sit immaturus, si quæratur differentiæ ratio, tribuendū id erit occultæ rationi & virtuti septenarij numeri: ac videnda hîc omnino erit epistola Ambrosij 39. ad Horontianum. Ad hæc si quæratur an & is sit maturus qui ad initia septimi mensis natus est, dicam esse maturum ex l.3. §.vlt. D.de suis & leg. her. vt puta si natus sit CLXXXII. die. Et si enim exactiùs dinumeratis omnibus mensium diebus, CLXXXII. dies accidere

dere posſit vt ſextum menſem non impleant, verbi gratia, à Kalend. Martiis vſque ante diem pridiè Kal. Auguſt. dinumeratione facta, tamen in hoc propoſito, ex ſententia Græcorum Iuriſconſultorum, ita ineunda eſt computatio, vt ſingulis menſibus XXX. dumtaxat dies tribuantur. Qua ratione CLXXXII. dies ſeptimũ menſem attingunt. Et ita Hippocrates quoque lib. 2. Epid. 3. Sect. CCLXX. dies pro nouem menſibus putat, nosq; hanc putandi rationem ſemper ſequimur. At videtur huic noſtræ ſententiæ aduerſari Paulus, dum ait, *ſeptimo pleno*, pleno autem, id eſt, CCX. diebus, qui numerus continet τρεῖς δεκάδας ἑβδομάδων, vt & Hippocrates περὶ σαρκῶν oſtendit. Non tamen ideo ſtatim conſequitur, non naſci partum legitimũ circa initia ſeptimi menſis: Nam & CLXXXII. partum naſci Hippocrates ſcripſit περὶ ἑπταμήνου qui numerus dierum efficit dimidiam anni partem rotundatô numero. A

Aborſus vel abactus venter partum efficere non videtur. B

Quæ abegit partum, vel abortum fecit, peperiſſe non videtur. l. 2. C. de poſt. hered. Et ideo abortu facto finitur miſsio in poſſeſsionem. l. 1. in fin. D. de vent. in poſſ. mit.

Libertina vt ius liberorum conſequi poſsit, quater eam peperiſſe ſufficit.

Quidam addunt malè, *vt ingenuam*. Sed & tota hæc ſententia ſubditiua videtur, cùm hoc ſit in prima ſententia ſatis expreſſum.

Latina ingenua ius Quiritium cõſecuta, ſi ter pepererit, ad legitimam filij hereditatem admittitur: non eſt enim manu emiſſa. C

Ingenua mater ex S. C. Tertulliano filio ſuccedit, non ea tantùm quæ ciuis Romana eſt, ſed etiam Latina quæ ius Quiritium conſecuta eſt, ſi tres liberos habeat. Latina ingenua eſt, quæ nata eſt ex Latinis libertinis.

Ius liberorum mater habet, quæ tres filios aut habet, aut habuit, aut neque habet, neque habuit. Habet, cui ſuperſunt: habuit, quæ amiſit. Neque habet neq; habuit, quæ beneficio principis ius liberorum conſecuta eſt. D

Non ea tantùm mater ex S. C. Tertulliano ſuccedit, quæ ter aut quater peperit, ſed & quæ non peperit, ſi ius trium aut quattuor liberorum à Cæſare impetrauerit: Immò & ſi non impetrauerit ex conſtitutione Iuſtiniani. Conſtitutio Honorij, id eſt, l. 1. C. de iur. liber. aliò pertinet, vt oſtendimus in fragm. Vlpiani, tit. de ſolid. capac. int. vir. & vxor.

Ad S. C. *Orphitianum.* TIT. X.

Filij vulgò quæſiti ad legitimam matris hereditatem adſpirare non prohibentur: quia pari iure vt ipſorum matribus, ita ipſis matrum hereditates deferri debuerunt. E

Quemadmodum ex S. C. Tertulliano mater filiis vulgò quæſitis ſuccedit, ita ex S. C. Orphitiano filij vulgò quæſiti matri ſuccedunt iure legitimo. §. nouiſsimè. de S. C. Orphit.

Ad filiam ancillam, vel libertam ex S. C. Claudiano effectam legitima matris inteſtatæ hereditas pertinere non poteſt: quia neq; ſerui, neq; liberti matrem ciuilem habere intelliguntur. F

Si filia libera ancilla facta ſit ex S. C. Claudiano, nec ſi poſtea liberta efficiatur, matri ex S. C. Orphitiano ſuccedet, quia mater eſſe deſiit. l. 1. §. filio. D. ad S. C. Tertyl. Quid S. C. Claudiano contineatur, expoſuimus in Notis ad tit. Vlpiani De tutelis. Eo vſi ſunt olim Langobardi, & Franci, vt ex eorum legibus & inſtitutis antiquis colligi poteſt. Noſtro tamen Iuſtiniano non probatur.

Ad legitimam inteſtatæ matris hereditatem filij ciues Romani, non etiam Latini admittuntur. Ciues autem Romanos eo tẽpore eſſe oportet, quo ab iiſdem legitima hereditas aditur.

Matri ex S. C. Orphitiano ſuccedunt ingenui ciues Romani: nec ſatis eſt ſi ciues Romani ſint mortis tempore: nam & aditæ hereditatis tempore ciues Romanos eſſe oportet. l. 1. §. filio. D. ad S. C. Tertyl. Sunt quidam ingenui Latini, vt qui nati ſunt ex matre liberta Latina, ſed hi matri ius, ſcilicet, Quiritium conſecutæ ab inteſtato non ſuccedunt. Liberta Latina quæ ius Quiritium conſecuta non eſt, heredem non habet. G

Filius

A Filius maternam hereditatem, eandemq; legitimam, nisi adeundo quærere non potest.

Filius patri ipso iure heres existit, Matri autem heres fit aditione simplici, siue bonorum possessionis petitione, siue cretionis sollemnitate.l.3.C.ad S. C. Orph. eodemque modo mater filio heres fit.l.1.C.Th.de cret.vel bon.poss.l.1.C. Th.de leg.her. Hic verò totus titulus desiderabatur in libris antehac impressis.

De gradibus. TIT. XI.

B PRimo gradu superiori linea continentur pater mater: inferiori filius filia, quibus nullæ aliæ personæ iunguntur.

Duplex est linea, recta & transuersa. Directa in superiorem & inferiorem diuiditur. Superior est parentum, inferior liberorum. Vtraq; incipit à primo gradu, & in eo personæ dumtaxat quattuor continētur. Transuersa incipit à secundo gradu, & oritur ex superiore linea.l.stemmata.D.de grad. & adfin. In inferiori nulla est linea transuersa. Hæc dicitur etiam obliqua & lateralis. Saluianus lib. III. ad Eccles.Cath. Non solùm, inquit, vt aiunt, ex directo, sed etiam ex obliquo, & ex transuerso venientibus res propriæ facultatis addicunt.

C Secundo gradu continentur superiori linea auus auia, inferiori nepos neptis: transuersa frater soror: quæ personæ duplicantur. Auus enim & auia tam ex patre, quàm ex matre: nepos neptis tam ex filio, quàm ex filia: frater soror tam ex patre, quàm ex matre accipiuntur. Quæ personæ sequentibus quibuscumque gradibus similiter pro substantia earum quæ in quoquo gradu consistunt ipso ordine duplicantur.

D In secundo gradu XII. sunt personæ. Nam auus, auia, nepos, neptis, frater, soror dupliciter intelliguntur. Et sic in sequentibus quoq; gradibus personæ dupliciter accipiuntur.l.Iurisc.§.secūdo.D. de grad.& adfin.

Tertio gradu veniunt suprà proauus proauia, infrà pronepos proneptis: ex obliquo fratris sororisque filius filia, patruus amita, id est, patris frater & soror: Auunculus matertera, id est, matris frater & soror.

E Tertio gradu continentur personæ X. duplicatæ XXXII. quod in libro singulari de gradibus & adfinibus Paulus diligentius exposuit.

Quarto gradu veniunt suprà abauus abauia: infrà abnepos abneptis. Ex obliquo fratris & sororis nepos neptis, frater patruelis, soror patruelis, id est, patrui filius filia: consobrinus consobrina, id est, auunculi & materteræ filius filia: amitinus amitina, id est, amitæ filius filia: itemq; consobrini qui ex duabus sororibus nascuntur. Quibus F adcrescit patruus magnus, amita magna, id est, aui paterni frater & soror: Auunculus magnus, matertera magna, id est, auiæ tam paternæ, quàm maternæ frater & soror.

In quarto gradu personæ continentur LXXX. Patrueles mihi sunt patrui mei filij: Consobrini, auunculi & materteræ meæ filij: Amitini, amitæ meæ filij. Hoc verò cùm ita definierit Paulus, frustra adiicit, *itemq; consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur.* Itaque censeo superiora illa verba *& matertera*, delenda esse, vt & in Notis ad tit. De grad.cog.probaui. Item in illo loco, *aui paterni*, addendum, *auiq; materni.* Nam & aui materni frater mihi est patruus magnus, matri autem meæ patruus.l.Iurisc.§.patruus magnus. Quod si verum est, in extremo proximæ sententiæ quod additum G est, *proauiq; materni*, vt in ordinem suum redigatur, reddi oportet propatrui, proamitæq; definitioni. Eadem est in extremo alterius quæ sequitur sententiæ, horum verborum, *abauiq; materni*, præpostera dispositio.

Quinto gradu veniunt suprà quidem atauus atauia, infrà atnepos

atneptis: ex obliquo fratris & ſororis pronepos proneptis, fratris patruelis ſororis patruelis, amitini amitinæ, conſobrini conſobrinæ filius filia, propius ſobrinus ſobrina, id eſt, patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius filia. His adcreſcunt propatruus proamita, hi ſunt proaui paterni frater & ſoror: proauunculus promatertera, hi ſunt proauiæ paternæ maternæque frater & ſoror, proauiq; materni. A

Quinto gradu continentur perſonæ CLXXXIIII. De definitione propioris ſobrini ſcripſimus Inſtitutionum lib. III. ſatis multa. B

Sexto gradu veniunt ſuprà tritauus tritauia, infrà trinepos trineptis. Ex obliquo fratris & ſororis abnepos abneptis, fratris patruelis, ſororis patruelis, amitini, amitinæ, conſobrini conſobrinæ nepos neptis: patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ nepos neptis, id eſt, propioris ſobrini filius filia, qui conſobrini appellantur. Quibus ex latere adcreſcunt propatrui, proamitę, proauunculi, promaterteræ filius filia: Abpatruus abamita, hi ſunt abaui paterni frater & ſoror: Abauunculus abmatertera, hi ſunt abauię paternæ maternæq; frater & ſoror, abauiq; materni. C

Sexto gradu continẽtur perſonæ CCCCXLVIII. In eo ſunt cõſobrini qui proprio inter ſe vocabulo ſobrini appellantur, id eſt, conſobrinorum filij. Conſobrini à Græcis ἐξάδελφοι & πρωτεξάδελφοι: Sobrini δισεξάδελφοι, & δεύτεροι ἐξάδελφοι appellantur. Conſobrinus meus mihi eſt quarto gradu, conſobrini mei filius quinto: ipſi inter ſe conſobrinorum filij, qui ſobrinos ſe vocant, ſexto. Sic ſobrino natus mihi eſt ſeptimo gradu, ipſi autem inter ſe ſobrinorum filij, qui τρισεξάδελφοι appellantur, ſunt octauo. Quidam codices hîc habent, *propius conſobrini*, *propius conſobrinæ filius filia*: quod defendi poteſt. Nam conſobrinorum appellatio latiſsima eſt, vt oſtendi in Inſtit. D

Septimo gradu qui ſunt cognati recta linea ſuprà, infraq; propriis nominibus non appellantur: ſed ex tranſuerſa linea continentur fratris ſororis've atnepos atneptis, conſobrini filij filiæque.

Septimo gradu continentur perſonæ mille XXIIII. & ex recta linea qui in eo ſunt carent propriis nominibus, ex obliqua iam antè defecerunt propria nomina.

Succeſſionis idcirco gradus ſeptem conſtituti ſunt, quia vlterius per rerum naturam nec nomina inueniri, nec vita ſuccedentibus prorogari poteſt. E

Alij auctores ſex tantùm gradus conſtituunt, Paulus ſeptem: quia ex ſeptimo gradu vocatur ſobrino ſobrina've natus. §. vlt. de ſuc. cog. l. 1. §. hæc autem. D. vnd. cog. Vlterius verò gradus non porriguntur, cùm & in ſeptimo deficiant omnimodo cognatorum nomina, & vix vltra eum gradum cognatorum vita conſiſtat. l. non facilè. D. de grad. & adf.

De manumiſsionibus. TIT. XII. F

SEruum communem vnus ex dominis manumittendo Latinum facere non poteſt, nec magis quàm ciuem Romanum: cuius portio eo caſu quo ſi proprius eſſet ad ciuitatem Romanam perueniret, ſocio adcreſcit.

Si vnus ex dominis communem ſeruum manumiſerit, nihil agit. Nam neq; Latinum eum facit, neque partem ſuam amittit. Quod ſi vindicta manumiſerit, Romanum quidem ciuem eum non facit, ſed partem ſuam amittit, eaq; adcreſcit ſocio. Hæc Iuſtinia. mutat in l. 1. C. de com. ſer. ma. G

Mutus & ſurdus ſeruum vindicta liberare non poſſunt. Inter amicos tamen, & per epiſtolam manumittere non prohibentur. Vt autem

A tem ad iustam libertatem peruenire possit, condicione venditionis excipi potest.

Surdus mutus ita natus neque vindicta, neque alio modo seruum manumittere potest.l.discretis.C.qui testam.fac.poss.Idemq; obtinuisse opinor in surdo muto ita facto.Qui autem altero morbo laborat, surdus puta, vel mutus, vindicta, aut testamento manumittere non potest, inter amicos potest, atque adeo Latinum non ciuem Romanum facere potest. Ideo nō vindicta, quia sollemnia verba, quæ in ea manumißione interueniunt, aut effari, aut exaudire non potest. Sed cùm ea verborum sollemnitas omitti soleat.l.manumißio.D.de manu.vind.& publicæ hoc etiam suadeat vtilitatis ratio, poterit hodie vindicta quoque manumittere.Idque etiam in surdo ita nato Celsus scri-
B psit.l.1.D.qui & à quib.man. Testamento autem ideo non poterat, quia testamenti factionem non habebat, quam postea ei Iustinianus dedit.Illud olim non erat dubium, quin posset mutus aut surdus hanc venditioni serui legem dicere, vt vindicta eum emptor liberaret, quo modo etiam curator furiosi quem non potest manumittere, vt liber fiat adsequitur.l.seruus furiosi.D.de manumis.

Tormentis apud Præsidem subiectus, & de nulla culpa confessus, ad iustam libertatem perduci potest.

Iusta libertas, est ciuitas Romana. Ciuitatem ergo Romanam tortus, nec confessus apisci potest. Tortus, & confessus ex lege Ælia Sentia manumißione dediticiorum numero fit: auctor Vl-
C pia.in frag.tit.1.

Fideicommissa libertas data facto heredis non mutatur, si seruum quem manumittere iussus est, vinxerit.

Ad iustam libertatem perduci non potest is, quem dominus ob delictum vinxit: ideoq; iniectis vinculis, extinguitur fideicommissa libertas.l. fideicommissaria.2.D.de fideic.liber. Diuersum est, si heres ipse qui rogatus est, seruum vinxerit, vt in Frag.Vlp.tit.1.adnotauimus. Serui enim deteriorē condicionem heres facere non potest.l.is qui ex causa.D.de fid.lib.

Communem seruum vnus ex sociis vinciendo, futuræ libertati non
D nocebit. Inter pares enim sententias clementior seueriori præfertur. Et certè humanæ rationis est fauere miserioribus, & propè innocentes dicere, quos absolutè nocentes pronuntiare non possumus.

Vincti pœnæ causa, & postea manumißi, dediticiorum numero sunt ex lege Ælia Sentia. An & communis seruus qui ab vno ex dominis vinctus est? Minimè verò. Ideoq; vindicta manumissus omnium voluntate, ciuis Romanus fit, vel inter amicos Latinus. Hoc ita, vt eleganter Paulus ait, quoniam inter pares sententias clementior seueriori præfertur: & certè humanæ rationis est, &c. Is verò seruus non est absolutè nocens, quem vnus dominus pœnæ causa vinxit, alter non vinxit.

E Debitor creditor've seruum pignoris vinciendo, dediticium facere non possunt. Alter enim sine altero causam pignoris deteriorem facere non potest.

Seruus pignori obligatus, & debitoris vel creditoris iussu vinctus, dediticiorum numero non efficitur: ideoq; vinctus iussu debitoris, deinde creditori addictus ab eoq; vindicta manumissus ciuis Romanus fit, vel iussu creditoris vinctus, & soluto debito, à debitore vindicta manumissus, æquè ad iustam libertatem peruenit. Nec enim alter sine altero pignoris causam deteriorem facere potest. An autem si creditor seruum vinxerit, quasi re malè tractata tenebitur pignoraticia actione?
F Minimè.l.eleganter.§.vlt.D.de pig.act.

Seruus furiosi domini vel pupilli iussu vinctus dediticiorum numero non efficitur: quia neque furiosus, neque pupillus exacti consilij capax est.

Nihil nocent vincula libertati, si pupillus sine tutoris auctoritate, vel si furiosus seruum in vincula coniecerit: quia animi iudicium non habēt. Vincula quemadmodum in lege Ælia Sentia de dediticiis accipiantur Vlpia.exponit in l.verum.D.de verb.sign.

G Non tantùm si ipse dominus vinciat, nocet libertati, sed & si vinciri iubeat, aut vincientis procuratoris actorísve factum cōprobet. Quòd si antequam sciret vinctum, solutionis eius causas approbauerit, libertati futuræ vincula non nocebunt.

Non

Non tantùm si dominus, sed & si alius mandante eo, vel ratum habente vinxit, seruus dediticiorum numero habetur. Domino autem ratum non habēte, soluto seruo, nihil ei ab alio iniecta vincula nocent. Itaque iustam libertatem à domino consequi potest. Ait, *quòd si antequam sciret vinctum.* Non prius vinctum esse sciuit & voluit, deinde soluit, sed solui statim voluit atque vinctum esse cognouit: ideoq; libertati hæc vincula nihil nocent. Hodie sublata est dediticiorum condicio: Itaque vsui hæc esse non possunt, nisi à simili, aut pari argumento ducto. A

Cæco curator dari non potest, quia ipse sibi procuratorem instituere potest.

Curator dari solet muto, surdo, prodigo, adolescēti, furioso, fatuo: quoniam hi non semper procuratorem dare possunt. l. mutus. D. de procur. Cæco non datur: nam hic omnimodo sibi procuratorem instituere potest, vt & adoptare, & testari, & bonorum possessionem sibi postulare. l. etiam cæcus. D. de adopt. l. 2. D. de bon. poss. fur. ij. Potuit hæc sententia ad quæstionem manumissionum pertinere, cùm & de lege Ælia Sentia Paulus tractans id scripserit, tutorē cæcum auctorē fieri posse. l. etiam. D. de auct. tut. Et licet personæ quæ curatorum aut tutorum consilio reguntur vinciendo dediticium facere non possint, vt de furioso & pupillo superius dictum est, cæcus tamen & per se, & per procuratorem dediticium facere potest. Et ita hæc sententia ad legem Æliam Sentiam accommodabitur. B

De fideicommissis libertatibus. TIT. XIII. C

EA condicione heres institutus, si liberos suos emancipauerit, omnimodo eos emancipare cogendus est. Pro condicione enim hoc loco emancipatio videtur adscripta.

Institutus sub hac condicione, si liberos emancipauerit, omissa condicione hereditatem amplecti potest. Nec enim cogitur parere condicioni. Et hoc verum est secūdùm vulgarem formulam iuris, id est, recto & ordinario iure, vt ait Marcianus in l. filiusfam. §. secundùm. D. de lega. lib. 1. Sed in Pand. Florentinis is §. diuulsus, ac laceratus est, in aliis non satis emendatus. Verùm sic est restituendus, *secundùm vulgarem formam iuris, & si filios suos emancipare rogatus fuerit, non cogitur hoc facere.* Potestas enim patria inæstimabilis est. Rectè autem ait, secundum vulgarem formam iuris: nam extra ordinem eos emancipare cogitur. l. si cui legatum. D. de cond. & dem. & ita hanc Pauli sententiam accipio. Dices, quid verò hæc sententia ad fideicommissarias libertates? Dicam: quòd vt seruis, ita & liberis, qui in potestate parentum sunt, per fideicommissum libertas relinqui videatur, herede rogato vt emancipet, modóve, aut condicione emancipationis adscripta. Nam qui emancipatur, manumittitur. D

Decedente eo, à quo fideicommissa libertas relicta est, heredes eius eam præstare cogendi sunt. E

Si is qui rogatus est seruum manumittere ante manumissionem decesserit, successores eius debent manumittere. l. imperator. §. 1. D. de fideic. lib.

Si decedens seruis suis libertatem ita dederit, Illum & illum liberos esse volo, eosq; filiis meis tutores do, impeditur fideicommissa libertas: quia pupilli sine tutoris auctoritate manumittere non possunt, & habentibus tutores tutor dari non potest: sed interim vice absentium pupilli habentur, vt ex decreto amplissimi ordinis primùm libertas, ac deinde tutela competere possit. F

Seruos filio suo impuberi tutores dedit, & filium rogauit vt eos manumitteret, quod etsi non adscripsisset intelligeretur. l. etsi non adscripta. C. de fideic. lib. Hæc quæstio τῶν ἀπόρων videtur, quia non potest eos pupillus ex causa fideicommissi manumittere sine tutoris auctoritate. l. ex causa. D. de fid. lib. Rursus alij tutores ei dari non possunt. l. idem fiet. D. de testam. tut. nec qui testamēto dati sunt, aliter tutelam administrare, quàm si fuerint manumissi. Sed interim pupillus vice absentis habetur, vt ex S. C. Dasumiano libertas perinde seruis competat, atque si ex causa fideicommissi manumissi essent. l. neque infantes. l. non tantùm. §. S. C. D. de fid. lib.

Ad legem Fusiam Caniniam. TIT. XIIII. G

NOminatim serui testamēto manumitti secundum legem Fusiam possunt. Nominatim autem manumittere intelligitur hoc modo,

STICH

A STICHVS LIBER ESTO. Cùm autem, OBSONATOREM, VEL QVI EX ANCILLA ILLA NASCITVR LIBERVM ESSE VOLO, ex Orfitiano S. C. perinde libertas competit, ac si nominatim data sit. Officiorum enim & artium appellatio nihil de significatione nominum mutat, nisi fortè plures sint qui eo officio designētur. Tunc enim nomen adiungendum est, vt eluceat de quo testator B sensisse videatur.

Libertas testamento nominatim relinquenda est. §. libertas. D. de legat. idque lex Caninia iubet, vt & Vlpianus scribit in Frag. tit. I. Nominatim autem videntur manumissi non tantùm qui propriis nominibus, sed & qui aliis demonstrationum notis designati sunt, veluti Cocus meus, si vnus ei tantùm cocus sit: vel Arescusæ filius, si vnus tantùm Arescusæ filius sit. Nec enim refert vtrum dicas, Socrates, an Sophronisci filius, cùm vnus Sophronisco sit filius Socrates. Quo exemplo Porphyrius vtitur. Et hæc etiam S. C. definita sunt. Huc pertinet l. nominatim. D. de manu. testa.

Codicillis testamento confirmatis datæ libertates cum his quæ tabulis testamenti datæ sunt, concurrunt: & siue antecedant, siue sequan-C tur testamentum, nouissimo loco adhibentur, quia ex testamento vtræque confirmantur.

Lege Caninia definitus est numerus seruorū qui testamento manumitti possunt, quem si testator egrediatur, qui priores nominati sunt, liberi fiunt vsque ad legitimum numerum ceteris exclusis. Ait autem Paulus in codicillis manumissos posteriore loco omnimodo haberi: & rectè, quoniam testamenti sequela esse intelliguntur, etiam si testamentum præcesserint.

Quotiens numerus seruorum propter legem Fusiam Caniniam ine-D undus est, fugitiui quoque, quorum semper possessio animo retinetur, computandi sunt.

Inter omnes constat seruum fugitiuum posideri ad vsucapionem: an & ad possesionem adquirendam, dubitatur. Sed eorum sententia obtinuit, qui & per eum possesionem adquiri putant. l. 1. §. per seruum qui in fuga. l. per eum, in fin. D. de adqui. poss. l. si cui. §. vltim. D. de liber. cau. Cùm itaque posideatur seruus fugitiuus, in numero familiæ meritò computabitur, quotiens quot seruos testator habuerit, vt sciatur quatenus testamento datæ libertates valeant, inquiretur.

Lege Fusia Caninia cauetur, vt certus seruorum numerus testa-E mento manumittatur. Subductis igitur duobus vsque ad X. pars dimidia, à X. vsque ad XXX. pars tertia, à XXX. vsque ad C. pars quarta, à C. vsque ad D. pars quinta. Plures autem quàm centum ex maiori numero seruorum manumitti non licet.

Hic est seruorum qui manumitti possunt legitimus numerus, de quo in l. si Iudæi. C. Th. de Iudæis. & in primo tit. huius libri: Qui duos tantùm habet, item qui tres, aut quattuor, aut quinque, duos manumittere potest: qui sex aut septem, tres: qui VIII. aut IX. quattuor: qui X. XI. XII. XIII. XIIII. XV. XVI. XVII. quinque: qui XVIII. XIX. XX. sex: qui XXI. XXII. XXIII. septem: qui F XXIIII. XXV. XXVI. octo: qui XXVII. XXVIII. XXIX. nouem: qui XXX. vsque ad ad XLIIII. decem: à XLIIII. ad XLVIII. vndecim: à XLVIII. ad LII. duodecim: à LII. ad LVI. tredecim: à LVI. ad LX. quattuordecim: à LX. ad LXIIII. quindecim: à LXIIII. ad LXVIII. sedecim: à LXVIII. ad LXXII. septemdecim: à LXXII. ad LXXVI. octodecim: à LXXVI. ad LXXX. nouēdecim: ab LXXX. ad LXXXIIII. viginti: ab LXXXIIII. ad LXXXVIII. XXI. ab LXXXVIII. ad XCII. XXII: à XCII. ad XCVI. XXIII. à XCVI. ad C. XXIIII. à C. ad CXXX. XXV. à CXXX. ad CXXXV. XXVI. à CXXXV. ad CXL. XXVII. & sic consequenter quintam partem. Igitur qui CCC. sexaginta: qui CCCLXX. LXXIIII. qui CCCC. LXXX. qui D. centum manumittere potest. Nec verò etiam si millenariam familiam habeat, plures, quàm centum testamento liberare potest. Inde Fl. Vopiscus in Tacito: Seruos manumisit, intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur. G His adiungi volo, quæ de hac lege disseruimus in Notis ad Vlpianum tit. de libertis.

IVLII



IVLII PAVLI SENTENTIARVM, LIBER V.

*

De liberali causa. TIT. I.

QVI contemplatione extremæ necessitatis, aut ali- A
mentorum gratia filios suos vendiderint, statui ingenuitatis eorum non præiudicant. Homo enim liber nullo pretio æstimatur. Iidem nec pignori ab his, aut fiduciæ dari possunt. Ex quo facto sciens creditor deportatur. Operæ tamen eorum locari possunt. B

Multiplex olim fuit ius patriæ potestatis:nam & filios coërcere,& verberare,& vinctos ad opus
rusticum mittere,& occidere licuit.Non tamen licuit patri filium in seruitutem suam redigere.l.vlt.
C.de patr.pot.At ter licuit vendere,& quidem seriò, vt Alicarnasseus narrat. Nam manumissus ab
emptore primo in patris potestatem redibat: itemq; si rursus venditus & mancipatus esset. Post
tertiam verò venditionem secuta manumissione,à patre liber erat.Hinc illa lex XII. tab. *Si pater fi-
lium ter venundauit, à patre liber esto.* quæ certè dura nimis est, & meritò sic postea interpretatione
mollita est, vt triplici venditione non vera,sed imaginaria filius è patris potestate exeat. Verùm ea-
dem ferè etiamnum lex viget in Moscouia, auctore Sigismundo Libero. Nam patri filium quater
vendere licet, nec liber fit,nisi post quartam demum venditionem. Post primam enim, secundam,
& tertiam manumissus ab emptore,ad patris potestatem recurrit. Est & hodie casus quo iure no- C
stro pater filios vendere potest,puta,si cogat egestas, adeò vt non possit ipse alendis liberis suffice-
re.l.2.C.de patr.qui fil.suos dist.atque ita non tam vt sibi, quàm vt vitæ eorum consulat, pater ven-
det liberos,& quidem sanguinolentos: sic enim est in eo loco legendum, vt in tit. de infan.expos.
& de his qui sang.nutr.acc.& in ea collectionis formula,quam infrà subiiciam.Sanguinolentos au-
tem dicit quos recèns natos in l.1.C. Th. de expos. Ceterùm ita venditus filius seruus emptoris fit:
sed reddito emptori pretio, quod non ex emptione, sed ex præsenti æstimatione definitum fuerit,
aut mancipio pari, ingenuitatem pristinam recipiet: atque ita venditio illa, vt Paulus sentit, inge-
nuitati non præiudicat. Alij pretium reddi nolunt.l.1.C. Th. de patr.qui fil.distr. Alij volunt reddi
cum adiectione quintæ. Nou. Valent. de pa. qui fil. su.distr.sed l.2. constitutionem Iustinianus ma-
gis probauit. Idemque aliàs obtinuit in Gallia in eo, qui pro foribus ecclesiæ expositum infantem D
nutriendum accepisset matriculariis ecclesiæ (hi sunt qui nunc *Marguilliers* appellantur) pretio da-
to: idque hæc vetus formula à matriculariis collecti infantis & distracti indicat. *Nos in Dei nomi-
ne matricularij S. Martini, dum manè ad hostia ipsius ecclesiæ obseruanda conuenissemus, ibi infantulum san-
guinolentum inuenimus, & per triduū an quisquam eum suum esse diceret perquisiuimus: nullo inuento Gaio
nutriendum dedimus, vt eum in suo seruitio iuxta legis ordinem retineat, pro quo pretium accepimus solido-
rum* X. & hac de re hanc epistolam emisimus, secundùm sententiam illam ex Codicis Theodosia-
ni libro quinto, titulo octauo, quæ dictat, *Si quis infantem à sanguine emerit, & nutriti pueri domi-
nus, vel pater recipere eum voluerit, vt aut eiusdem meriti mancipium, aut pretium nutritor consequatur.*
At ex constitutione Iustiniani, expositi eorum qui collegerint serui non fiunt, atque adeo ne-
que distrahi ab eis possunt. l. vltim. C. de. inf. expo. qua de re extat Traiani epistola quædam ad E
Plinium. Verùm illud quæritur, an ex egestatis causa etiam filium pater pignorare possit. Et constat
posse.l.sed & quo.§.1.D.de pign.l.2.C. Th.de alim.quæ inop.par.de pub.petere deb. Alioquin nec
vendere eum, nec pignorare potest.l.1.C.de patr.qui fil.distr.l.ob æs.C.de obl.& act.Et creditor qui
sciens pignori acceperit, deportatur, aut, vt Tribonianus legit, relegatur.l.vlt.D.quæ res pig.oblig.
poss.Addit ad extremum Paulus, patrem tamen filiorum suorum operas rectè locare.

Veritati & origini ingenuitatis manumissio, quocumque modo facta fuerit, non præiudicat.

A Si ingenuus in ſeruitute ſit & manumittatur, non ideo minus eſt ingenuus. §. vltim. de ingenuis. Videtur tamen eſſe, vt Plutarchus ait in Lucullo, ἀφαίρεσις τῆς ὑπαρχούσης, ἢ τῆς δοκούσης ἐλευθερίας δόσις.

Deſcriptio ingenuorum ex officio fiſci inter fiſcalem familiam facta, ingenuitati non præiudicat.

Si à fiſco deſcripti ſint quidam ingenui inter fiſcales ſeruos, ea res veritati non præiudicat. Idem eſt ſi pater liberos profiteatur velut ſeruos. l. liberos velut ſeruos profitentes. C. de liber. cau. l. Imperator. 1. D. de ſtat. hom.

B Qui metu & impreſſione alicuius terroris apud acta Præſidis ſeruum ſe eſſe mentitus eſt, poſtea ſtatum ſuum defendenti non præiudicat.

Qui interrogatus apud acta per metum reſpondit ſe eſſe ſeruum, nihil ea re ſibi in iudicio liberali præiudicat. l. nec ſi volens. l. interrogatam. C. de liber. cau.

Poſt ſuſceptum liberale iudicium, ſi aſſertor cauſam deſeruerit, in C alium aſſertorem omne iudicium transferri placuit. In priorem verò quod prodendæ libertatis gratia factum eſt, extra ordinem vindicatur. Non enim oportet ſuſceptam ſtatus cauſam, nulla cogente neceſſitate, deſtitui.

Aſſertor eſt vindex alienæ libertatis. Publicè autem licet cuiuis eum qui ſtatus controuerſiã patitur, liberali manu aſſerere. Libertas enim publicam tutelam meretur. l. 2. D. ne de ſtat. def. l. 3. §. hoc interdictum. D. de lib. hom. exh. Nec verò poteſt quiſquam, niſi dato aſſertore, de libertate litigare. l. 1. C. Th. de lib. cauſ. ne aduerſus dominum fortè conſiſtat. Et victo aſſertore, iterum ac ter- D tiò liberalis cauſa agenda eſt. l. 1. C. de aſſertore toll. & inde ſecunda aſſertio apud Quintilianum lib. v. cap. 2. Martialis 1.

Aſſertor venias ſatisq́ præſtes.
Et cum ſe dominum vocabit ille,
Dicas eſſe meos manuq́ miſſos,
Hoc ſi ter quaterq́ clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

Quòd ſi is qui prior ad aſſertionem venit, eam deſerat, in alium omne iudicium transfertur: ille quaſi proditor alienæ libertatis, extra ordinem punitur. Ait, *quod prodendæ libertatis gratia factum eſt.* Hæc eſt accuſationis extraordinariæ formula: vt in ciuilibus formulis actio Quod iuſſu, & illa, E Quod feciſti ne tecum agatur. l. communis, in fin. D. com. diuid. & §. lib. 2. tit. 8. Quod cùm diſcipulis &c. & actio Quod metus cauſa. Cic. 5. Ver. Vt iudicium daret in Apronium, Quod per vim aut metum abſtuliſſet.

De vſucapione. TIT. II.

POſſeſſionem adquirimus animo & corpore: animo vtique noſtro, corpore vel noſtro, vel alieno. Sed nudo animo adipiſci quidem F poſſeſſionem non poſſumus, retinere tamen nudo animo poſſumus, ſicut in ſaltibus hybernis æſtiuiſq; contingit.

Poſſeſsio adquiritur animo & corpore: animo noſtro, non alieno. Nam inuitis & ignorantibus nobis non adquiritur. Corpore etiam alieno, vt puta per ſeruum, ſi ex cauſa non peculiari eum in poſſeſsionem ire iuſſero: aut per procuratorem, ſi mandauero, licet quo tempore hi poſſeſsionem apprehenderint, neſciam. Nudo animo, aut nudo corpore poſſeſsio non adquiritur, ſed neque nudo corpore amittitur. Retinetur tamen, & amittitur nudo animo. Ex cauſa peculiari animo etiam alieno poſſeſsionem adquirimus. l. 3. §. ſaltus. D. de adquir. poſſ. Quod dicitur de ſaltibus ad omnia prædia pertinet. l. 1. §. quod vulgo. D. vnde vi.

G Per liberas perſonas, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, adquiri nobis nihil poteſt. Sed per procuratorem adquiri nobis poſſeſſionẽ poſſe, vtilitatis cauſa receptum eſt. Abſente autem domino comparata, non

aliter ei quàm si grata sit, quæritur.

Per procuratorem sola possessio nobis adquiritur, & per hanc dominium, vel vsucapiendi condicio. l. 1. l. per procuratorem. C. de adq. poss. l. 1. C. per quas pers. nob. adq. Adquiritur autem possessio & dominium scientibus, & volentibus, id est, ex mandato nostro, licet ignoremus rem traditam, & possessionem apprehensam esse: Vsucapio non procedit nisi scienti possessionem apprehensam. Quòd si mandatum non interuenerit, nec possessio aut proprietas antè adquiritur, quàm dominus ratum habuerit. l. communis. §. vlt. D. de adq. poss. l. si ego. D. de neg. gest.

Longi temporis præscriptio inter præsentes continuo decennij spatio, inter absentes vicennij comprehenditur. B

Præscriptio longi temporis locum habuit in prouinciis, non vsucapio. Longum autem tempus est x. annorum inter præsentes, x x. inter absentes: atque ita in omni ferè iuris parte longum tempus accipitur, vt j. tit. 5.

Viginti annorum præscriptio etiam aduersus Remp. prodest ei, qui iustum initium possessionis habuit, nec medio tempore interpellatus est. Actio tamen quanti eius interest aduersus eos Reipub. datur, qui ea negotia defendere neglexerunt. C

Respublicæ omnes, præter eam quæ est Populi Rom. loco priuatorum habentur: & ideo aduersus eas x x. annorum præscriptio, iusto & non interpellato possessori datur. Actio tamen quanti interest, in administratorem vel curatorem ciuitatis competit, quòd à possessore agros Reipub. non retraxerit, vt præcipitur in l. vltim. D. de adm. rer. ad ciuit. pert. Ex hoc loco rectè defendemus extremum l. 1. C. de præscr. long. tem. de Republica domina accipi oportere: quod tamen Accursius reiecit.

Si post motam intra tempora quæstionem, res ad nouum dominũ emptione transierit, nec is per x x. annos fuerit inquietatus, auellli ei possessionem non oportet. D

Sumpta est hæc sententia ex rescripto Seueri & Antonini: quod extat in l. 1. C. de præscrip. long. temp. quo id continetur, possessorem quidem ipsum, qui semel intra tempora interpellatus est, denuo sibi præscriptionem longi temporis non adquirere, emptorem verò bonæ fidei adquirere. de quo scripsimus in l. 2. D. pro emptore.

De his quæ per turbam fiunt. TIT. III.

IN eos, qui per turbam seditionem've damnum alicui dederint, damnúmve curauerint, si quidẽ res pecuniaria est, æstimatione dupli sarcitur. Quòd si ex hoc corpori alicuius, vitæ membris've noceatur, extra ordinem vindicatur. E

Qui in turba vel seditione damnum dat, daríve curat dolo malo, intra annum tenetur in duplũ ex pretoris edicto De turba, si damnum pecuniarium sit: post annum in simplum. l. 3. D. vi bon. rapt. Corpori autem alicuius si quis in turba noceat, extra ordinem punitur.

Quidquid ex incendio, ruina, naufragio, nauiq; expugnata raptum, susceptum, suppressúmve erit, eo anno in quadruplum eius rei quam quis suppresserit, celauerit, rapuerit, conuenitur, postea, in simplum. F

Ex edicto prætoris in eum qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata quid rapuit, recepit, subtraxit, intra annum quadrupli est actio, post annum, simpli. l. 1. D. de inc. rui. & nauf.

Hi qui ædes alienas villásve expilauerint, effregerint, expugnauerint, si quidem id turba cum telis coacta fecerint, capite puniuntur. Telorum autem appellatione omnia ex quibus saluti hominis nocere possunt accipiuntur. G

A Hi qui pessimo exemplo per turbam & cum telis villas alienas expilant, capite puniuntur. Tela dicimus omnia quibus hi saluti hominis nocere possunt. Extat hæc sententia in l.pen.D.ad leg.Iul. de vi pub.vbi non dubito quin ex hoc loco pro, *singuli homines*, reponendum sit, *saluti hominis.*

Receptores aggressorum, itemque latronum eadem pœna afficiuntur, qua ipsi latrones. Sublatis enim susceptoribus grassantium cupido conquiescit.

Non minus delinquunt receptores, quàm latrones, aut aggressores: ideoq; pari pœna puniuntur. l.3.§.non tantùm.D.de inc.rui.& nauf.l.1.D.de recep.l.1.C.de crim.pecu.l.pen.C.ad leg.Iul.de vi pub. Nam sublatis receptoribus, grassatores diu latere non possunt.

B

Fures, vel raptores balnearum plerumq; in metallum, aut in opus publicum damnantur. Nonnumquam pro frequentia admissorum iudicantis sententia temperatur.

Fures balnearij, sunt qui lauantium prædones appellantur à Tertulliano in Apologetico: & vt à Paulo, ita ab eodem in libro, De fuga in persecutione, fures balnearum. Hi extra ordinem vel in metallum, vel in opus publicum damnantur, vel capite puniuntur, præsertim si ob admissi frequentiam exemplo opus sit. Idcirco causa cognita, is qui cognoscit temperat pœnam. Pari pœna afficiuntur nocturni fures.l.1.D.de fur.baln. Est & in eos ciuilis actio. Mitius autem agitur cum diurnis furibus: vix enim extra ordinem coërcentur, sed ad examinationem ciuilem remittuntur. l.2.D. eod. id est, ad dupli vel quadrupli actionem. Quam differentiam Constantinus probat lib. v i. ἐπιτομῶν tit.5. Quia enim facilius est furari noctu, quàm interdiu, & in balneis, quàm alibi: ideo huic facultati furandi seuerior pœna proposita est, vt & j.tit.de sacrileg. Quòd in fure balneario ex Aristotele, & aliis auctoribus Alciatus, & Victorius latius demonstrarunt: ille in Parergis, hic in Variis lectionibus.

C

Incendiarij, qui consultò incendium inferunt, summo supplicio afficiuntur. Quòd si per incuriam eorum ignis euaserit, dupli compendio damnum eiusmodi sarciri placuit.

D

Is cuius dolo incendium factum est, ex x i i. tab. summo supplicio afficitur: Is cuius culpa, remittitur ad examinationem ciuilem, id est, actionem dupli.l.capitalium.§.incendiarij.D.de pœnis. l.qui ædes.l.pen.D.de inc.rui.& nau.l.si quis dolo.D.ad leg.Cor. de sic. & hæc est quæ incensarum ædium actio dicitur in l.iurisgentium.D.de pac.

De iniurijs. TIT. IIII.

E INiuriam patimur aut in corpus, aut extra corpus. In corpus verberibus, & illatione stupri. Extra corpus, conuitiis, & famosis libellis: quod ex affectu vniuscuiusque patientis & facientis æstimatur.

Iniuria aut in corpus infertur, aut ad infamiam vel dignitatem pertinet.l.1.§.omnem.D.de iniur. Iniuria autem ex animo facientis æstimatur.l.3.§ 1.D.eod. itemq; ex animo patientis. Qui enim iniuriam quam passus est ad animum non reuocat, non videtur iniuriam passus.§.vlt.de iniur.

Furiosus itemq; infans affectu doli, & captu contumeliæ carent: idcirco iniuriarum agi cum his non potest.

F

Furiosi & infantes iniuriam pati possunt, facere non possunt. Pupilli iniuriæ, furtiq; faciendi interdum capaces sunt.l.3.§.1.D.de iniur.

Si liberis qui in potestate sunt aut vxori fiat iniuria, nostra interest vindicare: ideoq; per nos actio inferri potest, si modò is qui fecit, in iniuriam nostram id fecisse doceatur.

G Filiisfamiliàs vel vxori illata iniuria, patri, vel marito proprio nomine iniuriarum actio datur, si modò in iniuriam eorum id factum doceatur: vt puta, si is qui fecit, scierit filiosfam. se vel nuptæ iniuriam inferre. Quòd si patremfam. aut viduam esse existimauerit, non potest videri patri aut marito iniuriam fecisse.l.eum qui.§.vlt.D.de iniur.

Corpori iniuria infertur, cùm quis pulsatur, cui've stuprum infertur,

 aut

aut de stupro interpellatur. Quæ res extra ordinem vindicatur, ita vt A
pulsatio pudoris, pœna capitis vindicetur.

Corpori iniuria infertur pulsatione, verberatione, stupri illatione. Interpellatio autem pudicitiæ magis ad infamiam pertinere videtur. l. 1. §. omnem. D. de iniur. Hæc autem non iure ordinario, sed etiam extra ordinem vindicantur, & stupri illatio capite punitur.

Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemq; matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur. B

Solius voluntatis, siue cogitationis nulla est pœna. Hîc sola non fuit voluntas, sed conatus aliquis, & faciendi initium, vt puta sollicitatio, interpellatio: & ideo extra ordinem vindicatur. Sic igitur non facta tantùm, sed etiam conatus & voluntates coërcentur. l. 1. C. Th. ad leg. Iul. de amb. Extat hæc Pauli sententia in l. 1. D. de extraor. crim. Sollicitator alienarum nuptiarum est, qui pudicitiam alienæ vxoris appellat. Interpellator, qui alienæ vxoris appetit nuptias. Subsessor, adulter.

Iniuriarum actio aut lege, aut more, aut mixto iure introducta est. Lege XII. tab. de famosis carminibus, membris ruptis, & ossibus fractis.

Lege XII. tab. de membris ruptis est talionis actio: De ossibus fractis nummaria, auctore Iustiniano, vel vt apud Priscianum lib. VI. Cato scribit, etiam talionis: De famosis carminibus, capitis aut fustuarij, vt Cornutus in Persij Sat. 1. lege XII. tab. cautũ ait. Et hæc postrema capitis pœna probatur etiam à l. 1. C. de fam. libell. aliæ autem in desuetudinem abierunt. C

Moribus, quotiens factum pro qualitate sui, arbitrio iudicis æstimatur, congruentis pœnæ supplicio vindicatur.

Moribus recepta est actio iniuriarum prætoria: & hoc est quod ait Iustin. in §. pœna. de iniur. abolita actione legitima eam in iudiciis frequentari. Est autem specialiter proposita de conuitiis, & generaliter, de omnibus quæ ad infamiam alterius fiunt, eamq; Prætor daturum se in hoc pollicetur, vt arbitrio iudicis vel recuperatoris iniuriæ æstimatio fiat. D

Mixto iure iniuriarum actio ex lege Cornelia constituitur, quotiẽs quis pulsatur, vel cuius domus introitur, ab his qui vulgò Directarij appellantur: in quos extra ordinem animaduertitur: ita vt prius ingruẽtis consilium pro modo commentæ fraudis pœna vindicetur exilij, aut metalli aut operis publici.

Mixta iniuriarum actio est, quæ lege Cornelia constituta, & moribus recepta est. Hæc ob eam rem datur quod se pulsatum quis, aut verberatum, aut domum suam vi introitam dicat, & est publica accusatio. l. hos accusare, ad fin. D. de accus. Sed hodie etiam agitur ciuiliter ex his causis. Directarij autem extra ordinem puniuntur. Hi sunt qui se fraudulenter per tegulas, vel alio modo in alienas ædes dirigunt, & inde nomen. Dicimus & Derectarios & derigere. l. saccularij. D. de extr. crim. l. 1. D. de effract. Ita autem extra ordinem puniuntur, vt qui prius impetum fecerint, in exilium, aut in metallum, aut in opus publicum dentur. E

Iniuriarum ciuiliter damnatus, eiusq; æstimationem inferre iussus, famosus efficitur.

Iniuriarum actio famosa est. l. 1. D. de his qui not. infamia. F

Atrox iniuria æstimatur aut loco, aut tempore, aut persona. Loco, quotiens in publico irrogatur: Tempore, quotiens interdiu: Persona, quotiens senatori, vel equiti Romano, decurioni, vel aliàs spectatæ auctoritatis viro.

De atrocibus iniuriis à prætore propositæ sunt ciuiles actiones. Arnobius lib. IIII. Ne, inquit, vestras aures conuitio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis iniuriis. Et ideo etiam ex eis causis, quæ lege Cornelia continentur, ciuiliter agi potest. l. 7. §. posse. l. constitutionibus. D. de iniur. Atrocitatem aut locus facit, aut tempus, aut persona. Locus, si in theatro, aut in foro fiat. Tempus, si interdiu. Persona, si magistratui, aut parenti, aut decurioni. Sed & res ipsa, aut vulneris locus, magnitudóve atrocitatem facit. Temporis exemplum tale Vlpianus dedit in l. 7. §. vlt. D. eod. si ludis & in cõspectu. Ludorum appellatione tempus significatur, non locus. Si igitur die G

festo

A festo ludorum, & conspiciente populo iniuria fiat, atrox est tempore. Quod autem sequitur apud Vlp. *Nam in prætoris conspectu, an in solitudine iniuria facta fuerit, multùm interesse ait*: sic emendo, *Nam in P. Romani conspectu.* Opponit enim solitudini celebritatem ludorum. Tanti autem non est conspectus Prætoris, vt ei solitudo sit aduersa. Denique conspectus Prætoris exemplum est potius loci: & ita quoque Iustinianus vitium illud non agnoscens, maluit id exempli genus ad locum referre. §. atrox. de iniur. Duo similia errata in Vlpiani Titulis nos iamdiu correximus: multa alij in Liuio, Cæsare, Cicerone. Et sunt profectò ex his tribus notis P R. P.R. R.P. in omnium auctorum libris innumera conflata: nec dum tamen in Ciceronis V I I. Verr. hæc quæ sequũtur emendata sunt, *Iura*, inquit, *omnia populi R. nutu atque arbitrio Chelidonis meretriculæ gubernari.* Legendum ex vet. codice, *Pr. Vrbani. Fuit ista reprehensio quondam, fuit ista seueritas in iudicijs.* Legendum, *fuit ista Resp. quondam*: B quod præter veterum Codicum auctoritatem, hæc quæ paulò post ita repetit confirmant, *In illa veteri seueritate, ac dignitate Reipublicæ.* In extremo autem huius sententiæ Pauli verba quædam redundabant, quæ nos resecauimus.

Qui per calumniam iniuriæ actionem instituit, extra ordinem punitur. Omnes enim calumniatores exilij, vel insulæ relegatione, aut ordinis amissione puniri placuit.

In priuatis criminibus calumniatores non iure ordinario, id est, lege Remmia, sed extra ordinẽ C puniuntur, vt S. lib. 1. tit. 5. Et ideo qui iniuriarum egit per calumniam, extra ordinem punitur arbitrio iudicis, ita vt vel exilium patiatur, vel relegationem, vel ordinis amotionem. l. qui iniuriarum. D. de iniur. ex qua pro, *amissione*, hîc lego *amotione.* Relegatio est insulæ vinculum: Exilium, est fuga lata, aut loco circumscripta, quod salua ciuitate contingit. l. 5. D. de interd. & releg. Est & deportatio genus exilij, sed hæc ciuitate multat. Ita verò hæc tria separantur Relegatio, Exilium, Deportatio & J. tit. de abolit. Similis pœna variis & falsis testibus imponitur. J. tit. de testibus: & iudicibus corruptis in tit. ad leg. Iul. repet.

Iniuriarum non nisi præsentes accusare possunt. Crimen enim quod vindictæ aut calumniæ iudicium expectat, per alios intendi non D potest.

Ciuilis iniuriarum actio per procuratorem intendi potest. l. non solùm. §. agere. D. de iniur. l. licet. § 1. D. de procur. Accusatio non item. §. in summa. de iniur. quæ quidem publica est ex his caussis, quæ lege Cornelia continentur: ex ceteris extraordinaria. Iniuria igitur publicum crimen non est, nisi ex legis Corneliæ causis.

Fit iniuria contra bonos mores, veluti si quis fimo corrupto aliquẽ perfuderit, cœno, luto oblinuerit, aquas spurcauerit, fistulas, lacus, quid- E ve aliud ad iniuriam publicam contaminauerit: in quos grauiter animaduerti solet.

Grauiter coërcentur hæc iniuriarum genera, quæ recensentur, à Paulo, quod Tribonianus scripsit in l. 1. §. 1. D. de extr. crim.

Qui puero prætextato stuprum, aliud've flagitium abducto ab eo, vel corrupto comite persuaserit, mulierem, puellámve interpellauerit, quídve pudicitiæ corrumpendæ gratia fecerit, domum præbuerit, pre- F tiúmve quo id persuadeat dederit, perfecto flagitio capite punitur, imperfecto in insulam deportatur, corrupti comites summo supplicio afficiuntur.

Extat hæc Pauli sententia in l. 1. §. vlt. D. de extra. crim. vbi tamen Flor. scriptum est, *donum præbuerit.* Sed malo, *domum*, vt in l. qui domum. D. ad leg. Iul. de adult. l. auxilium. D. de minor. Quæ sententia sequitur secundum editionem Basiliensem, quòd abesset à libris scriptis quamplurimis, & multis aliis excusis, à nobis est reiecta tamquam spuria.

G Psalterium, quod vulgò dicitur canticum, in alterius infamiam compositum, & publicè cantatum, tam in eos qui hoc cantauerint, quàm in eos qui composuerint, extra ordinem vindicatur: eo acrius, si personæ dignitas ab hac iniuria defendenda sit.

Extra ordinem puniuntur, qui cantica infamandi alterius causa componunt, vel cantant. Notandum est, quòd psalterium non pro organo, sed pro cantico dicit. A

In eos auctores qui famosos libellos in contumeliam alterius proposuerint, extra ordinem vsque ad relegationem insulæ vindicatur.

Auctores famosorum libellorum extra ordinem puniũtur, ita vt & in insulam relegari possint. Et generaliter omnis iniuria nunc extra ordinem coërcetur. l. vlt. D. eod.

Conuitium iudici ab appellatoribus fieri non oportet: alioquin infamia notantur. B

Qui iudici à quo appellat conuitiatur, ob idq; damnatur, infamis fit: est enim actio iniuriarum famosa. Extat hæc sententia in l. iudici. D. eod. Eum verò j. tit. 27. principis arbitrio puniri ait: Vlpianus in l. 8. D. de appel. oportere eum plecti.

Maledictum, itemq; conuitium publicè factum ad iniuriæ vindictã reuocatur: quo facto condemnatus famosus efficitur.

De maledicto & conuitio facto contra bonos mores famosa est actio.

Non tantùm is, qui maledictum aut conuitium ingesserit famosus efficitur, sed & is cuius ope consilio've factum esse dicitur. C

Ex conuitio non tantùm est in eum actio qui fecit, sed & in eum cuius opera aut consilio factũ est l. item apud. §. ait prætor. D. de iniur. & est vtrinque famosa. Quæ in editione Basil. sequitur sententia, *Conuitium*, &c. adulterina est.

Seruus qui iniuriam aut contumeliam fecerit, si quidem atrocem, in metallum damnatur: si verò leuem, flagellis cæsus sub pœna vinculorum temporalium domino restituitur. D

Si seruus iniuriam fecerit atrocem, in metallum damnatur: si leuem, flagellis cæsus domino restituitur. l. sed si vnius. §. cùm seruus. l. vlt. D. eod. ita vt ad tempus habeatur in vinculis: quod futuræ libertati nocet. Hæc verò pœna frequens est in seruis, vt flagellis cæsi sub pœna vinculorum domino restituantur, vt j. tit. 18. & l. in seruorum. l. capitalium. §. solent. D. de pœn.

De effectu sententiarum & finibus litium. TIT. V.

RES iudicatæ videntur ab his, qui imperium potestatemq; habent, vel qui ex auctoritate eorum inter partes dantur: itemq; à magistratibus municipalibus vsq; ad summã qua ius dicere possunt: itemq; ab his qui ab imperatore extra ordinem petuntur. Ex compromisso autem iudex sumptus rem iudicatam non facit: sed si pœna inter eos promissa sit, pœna rei in iudicium deductæ ex stipulatu peti potest. E

Rem iudicatam faciunt magistratus vrbani vel prouinciales, & arbitri iudicésve ab eis dati. Item magistratus municipales, siue Duumuiri intra præfinitã summam: nec enim de omni summa pronuntiare possunt. l. inter conuenientes. D. ad municip. Item qui extra ordinem ab Imperatore dantur. Compromissarij non item: & ideo ex eorum sententia rei iudicatæ actio vel exceptio non datur. l. 1. C. de recep. arb. l. 2. D. eod. sed pœnæ compromissæ petitio competit. Lego autem in fine huius sententiæ ex veteribus lib. *pœna in iudicium deducta*: vt sit sensus, cùm non statur arbitrio, pœnam iudicio peti per actionem ex stipulatu. F

Confessi debitores pro iudicatis habentur: ideoq; ex die confessionis tempora solutioni præstituta computantur.

Confessi pro iudicatis habentur, eademq; ad soluendum tempora iudicatis & confessis dantur. l. 6. §. vlt. D. de confess. & hoc totum est ex XII. tab.

Confiteri quis in iudicio nõ tantùm sua voce, sed & litteris, & quocumque modo potest. Conuinci autem non nisi scriptura, aut testibus potest. G

Ea confessio est pro iudicio quæ in iudicio fit, vel in iure, quam Paulus ait & voce & litteris, & quouis

A quouis alio indicio voluntatis fieri poſſe. Inficiationem autem conuinci non poſſe, niſi inſtrumentis, aut teſtibus. Hæc enim ſunt duo potiſsimùm probationum genera. Heliodorus lib. x. πᾶσα δίκη καὶ κρίσις δύο τὰς μεγίστας ἀποδείξεις οἶδε, τάς τε ἐγγράφους πίστεις, καὶ τὰς ἐκ τῶν μαρτύρων βεβαιώσεις.

Eorum, qui debita confeſſi ſunt, pignora capi, & diſtrahi poſſunt.

Vt iudicati, ita & in iudicio confeſsi bona capi ac diſtrahi ſolent. l.debitoribus. D.de re iud.l.vlt. C.de except.rei iud.

Ea quæ altera parte abſente decernuntur, vim rerum iudicatarum
B non obtinent.

Res iudicata tantùm inter præſentes tenet.l.de vnoquoque. D.de re iud.l.ea quæ. C.quomod.& quand.iud.abſentis igitur condemnatio nullius momenti eſt.l.1. §.item cùm ex edicto. D.quæ ſent. ſin.ap.reſc.

Trinis litteris vel edictis, aut vno pro tribus dato, aut trina denuntiatione conuentus, niſi ad iudicem à quo ſibi denuntiatum eſt, aut cuius litteris vel edictis cõuentus eſt, venerit, quaſi in contumacem dicta
C ſententia auctoritatem rerum iudicatarum obtinet: quinimmò nec appellari poteſt ab ea.

Cõtumax eſt qui tribus edictis, aut vno peremptorio, tribus litteris, vel tribus denuntiationibus euocatus præſentiam ſui facere contemnit. l.contumacia.§.1.D.de re iudic.l.conſentaneum.C.quomod.& quand.iud. Edicta publico loco affiguntur vnde rectè legi poſſunt, litteræ ad reum mittuntur, denuntiationes fiunt per officia & executores. l.abſentem. §.aduerſus. D.de pœn. l.2. l.tres.C. quomod.& quand.iud. At videntur non ſufficere tria edicta, vel denũtiationes tres.l.& tertium. D. de iudic.ſed hoc totum in arbitrio eſt iudicantium. Plerumq; autem trinis edictis aut denuntiationibus contenti ſunt. In contumacẽ etiam abſentẽ dicta ſententia valet, nec appellatione reſcinditur. l.& poſt.§.vlt.D.de iud.l.j.C.quor.app.non rec.& hoc eſt quod Paulus ait, *quinimmò nec appellari po-*
D *teſt ab ea:* cuius dicti hæc quæ ſequũtur, *Quotiens in contumacem fuerit iudicatum, ab ea ſententia quæ aduerſus contumaces data eſt, neq; appellari,* interpretatio ſunt potius, quàm ſententia Pauli: & quod additur, *neque in duplum reuocari poteſt,* ſumptum eſt ex proxima ſententia. Quamobrem id omne Pauli non eſſe arbitrati ſumus.

Res olim iudicata poſt longum ſilentium in iudicium deduci non poteſt, nec eo nomine in duplum reuocari. Longum autem tempus exemplo longæ præſcriptionis, decennij inter præſentes, & inter abſentes vicennij computatur.

E Puto hanc eſſe ſententiam Pauli, vt poſt longum ſilentium non poſsit inſtitui actio iudicati, vel is qui rem iudicatam inficiatur in duplum damnari: eſt enim alioquin in inficiatorem actio dupli, vt s̃.lib.1.tit.19. Quis alius poſsit eſſe huius ſententiæ ſenſus non video. Sed & huic obſtat l.miles.§.vlt. D.de re iudic.quæ iudicati actionem perpetuam eſſe ait, videlicet, ſi perpetuam ita accipias, vt in vetuſtiſsimo iure æternam & immortalem, & vt de hoc addubitem, facit hæc Alexandri Conſtitutio ex Cod.Gregoriano, quam, quod nondum edita ſit, proponam.

IMP. ALEXANDER A. Creſcenti.

Quæ in libello contuliſti, præſidi prouinciæ allega, qui non ignorat eum, qui per contumaciam abſens condẽnatur, nec appellationis auxilio vti, aut in duplum reuocare poſſe. P P. XI. KAL.
F APRIL. ALBINO ET MAXIMO COSS.

Ait, *exemplo longæ præſcriptionis,* id eſt, exemplo adquiſitionis longi temporis, vt s̃.tit.2.

In cauſa capitali abſens nemo damnatur, neq; abſens per alium accuſare poteſt.

Abſens etiam contumax capitali iudicio non damnatur.l.abſentem.D.de pœn.ſed neque abſens accuſat per alium.l.pen.D.de pub.iud.

Falſis inſtrumentis religione iudicis circumducta, ſi iam dicta ſen-
G tentia prius de crimine admiſſo conſtiterit, eius cauſæ inſtauratio iure depoſcitur.

Si ex falſis inſtrumentis res iudicata ſit, falſo prius comprobato ex integro res in iudicium veniet.l.vlt.C.ſi ex fal.inſtr.l.qui agnitis.D.de except.

De interdictis. TIT. VI. A

Retinendæ poſſeſſionis gratia comparata ſunt interdicta, per quæ eam poſſeſſionem, quam iam habemus, retinere volumus, quale eſt, Vti poſſidetis de rebus ſoli, &, Vtrubi de re mobili. Et in priore quidem is potior eſt, qui redditi interdicti tempore nec vi nec clàm, nec precariò ab aduerſario poſsidet. In altero verò potior eſt, qui maiore parte anni retrorſum numerati nec vi, nec clàm, nec precariò poſsidet.

Duo ſunt retinendæ poſſeſsionis interdicta, Vti poſsidetis, & Vtrubi. Vti poſsidetis eſt de rebus ſoli, Vtrubi de rebus mobilibus. In illo vincit is qui redditi interdicti tempore nec vi, nec clàm, nec precariò ab aduerſario poſsidet: In hoc, qui maiore parte anni poſſedit: quò pertinet l.maiore. D. de verb.ſign. Et hæc eſt vetus differentia. Hodie interdicto, Vti poſsidetis Vtrubi exæquatum eſt. l.1. D.Vtrubi. §.ſed interdicto quidem. de interdict. B

Vt interdictum, ita & actio proponitur, Ne quis via publica aliquem prohibeat. Cuius rei ſolicitudo ad viarum curatores pertinet, à quarum munitione nemo exceptus eſt. Si quis tamen in ea aliquid operis fecerit, quo commeantes impediantur, demolito opere condemnatur. C

Ei qui via publica vti prohibetur, interdictũ, & ex cauſa interdicti actio datur. l.1.§.1.D. vt in flum. pub.nauig.lic. l.2.§.vlt.D. ne quid in loc.publ. Sed & huius rei cura mandata eſt Viocuris, ſiue curatoribus viarum, à quarum munitione nemo excuſatur, niſi qui muneris publici vacationem impetrauit. l.cui muneris. D.de mun.& honor. Qui autem in via publica opus fecit, quo via deterior fiat, id per interdictum reſtituere & demoliri cogitur. l.2.§.prætor. D.ne quid in loc.pub.

Non tantùm ſi ipſe dominus poſſeſſione deiiciatur, Vnde vi vtile interdictum eſt, ſed & ſi familia eius. Familiæ autem nomine etiam duo ſerui continentur. D

Non quemadmodum retinendæ poſſeſsionis interdicta propoſita ſunt tam de mobili re, quàm de immobili, ita & recuperandæ. Nam interdictum Vnde vi, eſt tantùm de re immobili: nullum verò datur de re mobili. Et interdicto Vnde vi locus eſt, ſiue alium poſſeſsione deieceris, ſiue familia tua deiecerit, vt eſt in l.1. D.vnd.vi. Itaq; hoc loco legendum credo, *deijciat*, non *deijciatur*. Familiæ appellatione etiam duos contineri Paulus ait: Vlpianus etiam vnicum ſeruum. l.1.§.familiæ. D.vnde vi. & Cic. pro Cæcinna, quod tamen in interpretatione edicti, De vi bonorum raptorum, De turba, De incẽdio, ruina, naufragio Vlpianus non admiſit. l.deteſtatio. D.de verb.ſig. quoniam hæc ita ſunt concepta, Si ſeruus vel familia feciſſe dicetur, in dominum iudicium dabo: in ſeruum & familiam iudicium dabo. l.2.§.vi bonorũ. l.4.§.pen. (Vbi legendum, *In ſeruum item*, non, *autem*.) D.vi bon. E rapt. l.1. in princ. D.de inc.rui.nauf. In interdicto autem Vnde vi, familiam tantùm dixit, non ſeruum & familiam. Itaq; ratio & æquitas exigit, vt in vno etiam ſeruo familiæ nomẽ valeat. Verùm, ne quid omittatur, ideo & in interpretatione edicti De vi bonorum raptorum, quid ſit Deteſtatio Vlpianus explicat, quòd vis ſit etiam ſi quid contra deteſtationem fiat. l.1.§.ſed etſi contra. D.quod vi aut clam. Quo poſito conſequens erat Deteſtatio quid eſſet oſtendere.

Vi deiicitur, non tantùm qui oppreſſu multitudinis, aut fuſtium, aut telorum, aut armorum metu terretur: ſed & is qui violentiæ opinione comparata poſſeſſione ceſſit, ſi tamen aduerſarius eam ingreſſus ſit. F

Interdictum Vnde vi competit, ſi oppreſſu & vi multitudinis, id eſt, coactis hominibus, aut ſi armatis quis deiiciatur. Hæc enim ſunt verba interdicti, *Hominibus coactis, armatiſ've*, auctore M. Tullio. Addit Paulus huic etiam interdicto locum eſſe, ſi quis cùm audiſſet armatos venire, poſſeſsione ceſſerit, ſi tamẽ ea ab his fuerit occupata. l.3.§.ſi quis autem. D.vnde vi & de vi arm. Et hoc eſt quod De vi hominibus armatis, aut De vi armata interdictum appellatur. Eſt & aliud interdictum quotidianum Vnde vi, cui tũc locus eſt, cùm quis ſine coactis armatiſ've hominibus poſſeſsione deiectus eſt: de quo Vlpian. tractat in l.1.D.vnd.vi. De ſuperiore autem tractat in l.3. eod.tit. & ideo ſub tit. Vnde vi, duo interdicta ſunt: ſic enim ſcripſerat Paulus in l.2.§.penult. D.de interd. Hoc autem intereſt maximè inter hæc duo interdicta, quod interdictum quotidianum nulli competat, niſi ei qui G tunc cùm deiiceretur, poſsidebat. d.l.1 §.interdictum autem: eaq; exceptio nominatim interdicto addi ſolet auctore M.Tullio: Interdictum autem de hominibus coactis armatiſ've ſine vlla exceptione datur: ideoq; & creditori datur in poſſeſsionem miſſo, & colono. Item interdictum quotidianum liberto in patronum, liberis in parentes non datur: interdictum De hominibus armatis da-

tur

A tur.d.l.1.§.interdictum hoc. Item in me interdictum quotidianum ei tantùm datur, qui à me nec vi, nec clàm, nec precario poſsidet, eodem Tullio teſte in Orat.pro Cæcin.& Paulo noſtro.inf. & arg. d.l.1.§.qui à me. Interdictum De vi armata ei etiam datur qui vi aut clàm, aut precario à me poſsidet.l.ſed ſi vi.D.eod.tit. Vbi animaduertendum eſt Pomponium vti hac particula, ſed, cùm ſcilicet, antè De vi quotidiana interdictum in me ei non dari oſtendiſſet, qui illis à me rationibus poſsideret.Interdictum quotidianum annuum eſt.l.1.D.eo.Interdictum de vi armata perpetuum,vt Cicero indicat lib. x v. Epiſt. in ea cuius initium eſt, Puto te iam ſuppudere. Quæ omnia ſummè notanda ſunt.Grçci pro his interdictis habebant actionem ἐξούλης,ſic dictam auctore Libanio quòd ἐξίλλειν ſit, ἐξωθεῖν καὶ ἐκβάλλειν βίᾳ.

De naui vi deiectus hoc interdicto experiri non poteſt, ſed vtilis ei
B actio De rebus recuperandis, exemplo De vi bonorum raptorum datur. Idemq; de eo dicendum eſt,qui carruca,aut equo deiicitur,quibus non abductis iniuriarum actio datur.

Ad eos pertinet interdictum Vnde vi,qui de re ſoli deiiciuntur : ei autem qui de re mobili deiicitur,actio Vi bonorum raptorum datur,aut furti : nam & raptor fur eſt.Idemq; eſt ſi quis de naue, aut vehiculo,aut equo deiiciatur. l.1. §.ſi quis de naue. D.vnde vi.videlicet, ſi nauis, aut vehiculum, aut equus abſtrahatur, & abducatur. Quòd ſi non abducatur, deiecto iniuriarum dumtaxat actio datur. Eſt hac de re lex quædam in legib.Langob.lib.1.tit.15.

C Vi deiectus videtur,& qui in prædio vi retinetur,& qui in via territus eſt,ne ad fundum ſuum accederet.

Deiectus poſſeſſor videtur etiam is,qui in prædio vinctus retinetur,aut qui,cùm de prædio exiſſet,reuertens in itinere perterritus eſt,ne accederet. l.1.§.ſiue autem.& §.penult. D.vnde vi & de vi arm.

Qui vi, aut clàm, aut precario poſſidet, ab aduerſario impunè deiicitur.

D Qui à me vi aut clam,aut precario poſsidet, non habet interdictum Vnde vi, ſi eum poſſeſsione deiecero. Sed ſi alius deiecerit,placet ei interdictum dari.l.1.§.qui à me.D.vnd.vi.Quod in interdicto de hominibus armatis non obtinere s̃.oſtendi : & verum eſt, niſi eum qui à me vi armata poſſidet ex continenti deiecero. l.3. §.eum igitur. D.eod.Sed hanc differentiam Iuſtinianus aut neglexit,aut non intellexit.

Ex rebus vi poſſeſſis ſi aliquæ arſerint,vel ſerui deceſſerint,licet id ſine dolo eius qui deiecit factum ſit, æſtimatione tamen cõdemnandus eſt, qui ita voluit adipiſci rem iuris alieni.

E Earum etiam rerum nomine interdictum Vnde vi datur, quæ is qui de prædio deiectus eſt ibi tunc habuit,licet poſt deiectionem ſine dolo aut culpa deiectoris interierint.l.1.§.deniq; ſcribit Iulianus. l.penult. D.vnde vi. Quoniam ex deiectionis tempore in reſtituendo ſemper moram facere intelligitur.

Si inter vicinos ex communi riuo aqua ducatur, induci prius debet
ex his vicibus quibus à ſingulis duci conſueuit: ducenti autem vis fieri
prohibetur. Alienam autem aquam vſurpanti nummaria pœna irroga-
F tur.Cuius rei cura ad ſolicitudinem præſidis ſpectat.

Corruptiſsimus hic locus, ſumpta coniectura ex libris veteribus, in quibus, legitur, *indici prius debet & his vicibus*, mihi reſtituendus videtur, *interdici prius debet, & his vicibus quibus à ſingulis duci conſueuit,ducenti vis fieri prohibetur.* Intelligit autem dari interdictum De aqua,quod ad retinendam veluti poſſeſsionem pertinet. Eſt autem ſimplex etiam inter riuales, vt interdictum De itinere actuq;, niſi vterq; ſuum eſſe vſum aquæ contendat. l.1.§.ſi inter riuales. D.de aq.cott.& æſt. Quòd ſi quem appareat alienam aquam vſurpaſſe,ei Paulus ait nummariam pœn.irrogari,item huius rei curam ad præſidem pertinere,vt l.præſes.C.de ſerui.& aq.

G Redditur interdicti actio, quæ proponitur ex eo, vt quis quod precario habet reſtituat. Nam & ciuilis actio huius rei, ſicut commodati, competit, eò vel maximè, quòd ex beneficio ſuo vnuſquiſq; iniuriam pati non debet.

Precar

Precarium reuocatur interdicto De precario. Ciuilis autẽ actio eo nomine non competit, quia precarium donatio potius est, quàm ciuile negotium. l. interdictum. D. de precar. Immò quia aliquatenus simile est commodato. l. 1. D. eod. receptum est ex eo præscriptis verbis dari: quam tamen & ipsam ex bono & æquo oriri, ne cui beneficium suum damnosum sit, quàm ex negotio contracto dicemus. l. 2. D. eod. A

Precario possidere videtur, non tantùm qui per epistolam, vel quacumq; alia ratione hoc sibi concedi postulauit, sed & is qui nullo voluntatis indicio, patiente tamen domino, possedit.

Posſidere precario videtur, & qui finito tempore precarij patiente domino posſidet, licet ad hoc tempus non rogauerit. l. in rebus. §. vlt. D. de precar. Patientia igitur precarium redintegratur, non tamen initio patientia constituitur: sed constituendo precario preces adhiberi oportet aut verbis, aut scriptis. l. precario. D. eod. B

Heres eius qui precariam possessionem tenebat, si in ea manserit, magis dicendum est clàm videri possidere. Nullæ enim preces eius videntur adhibitæ. Et ideo persecutio eius rei semper manebit, nec interdicto locus est.

Heres eius, qui precario rogauit, tenetur interdicto ex persona defuncti. l. quæsitum. §. vlt. D. de precar. l. 2. C. eod. Ex sua persona non tenetur, quia morte finitum est precarium. l. cùm precario. §. vlt. D. eod. l. cùm heres. D. de diuers. temp. præscript. Nec iam heres qui in posſeſsione eadem manet precario, sed clàm posſidet. Igitur ex sua persona vindicatione conuenitur, non interdicto precario. Papinia. ait in d. l. cùm heres, precarium heredem ignorantem precario scilicet defunctũ possedisse, non tenere, id est, precarium ad heredem ignorantem non transire. Idem tamen esse in sciente compertum & exploratum est. Verùm ideo ait ignorantem, vt assertioni conueniens exemplum esset. Hoc enim posuerat, ignoratione heredis defuncti vitia non excludi. Item quia in vsucapionis quæstione, de qua tractat, omnimodo ignorantiam & bonam fidem exigimus. C

Arbor quæ in alienas ædes, vel in vicini agrum imminet, nisi à domino sublucari non potest, isq; cõueniendus est, vt eam sublucet. Quòd si conuentus dominus id facere noluerit, à vicino luxuries ramorum compescatur. Idq; qualiscumq; dominus facere non prohibetur. D

Existimo legendum, *Arbor quæ in vicini agrum imminet*: Nam quæ in ædes imminet, collucatur, non sublucatur. Et in hanc rem cessante domino cõparata sunt duo interdicta: vnum, De sublucandis arboribus, alterum, De collucandis: quæ proponuntur in tit. De arbor. cæd. Sublucare, est compescere luxuriem ramorum, quod vsq; ad xv. pedes vt fiat definitum est, à terra videlicet. Sublucare enim est, veluti subtus lucem mittere. Collucare quid sit, dubitari potest: Vel enim est superiores ramos lumini officientes succidere, vel ipsam arborem ex stirpe penitus excindere: & hoc verius est. l. 1. §. si arbor. D. de arb. cæd. & ædibus quibus arbor impendet vtilius: Ad agros verò sublucatio sufficit. His verbis veteres in edictis vsi sunt: Noui adimere, & coërcere dixerunt. Ait Paulus, *qualiscumq; dominus*, id est, siue proprietarius, siue fructuarius. d. l. 1. §. non solùm. E

Aduersus eum, qui hominẽ liberum vinxerit, suppresserit, incluserit, operam've vt id fieret dederit, tam interdictum, quàm legis Fabiæ super ea re actio redditur. Et interdicto quidem id agitur, vt exhibeatur is, qui detinetur: Lege autem Fabia, vt etiam pœna nummaria coërceatur. F

Plagium est suppreſsio liberi hominis, aut serui: sic dictum, auctore Suda, quòd fiat πλαγίως, id est, δολίως, vel vt Isidorus ait, ἀπὸ τῆς πλαγίου. Coërcetur autem lege Fabia: cuius pœna nummaria primùm fuit, tum metalli. l. vlt. D. de leg. Fab. deinde grauior. l. vlt. C. eod. De libero exhibendo etiã interdictum datum. l. 3. D. de lib. hom. exh. de seruo non item.

Bene concordans matrimonium separari à patre Diuus Pius prohibuit: itemq; à patrono libertum, à parentibus filium filiamq;, nisi fortè quæratur vbi vtilius morari debeat. G

Pertinet hæc sententia ad interdictum De liberis exhibendis & ducendis: quod socero non dari placuit aduersus generum, ne contrà quàm D. Pius constituit, bene concordantia matrimonia iure patriæ potestatis dissoluãtur. l. 1. §. vlt. D. de lib. exh. Est enim hæc separatio dura & acerba. l. quæsitum. §. vxores. D. de instruct. vel instrum. leg. qua ratione etiam à parentibus liberi non separantur, nisi

A nisi forsitan nupta sit filia, & inuita detineatur à patre: in eum enim genero dabitur interdictum De vxore exhibenda & ducenda: vt probari potest ex l.si inuita.C.de nupt.l.2.D.de lib.exh.& ex l.vlt.C. eod.quæ ad Euodium maritum scripta est. Ac sanè præstat separari filiam à patre, quàm nuptias concordantes dissolui. Sed & matri interdum aduersus patrem æquum est interdictum reddi De exhibendo filio, vel filia, vt puta si pater sit euersor, dissolutus & nequam.l.1.§.si verò mater.l.3.§.etiam. D.de lib.exhib. Ceteroquin liberos à patribus separari non oportet.l.3.§.is tamen.&.§.si eum quis. D.de lib.hom.exhib. Similiter libertus à patrono non separatur, maximè impubes.d.l.3.§.proinde. aut frater à fratre.l.vlt.C.com.vtr.iud. l.plerumq;.D.de ædil.edic.aut alumnus ab educatore, ideoq; nec in patronum, fratrem, vel educatorem, De libero homine exhibendo interdictum datur.

B Omnibus bonis quæ habet, quæq; habiturus est, obligatis, nec concubina, nec filius naturalis, nec alumnus, nec ea quæ in vsu quotidiano habet, obligantur: ideoq; de his nec interdictum redditur.

Obligatione generali bonorum quæ quis habet, habiturus've est, non continentur ea quæ verisimile est quemquam obligaturum specialiter non fuisse: veluti concubina, filij naturales ex ea suscepti, alumni, supellex.l.obligatione.& seq.D.de pignor. l.1. C.quæ res pign.oblig.poss. Alumni pene liberorum loco sunt: ideoq; in generalem obligationem nõ cadunt. Item à nutritore, vel nutrice non separantur.l.3.§.proinde.D.de lib.hom.exh.& ex nomine educatoris sunt.l.Lucius.§.Lucius.1.D.de legat.lib.2.& à minore. x x. annis manumitti possunt.§.eadem.qui & quib.ex cau.man. C non poss.& dubitatur, an in eis locus sit S. C. Silaniano.l.1.§.in eo autem.D.de S. C. Silania.& an ad eorum hereditatem educator veniat.l.nutritoribus.C.com.de success.an sit cum alumna connubium.l.si quis.C.de nupt.eiq; testamento imperfecto relicta conseruantur.l.in testamento.D.de fid. lib. Veteres quoque matrem etiam nutricem dici volunt, auctore Nonio Marcello. Sed ad rem. Paulus ait, *ideoq; de his nec interdictum redditur.* Intelligit Saluianum interdictum. Est autem Seruiana, itemq; Saluianum interdictum de rebus coloni pignori obligatis. Sed quemadmodum exemplo Seruianæ inducta est quasi Seruiana, quæ & vtilis Seruiana, & absolutè Seruiana, & pignoraticia, & hypothecaria dicitur, & de rebus quorumcumq; debitorum datur, ita & interdictum quasi Saluianum: & hoc probat l.1.C.de precar.quæ de quouis debitore loquitur.

D

De obligationibus. TIT. VII.

OBligationum firmandarum gratia stipulationes inductæ sunt, quæ quadam verborum sollemnitate concipiuntur: & appellatæ, quòd per eas firmitas obligationum constringitur. Stipulum enim veteres firmum appellauerunt.

Stipulatio quid sit lib.2.tit.3. traditum est. Nunc Paulus ait inuentas esse stipulationes à iurisperitis, vt hoc vinculo ceteræ obligationes firmarentur. Et ex eo colligimus stipulationes non per se E solas subsistere, sed ex aliis obligationibus pendere. l.5.§.conuentionales.D.de verb.obl. Addit stipulationes ex eo appellatas, quòd stipulum veteres firmum appellauerint, idemq; Iustinianus in Institutionib.tradit. Isidorus hunc locum citat lib.v. Dicta est, inquit, stipulatio, quòd stipulum, iuxta Paulum iuridicum, firmum appellauêre.

Verborum obligatio inter præsentes, non etiam inter absentes contrahitur. Quòd si scriptum fuerit instrumento promisisse aliquem, perinde habetur atq; si interrogatione præcedente responsum sit.

F Stipulatio fit inter præsentes, non inter absentes.§.item verborum.de inut.stip. Neq; obstat l.ea quæ.D.de don.int.vir.& vxor.in qua proponitur stipulatio facta per epistolam. Fuisse enim eam epistolam cautionis loco emissam inter præsentes intelligendum est ex l.Titia.§.penul.D.de verb.obl. Et ideo cùm inter præsentes in ea sit scriptum promisisse Titiam, omnia videntur sollemniter acta: quod ex hoc loco Pauli Iustinianus tradidit in §.si scriptum.de verb.oblig.

Fructuarius seruus, si quid ex re fructuarij, aut ex operis suis adquirit, ad fructuarium pertinet. Quidquid autem aliunde, vel ex re proprietarij, adquirit, domino proprietatis adquirit.

G Si quid seruus in quo vsumfructum habeo, ex re mea stipuletur, mihi adquirit: sed & si quid ex operis suis. Nam & operæ quodammodo sunt ex re mea: quandoquidem operas mihi fructuarius seruus edere debet. l.qui bona. D.de adquir.rer. dom. Quod extra duas istas causas stipulatur, proprietario adquirit.l.adquiritur.D.eod.

Cùm facto promissoris res in stipulatum deducta intercidit, perinde agi

agi ex stipulato potest, ac si ea res extaret. Ideo promissor æstimatione eius punitur, maximè si in dolum quoq; eius concepta fuerit stipulatio. A

Si Stichi promissor Stichum occiderit, perinde tenetur ex stipulatu ac si Stichus extaret: & ideo pretium Stichi peti potest. l. si ex legati. l. si seruum in princip. D. de verb. obl. Maximè, inquit, si in dolum quoq; eius concepta fuerit stipulatio, puta his verbis, Dolum malum abesse abfuturumq; esse. Sed tamen omissa hac clausula idem erit iuris. Sic verò & in dolum conceptam actionem dicimus, in qua hoc additur, Quod dolo malo. l. huius. D. quod fals. tut. & in æquum & bonum, in qua Quod æquius melius, vel Quod æquum videbitur. l. eas. D. de cap. minu. l. penul. D. de sepul. viol.

B

De nouationibus. TIT. VIII.

NOn solùm per nosmetipsos nouamus quod nobis debetur, sed per eos etiam per quos stipulari possumus: veluti per filiumfamilias, vel per seruum iubendo, vel ratum habendo. Procurator quoque noster ex iussu nostro receptum est vt nouare possit.

In quibusdam Codicibus hoc in initio huius sentētiæ adscriptum est, Nouationes fieri quotiens cautio renouatur. Deinde sequitur, nouari obligationē non tantùm per nos, sed etiam per eos quos in potestate habemus, & per procuratores: videlicet si iussu nostro stipulentur, vel si ratum habuerimus. l. si Stichum. §. vlt. l. nouare. l. si quis absente. D. de nouat. Et ita procurator domino priorem actionē aufert, nouam cedere cogitur. Filiusfamilias, vel seruus patri vel domino, etiā inuitis, actiones adquirit ex regula iuris: non tamen eas inuitis nouant. l. seruus. l. filius. D. de nouat. Sed si stipulentur nouandi animo, adquirunt actiones nouas, nec tamen nouatio fit: ideoq; patris vel domini iussum, aut ratihabitionem exigimus, vt fiat nouatio per seruum aut filium. C

De stipulationibus TIT. IX.

Titulus De obligationibus, est de verborum obligationibus: specialiter autem hic est de prætoriis stipulationibus. Atq; ita in Pandectis tit. De verb. oblig. separatur à tit. De prætor. stipul. D

SVbstitutus heres ab instituto, qui sub condicione scriptus est, vtiliter sibi institutum hac stipulatione cauere compellit, ne petita bonorum possessione, res hereditarias deminuat. Hoc autem casu ex die interpositæ stipulationis duplos fructus præstare cōpellitur. Huius enim præiudicium à superiore differt, quòd quæritur, an ea res, de qua agitur, maior sit centum sestertiis: ideoq; in longiorem diem concipitur. E

Ex hoc loco pulchrè explicabitur l. inter omnes. D. qui satisd. cog. & l. Paulus notat. D. de præt. stip. Nemo est qui nesciat heredi instituto sub condicione, ea pendente, Prætorem dare bonor. possessionem secund. tab. quæ tamen, si postea deficiat condicio, sine re constituitur. Nunc si institutus sub cōdicione substitutum habeat vulgari modo, & pendente condicione bonorum possessionem secundum tab. agnoscat, prætor iubere solet vt institutus substituto vtiliter, id est, satisdato caueat nihil se deterius in hereditate facturum. Ait autem Vlpianus id ex causa prætorem iubere. Inter ceteras autem causas hæc vna est, si locuples sit hereditas, id est, si maior sit centum sestertiis: quoniam amplior tunc est in hereditate grassandi facultas. Prætor autem nōn vult beneficium interim datæ bonorum possessionis cuiquam esse damnosum. Quo fit vt etiam in diem longiorem concipiatur stipulatio, puta, in x. aut xx. annos, vt in specie. l. 1. D. de ripa muniend. l. si finita. §. 1. D. de dam. inf. l. penult. D. de præt. stip. Nam & tot annis pendere condicio potest. Dicere possis substitutum antequam condicio substitutionis extiterit, calumniosè videri cautionem exigere: quod remouet Paulus in l. Paulus notat. *Nec* inquit, *potest videri calumniosè satis petere, quem alius antecedat.* Sic enim lego ex iudicio Petri Fabri viri optimi & doctissimi: neque hic error vno in loco est, vt in Commentario de vsucapionibus ostendimus. Additur à Paulo hoc loco, si quid institutus pendente condicione deminuerit, eum ex die interpositæ stipulationis duplos fructus præstare: id enim cautione continebatur. Ait, *Substitutus heres ab instituto*, id est, ponè institutum. Ait, *Huius enim præiudicium à superiore differt*, quidam codices habent *defert*. Locus videtur esse deprauatus, nisi hæc referas ad aliud quoddam stipulationis genus, de quo Paulus supra scripserat. Desiderantur enim in his libris innumeræ sententiæ, quæ partim sunt ab Alarico neglectæ, partim à Iustiniano in Pandectas translatæ. F G

Ex die accepti iudicij dupli fructus cōputantur. Et tam dantes, quàm accipientes, heredes quoq; eorum, procuratores, cognitorumq; perso-

næ,

A næ, itemq; sponsores eadem stipulatione comprehenduntur, eorum quoq; quorum nomine promittitur.

Possessor rei alienæ, si condemnatus sit, ex die litis contestatæ duplos fructus reddit. l.1.C.Th.de fruct.& lit.exp. Ambrosius epist.xxIIII. Cùm, inquit, aduerterē etiam graui condicione illum si vicisset, acturum de duplis fructibus, & de sumptibus annosæ litis. Sed hoc Iustinianus non probauit. quia nec in libros suos retulit. Multa enim tacitè abrogat, vt Cognitores, Crucem, & hanc de duplis fructibus actionem: vel potius quòd iam in desuetudinem abiissent, ea in suis legibus residere non patitur. Solebat autem, vt Paulus significat, & de ea re cautio iussu Prætoris interponi, quæ & reum, & actorem, & heredes, procuratores, cognitores, fideiussores eorum comprehendebat.

B Quotiens iudicatum solui stipulatione satisdatur, omissa eius actio rei iudicatæ persecutionem non excludit.

Is qui stipulatus est Iudicatū solui, eligere debet vtrùm malit agere ex stipulatu, an iudicati. Duas enim actiones habet, quibus tamen intra tempora iudicatis data experiri non potest. l.1.D.iudic.sol. l.intra.D.de re iudic.

Emancipati liberi præteriti, si velint se miscere paternæ hereditati, & C cum his, qui in potestate remanserint, communis patris diuidere hereditatem antequam bonorum possessionem petant de conferendo cauere cum satisdatione debebunt. Quòd si satisdare non possunt, statim ex fide bonorum confusionem excepto peculio castrensi facere cogendi sunt.

Emancipati præteriti petentes bonorum possessionem cōtra tabulas conferunt suis bona propria, exceptis castrensibus, vel quasi castrensibus. l.1.§.nec castrense. D.de collat. Collatio autem fit cautione ex edicto prætoris. l.1.§.iubet. D.eod. l.filium.§.videamus. D.de bonor.poss.contr.tab. post D petitam bonorum possessionem contra tabulas. l.3. in princip. D.de collat. l.si filius. D.de cond.cau. dat. Immò ante petitam bonorum possessionem, vt Paulus ait: quod fit præfestinante emancipato, vt in specie l.3.§.emancipatus præteritus. D.de colla. non aliter. At si per inopiam non possit cauere, collationem re ipsa facere cogitur, aut in suos oblata cautione portionis emancipati possessio transfertur, aut neutro cauente, curator portioni datur. l.1.§.iubet.§.si frater. D.de collat. Et hæc de hac Pauli sententia sufficiant.

De contrahenda auctoritate. TIT. X.

Persequitur sub hoc titulo Paulus tractatum prætoriarum stipulationum, & proponit stipulatio- E nem Damni infecti, eiq; coniunctam quæstionem, de communi pariete: ideoq; à superioribus hæc non erant diuidenda. Sed & quid his verbis, *De contrahenda auctoritate*, significetur non intelligo, nisi quis dicat venditorem, qui contractus sui auctoritatem defugere non potest, auctoritatem contrahere, quòd sit auctoritatis obligatus ex stipulatione duplæ: de qua in integro Sententiarum libro, quòd prætoria esset, Paulum hoc loco nonnihil scripsisse diuinare liceat. Sed demus hoc, item concedamus hanc diuisionem tolerari posse: inscienter saltem hoc negari non potest fecisse Alaricum, siue Anianum, qui illis quæ de stipulatione auctoritatis Paulus scripserat, prætermissis, hunc nihilominus titulum retinuerit. Legi in quibusdam scriptis, *De contrahenda hereditate*, quod etiam vitiosum est. Equidem malim aut eum titulum omnino circumscribere, aut legere, *De communi pariete*. Potuit hic tam grauis error hunc locum occupare, vt & lib.2. tit.30. in quo perperam in omnibus F codicibus cùm excusis, tum scriptis legitur *De oratione D. Seueri*, cùm sit legendum, *De rationibus distrahendis*. Sunt errores in omnibus libris portentosi, sunt qui ex antiquo insederunt penitus, sunt qui ab ipsis auctoribus, fallente manu, vti fit, commissi nec correcti sunt, quos nisi vir exercitatus & in coniecturis sagacissimus numquam cernat, aut si subesse præsentiscat, vix vmquam rectè queat emendare. Itaq; non cuiuis ad hoc studij genus temere accedendum est.

OB metum impendentis damni vicinus vicino satisdare debet, additis sponsoribus super eo quod damni acciderit.

Propter metum ruinæ vicinus vicino cauet, vel satisdat damni infecti, atq; etiam propter vitium G communis parietis. l.in hanc.§.1. l.inter quos. D.de dam.infec.

De communi pariete vtilitatis causa hoc cœpit obseruari, vt ædificet quidem cui ædificare interest: Cogatur verò socius portionis suæ impensas agnoscere.

Ipso iure non potest socius, inuito vel ignorante socio, communem parietem demoliri & reficere. l.parietem.D.de ser.vrb.præd. Vtilitatis tamen causa, cui iura cedere debent, receptum est, vt possit is, cuius maximè interest, & impensas, pro socio, aut communi diuidundo iudicio pro parte consequi. l.si ædibus.D.de dam.inf. Atq; ita propter vtilitatis causam, strictam iuris rationem insuper habemus, vt ait l.sunt personæ.D.de relig.& sump.fun. Et hodie nõ erit ob vitium parietis communis, necessaria stipulatio damni infecti. A

De donationibus. TIT. XI.

Species extra dotem à matre in honorem nuptiarum, præsente filia genero traditæ, donationem perfecisse videntur. B

Si mater præsente filia, genero extra dotem species quasdam in honorem nuptiarum tradiderit, eas filiæ donasse videtur. l.donationes. §.species. D.de donat. Et ideo filiæ, soluto matrimonio, aduersus maritum datur earum rerum nomine condictio sine causa, vel actio depositi, vel mandati, vel negotiorum gestorum, vel ad exhibendum, vel rerum amotarum.

Probatio traditæ, vel non traditæ possessionis, non tam in iure, quàm in facto cõsistit: ideoq; sufficit ad probationẽ si rem corporaliter teneat.

Si quis rem corporaliter teneat, cùm ei donatur, hoc sufficit ad traditam possessionem. Traditio enim siue possessio facti potius est, quàm iuris. l.quædam.D.de rei vind. C

Pater si filiofamilias aliquid donauerit, & in ea voluntate perseuerans decesserit, morte patris donatio conualescit.

Donatio à patre in filiumfamilias collata sola patris morte non confirmatur. l.1.§.1.D.pro donato. l.2. §.vlt. D.pro herede. sed si patris extremo iudicio fuerit confirmata, morte patris constat donationem conualescere. l.pen.D.de col.dot. l.2.C.Greg.famil.ercisc. Scripsimus hac de re ad l.2. D.pro herede.

Cùm vnius rei in duos donatio confertur, potior est ille cui res tradita est. Nec interest posterior quis an prior acceperit, & exceptæ nec'ne personæ sint. D

Cùm diuersis temporibus à domino eadem res duobus donatur, potior est is cui priori possessio tradita sit, etiam si alter sit ex personis exceptis, puta ex parentibus vel liberis, vel etiam si in alterum prius fuerit donatio collata. l.quotiens.C.de rei vind. l.pen.C.Greg.eod.tit. Hoc tantùm in donationibus exceptis personis datum est, vt sufficiat quibuscumque verbis expressa voluntas. s.tit.1. libro IIII.

Inuitus donator de euictione rei donatæ promittere non cogitur, nec eo nomine si promiserit oneratur: quia lucratiuæ rei possessor ab euictionis actione ipsa iuris ratione depellitur. E

Donator de euictione non tenetur: nec enim æquum est vt ex liberalitate sua damnum ferat. l. Aristo.§.vlt.D.de donat. Et hoc verum est, vt Paulus ait, etiam si eo nomine promiserit. Promittendi verbo aliàs stipulatio significatur, aliàs pactum. l.iurisgentium. §.quod ferè. D.de pact. Modò pactum: Nam si stipulanti donator promiserit, tenetur. l.2.C.de euict.

Ei qui aliquem à latrunculis, vel hostibus eripuit, in infinitũ donare non prohibemur: si tamen donatio nõ merces eximij laboris appellanda est: quia contemplationem salutis certo modo æstimari non placuit. F

Non licet in infinitum donare: est enim donationis lege constitutus certus modus, certumq; pondus, vt Theodosius ait in nouel.de Theodosiani Codicis auctoritate. Cùm liquido, inquit, pateat quo pondere donatio deferatur. Et is quidem modus, vt ex Iustiniano didicimus, fuit olim CC. aureorum, tum CCC. deinde D. l.sancimus. l.pen.§.vlt.C.de donat. At ei qui me à latrunculis vel hostibus eripuerit, in infinitum donare possum: quia conseruandæ salutis mercedẽ præstare videor: quæ res certo modo taxanda nõ est. Tribonianus hanc Pauli sententiam, quibusdam verbis nescio qua ratione immutatis, retulit in l.pen.§.vlt. D.de donat. quæ tamen eundem sensum referunt, vt scilicet hæc donatio non reuocetur quasi immodica, & ita quoque Græci interpretãtur lib. XLVII. βασιλικῶν tit.3. Sed cùm Florentiæ in eo.§.legatur, *hæc donatio inreuocabilis est, non merces laboris eximij appellanda est*, deesse quædam videntur, quæ ex hoc loco nos rectè ita restituemus, *Hæc donatio inreuocabilis est, si tamen donatio non merces laboris eximij appellanda est.* Sic ferè Cicero pro Cluentio: Si hæc, inquit, solutio legatorum, non merces abortionis appellanda est. G

A *De iure fisci & Populi.* TIT. XII.

Eadem est inscriptio l.1.D.de bon.dam. Lampridius in Alex. Leges de iure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit.

Eius bona qui sibi ob aliquod admissum flagitium mortem consciuit, fisco vindicantur. Quòd si id tædio vitæ, aut pudore æris alieni, vel valetudinis alicuius impatientia admisit, nō inquietabuntur, sed ordinariæ successioni relinquuntur.

B Rei postulati capitalis criminis, vel in crimine capitali deprehensi, si metu criminis se interficiāt heredem ordinarium non habent, nec eis funus ducitur, nec lugeri solent. Nam pro confessis habentur ex constitutionibus, atq; ideo illorum bona coguntur in fiscum. Quod tamen Reip.tēporibus non obtinuisse exemplum C.Licinij à Valerio relatum lib.IX.cap.12. indicat. Diuersum est si aut tædio vitæ, aut pudore æris alieni, aut doloris alicuius impatientia, aut furore interimant se. Hi namq; heredem ordinarium habent, & eorum, vt Cor.Tacitus ait lib.v. humantur corpora, manēt testamenta. Extat autem hæc Pauli sententia in l.in fraudem.§.eius bona.D.de iur.fisci, quæ ex aliorum Iurisconsultorum auctoritatibus quàmplurimis confirmari & dilatari potest.

Ei etiam velut indigno aufertur hereditas, qui adfinem vel cognatum, cui ipse ab intestato successurus erat, testamentum facere prohibuit, aut ne iure subsisteret operam dedit.

C

Legitimus heres qui ne testamentum fieret vel ne iure subsisteret impedimento fuit, velut indignus remouetur ab hereditate, eaq; in fiscum redigitur.l.2.C.si quis aliq.test.proh.l.1.D.eod. Quod ait *adfinem*, stare non potest: adfinitatis enim iure nulla est ab intestato successio. Itaq; expungenda sunt illa verba, *adfinem vel.*

Si pater vel dominus id testamentum quo filius eius, vel seruus heredes instituti sunt, aut legatum acceperunt, falsum redarguant nec obtineant, fisco locus est.

D

Non tantùm si heres aut legatarius falsum accusauerit, caduca fit hereditas, caducum legatum, sed & si pater heredis aut dominus, ad quem emolumentum peruenturum est. l.post legatum.§.si pater.D.de iis quæ vt indig.

Ætati eius, qui accusat testamentum, si non obtineat, succurri solet in id quod ita amisit, maximè si tutoris aut curatoris consilio actio instituta sit.

E Licet regulariter alieno nomine accusare non liceat, pupilli tamen iure & nomine tutor, aut curator adolescentis nomine extra calumniæ pœnam accusationem instituere potest. Id enim nō sua simultate, aut malitia, sed ex officio facit, plerumq; cogente pupilli matre, vel libertis paternis.l.tutorem.D.de his quæ vt indig.l.Polla.C.eod. Atq; adeo sic accusat pupillus verius quàm tutor. Quò fit vt nomine pupilli falsum testamentum accusante tutore hereditatem, aut legata pupillus amittat. Conseruantur tamen interdum, maximè si tutor falsum dixerit nomine pupilli, sua sponte non coactus.l.post legatum.§.ætati.D.de his quæ vt indig. Et ita hæc Pauli sententia accipienda est. Pertinet ad hanc quæstionem l.2.C.qui acc.non pos. in qua non dubito quin legendum sit, *pupilli nomine*, non, vt vulgò, *proprio nomine*. Ait enim quum, id est, quia non licet alieno nomine accusare, non ideo pupilli nomine tutorem prohiberi accusare.

F In ea prouincia ex qua quis originem ducit, officium fiscale administrare prohibetur, ne aut gratiosus, aut calumniosus apud suos esse videatur.

Non potest quis in ea prouincia ex qua ortus est, procuratoris, aut aduocati fisci officio fungi: Multo minus aut prouinciæ suæ præses existere, vt cauetur Anastasij constitutione Græca, quæ in libris excusis deest sub tit.de offic.rect.prou.l.vlt.C.de crim.sacr.aut præsidi in sua prouincia assidere potest, vt colligitur ex l.3.D.de offic.asses.Ne, inquit Paulus, aut gratiosus, aut calumniosus apud suos esse videatur.

G Quotiens sine auctoritate iudicati officiales alicuius bona occupant, vel describunt, vel sub obseruatione esse faciunt, adito procuratore iniuria submouetur, & rei huius auctores ad præfectos prætorio puniendi mittuntur.

Cæſariani ſiue Catholiciani qui ſine auctoritate iudicati bona occupant, deſcribunt vel obſignãt: ad præfectos prætorio, quorum, ſcilicet, officiis adhærent, puniendi remittuntur. Quod autem ita geſtum eſt, adito procuratore Cęſaris emendatur. Etiam illud additur in l. prohibitum. C. de iur. fiſci, eos quorum intereſt Cæſarianis reſiſtere, eorumq; conatus prohibere poſſe. A

Litem in perniciem priuatorum fiſco donari non oportet, nec ab eo donatum ſuſcipi.

Inuidioſum eſt litem, quam cum alio habemus, fiſco donare. l. res. §. lites. D. de iur. fiſc. l. 2. C. ne fiſc. vel. reſp.

Imperatorem litis cauſa heredem inſtitui inuidioſum eſt: nec enim calumniandi facultatem ex principali maieſtate capi oportet. B

Æquè inuidioſum eſt litis perplexæ cauſa principem heredem inſtituere. Extat hæc Pauli ſententia in l. pen. D. de hered. inſtit.

Ex nuda pollicitatione nulla actio naſcitur: ideoque eius bona, qui heredem Imperatorem facturum eſſe iactauerat, à fiſco occupari non poſſunt.

Nuda pollicitatio actionem non parit. Nõ igitur ideo quòd ſe Imperatorem facturum heredem aliquis pollicitus ſit, fiſco ius vindicandæ hereditatis competit. Extat in l. vlt. D. de teſtam. C

Priuilegium fiſci eſt, inter omnes creditores primum locum tenere.

Fiſcus præfertur omnibus creditoribus chirographariis, etiam antiquioribus, aut priuilegiariis in actione in perſonã rei perſecutoria. Poſtponitur omnibus in actione in perſonam pœnali. In actione hypothecaria præfertur fiſco qui prior eſt tempore, poſtponitur autem poſterior. l. quod quis. D. de bon. auc. iud. poſſ. l. in ſumma. D. de iur. fiſc. l. ſi pignus. D. qui pot. in pign. hab.

Quicumq; à fiſco conuenitur, non ex indice, vel exemplo alicuius ſcripturæ, ſed ex authentico conueniendus eſt: ita ſi contractus fides poſſit oſtendi. Ceterùm calumnioſam ſcripturam vim iuſtæ petitionis in iudicio obtinere non conuenit. D

Fiſci debitores non ex indice, vel exemplo, ſed ex authentico cõueniendi ſunt. Item neceſſarium eſt vt de fide inſtrumenti conſtet. Refertur hæc ſententia à Iuſtiniano in l. 2. D. de fid. inſtr.

Eius bona, qui falſam monetam percuſſiſſe dicitur, fiſco vindicantur. Quòd ſi ſerui ignorante domino id feciſſe dicantur, ipſi quidem ſummo ſupplicio afficiuntur, domino tamen nihil aufertur: quia peiorem domini cauſam ſerui facere, niſi fortè ſcierit, omnino non poſſunt. E

Rei falſæ monetæ aut deportantur ademptis omnibus bonis, ſi liberi ſunt, aut pro modo delicti grauius coërcentur: ſerui ſummo ſupplicio afficiuntur, ſiue ignorante, ſiue ſciente domino id admiſerint. Ignorans tamen dominus ex hoc ſerui facto non punitur. Sed nihil eſt pœnarum modo incertius: aliàs enim ordine, alias extra ordinem iudicantur: & rurſus extra ordinem variè. Statuitur huic delicto ſine diſtinctione capitis pœna in l. 1. C. de fal. mon. & ignis in l. 2. Itaque pœnarum certa definitio non eſt, nec durat hodie pœna legum. Tandem enim & probari, & puniri crimina extra ordinem cœperunt. l. lex. §. vlt. D. ad leg. Iul. repet. l. vlt. D. ad leg. Fab. l. 3. §. pen. D. ad leg. Corn. de ſic. cùm initio probandorum tantùm, non etiam puniendorum criminum ordo in vſu eſſe deſiiſſet. l. ordo. D. de pub. iudic. F

De delatoribus. TIT. XIII.

OMnes omnino deferre alterum, & cauſam pecuniariam fiſco nuntiare prohibentur. Nec refert mares iſtud, an feminæ faciant, ſerui, an ingenui, an libertini, an ſuos, an extraneos deferant. Omni enim modo puniuntur. G

Hæc ſentẽtia omnino tollit eos, qui occultè cauſam pecuniariam fiſco deferunt, nec probant: & ſi qui extiterint puniendos eſſe cenſet: & meritò. Nihil enim eſt in Rep. iis delatoribus pernicioſius. l. 4. C. de delator. Syneſius eos in epiſtolis κοινὰς ἀλάςωρας τ̃ χώρας, Impp. maximum humanæ vitæ malum

A malum in l.1.& 10.C.Th.de petit.& vltro dat.appellant. Atq; ideo turpe eſt delatoris nomen, & iniuriarum tenetur, qui alium delatorem appellat.l.3.C.de iniur.

Serui fiſcales, qui cauſam domino prodere, ac nuntiare contendunt, deferre non videntur. Subornati ſanè reum deferre coguntur, qui quod per ſe non poteſt, per alium deferat. Perinde autem ſubornatores ac delatores puniuntur.

Serui fiſcales impunè fiſco cauſam pecuniariam deferunt: id enim quodãmodo ex officio faciũt, non ſua ſponte arg.l.2.C.de delator. Eadem ratione iterum in delatoris crimen incidere nõ videtur

B quẽ ſemel alius delatorem ſubmiſit & ſubornauit, ſi mandatorẽ, ſiue ſubornatorem edere cõpellatur, licet probare non potuerit. Solent delatores ſubmittere qui per ſe deferre non poſſunt, vtputa liberti contra patronos. Perinde autem ac ipſi delatores puniuntur.l.2.§.D.Pius.D.de iur.fiſc.

Damnati ſerui ſiue poſt ſententiam, ſiue ante ſententiam dominorum facinora confeſſi ſint, nullo modo audiuntur, niſi fortè reos deferant maieſtatis.

Serui delatores dominorũ non audiuntur, excepto crimine maieſtatis.l.vlt.C.de delat.l.2.§.pen. D.de iur.fiſc. Quid ſi in reatu de domino ſceleris participe confiteantur? Videtur ex reſcripto Traiani ea res dominũ grauare: ſed ab eo receſſum eſt.l.1.§.ſi ſerui.D.de quæſt.& hoc Paulus probat. C

De quæſtionibus. TIT. XIIII.

IN criminibus eruendis quæſtio quidem adhibetur, ſed non ſtatim à tormentis incipiendum eſt: ideoq; prius argumentis quærendum eſt: & ſi ſuſpicione aliqua reus vrgueatur, adhibitis tormentis de ſociis, & ſceleribus ſuis confiteri compellitur,

D Quæſtio adhibetur ad eruendam veritatem, eruenda crimina, eruendos ſocios. l.item apud.§.quæſtionem. D.de iniur.l.inde Neratius.§.ſed & ſi ſeruus. D.ad leg.Aquil.l.1.D.de quæſt. cuius hæc genera Syneſius ponit in epiſtolis, δακτυλήθραν, ποδοστράβην, πιεστήριον, ῥινολαβίδα, ὠτάγραν, χειλοστρόφιον. Non tamen ſtatim eſt à quæſtione incipiendum, ſed ita ſi reus argumentis vrgeatur. l.1.l.vnius.§.in ea cauſa. D.de quæſt.l.milites.C.eod. In excuſis perperam legitur hoc loco, *arguatur*, vt & in l.non prius.C.de calum.*arguere*, pro *vrguere*, ſimili errore.

Vnius facinoris plurimi rei ita audiendi ſunt, vt ab eo primum incipiatur, qui timidior & teneræ ætatis eſſe videatur.

E Si plures ſunt rei eiuſdem criminis, ab eo inchoanda eſt quæſtio qui timidior eſt, vel tenerę ætatis, à quo facilius veritas erui poſſe videatur. Extat hæc ſententia cum aliis quibuſdam, quarum partem maximam Anianus reiecit in l.vnius.D.de quæſt.

De teſtibus. TIT. XV.

SVſpectos gratiæ teſtes, & eos vel maximè, quos accuſator de domo produxerit, vel vitæ humilitas infamauerit, interrogari non placuit.

F In teſte enim & vitæ qualitas ſpectari debet, & dignitas.

Teſtes ſuſpecti gratiæ, & maximè domeſtici, itemq; humilis, & abiectæ condicionis non interrogantur. In teſte, vita, dignitas, & mores ſpectantur. Extat pars quædam huius ſententiæ in l.pen. D.de teſtib. Plerumque tamen ex cauſæ condicione humiles & infames audiuntur. l.ob carmen.§.ſi ea. D.eod. Et quidem ex Magiſtro Harmenopulus refert, in teſtibus de vi, aut iniuria, nec mores ſpectari, nec vitam.

In adfinem vel cognatum inuiti teſtes interrogari non poſſunt.

Hoc eſt ex lege Iulia, vt inuitis teſtimonium non denuntietur aduerſus affines vel cognatos.l.4.

G D.de teſtib.

Aduerſus ſe inuicem parentes & liberi, itemq; liberti nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt. Quia rei veræ teſtimonium, neceſſitudo perſonarum plerumq; corrumpit.

Hæc Pauli verba Impp. Dioclet. & Maxim. vſurparunt in l. parentes. C. de teſtib. niſi quod illa non A adiecerunt, *itemq́ liberti.* quæ etiam ex hoc loco demenda cenſeo: non quòd falſum ſit libertos volentes aduerſus patronos non audiri, ſed quia eis ſubiecta à Paulo ratio non conuenit. Ideo enim ait nec volentes inuicem aduerſus ſe audiri parentes & liberos, quòd plerumque ne plena ſit eius teſtimonij fides, neceſsitudo efficiat, id eſt, coniunctio ſanguinis. Sic enim noſtri auctores ſemper neceſsitudinem accipiunt.

Teſtes, cùm de fide tabularum nihil dicitur, aduerſus ſcripturam interrogari non poſſunt.

Si inſtrumenti fides in dubium non vocatur, omnimodo ſtandum inſtrumento eſt, nec aduerſus huiuſmodi inſtrumentum teſtes admittendi ſunt. Quòd ſi in libris Iuſtiniani inueniri potuiſſet, B de eo iamdiu inter ſe Doctores non certaſſent, quibus vt certamini finem imponant, hic locus indicandus eſt.

Qui falsò vel variè teſtimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt, aut in exilium aguntur, aut in inſulam relegantur, aut curia ſubmouentur.

Falſi teſtes aut varij, aut qui vtrique parti teſtimonia ſua prodiderunt, aut exilio, aut relegatione, aut ordinis amotione pro qualitate rei coërcentur. Noluit Tribonianus in l. qui falsò. D. de teſtibus has pœnas, fortè quòd grauiores viderentur, exprimere, ſed earum vice hæc adſcripſit, *A iudicibus* C *competenter puniantur*, vel vt Harmenopulus legit, *à iudicibus competentibus puniantur*, ὑπὸ τῶν προσφόρων ἀρχόντων τιμωρεῖν.

In re pecuniaria tormenta, niſi cùm de rebus hereditariis quæritur, non adhibentur. Aliæ autem iureiurando, aut teſtibus explicantur.

Lis pecuniaria iureiurando aut inſtrumentis, aut teſtibus deciditur, non quæſtione ſeruorũ. Nec enim facilè de ſeruis in re pecuniaria quæſtio habetur. At ſi deſint teſtes, ſi inſtrumenta, ſi nemini liqueat iurare, quid fiet? Quod maximè accidit cùm vel de genere, vel de rebus hereditariis quæritur, quarum plerumq; ſoli ſerui notitiam habent. Et placet his caſibus ex inopia probationũ ſeruos audiri, non tantùm ſi nondum ſit certum qui heredes ſint, ſed etſi de heredibus conſtet. l. Diuus. D. de D quæſt. l. 1. & vlt. C. eod. l. vlt. §. licentia. C. de iur. delib. & ℑ. tit. prox. In eis autem litibus pecuniariis, in quibus ſunt quibus iurare liqueat, numquam ad ſeruorum quæſtionem peruenimus.

De ſeruorum quæſtionibus. TIT. XVI.

SEruum de facto ſuo in ſe interrogari poſſe ratio æquitatis oſtendit. Nec enim obeſſe ei debet qui per ſeruũ aliquid ſine cautione commodat aut deponit.

Seruus pro domino aut in dominum interrogari nõ poteſt: de ſuo autem facto in ſe interrogari E poteſt, etiam ſi ex ea re cõmodum, vel incommodum domino creetur: vtputa, ſi quid per eum dominus ſine cautione commodauerit, aut depoſuerit. l. interrogari. C. de quæſt. l. ſeruos. C. de teſtib. & ℑ. lib. 2. tit. 17. Hìc verò perperam antea legebatur, *Commodatum deponit.*

Iudex tutelaris, itemq; Centumuiri, ſi aliter de rebus hereditariis, vel de fide generis inſtrui non poſſunt, poterunt de ſeruis hereditariis habere quæſtionem.

Prætor tutelaris tutelaribus cognitionibus præſidet: Cẽtumuiri de hereditatis petitione cognoſcunt. F Vtraq; lis eſt pecuniaria, & nonnumquam incidit in vtramque quæſtio de genere, aut gente. Itaq; ſecundùm ea quæ dicta ſunt. ℑ. tit. prox. in eis non erit de ſeruis habenda quæſtio, niſi cùm veritas aliter inueniri non poteſt. Extat huius ſententiæ pars quædam in l. vnius. §. iudex. D. de quæſt.

Serui alieni in alterius caput nõ niſi ſinguli torqueri poſſunt: & hoc inuito domino non eſt permittendum, niſi delator, cuius intereſt quod intendit probare, pretia eorum quanti dominus taxauerit, inferre ſit paratus, vel certè deterioris facti ſerui ſubire taxationem.

Serui alieni in caput alterius torqueri poſſunt: ſed non niſi ſinguli, vt hìc Paulus ait, & volente G domino. Sed & inuito domino ita torquentur poſtulante accuſatore, ſi caueat accuſator, ſi defuncti ſint in quæſtione, ſe pretia eorum, vel ſi deteriores facti ſunt, damni æſtimationem præſtaturum. l. certo. D. de quæſt. Agetur ergo in ſimplum actione ex ſtipulatu. Quòd ſi ſeruus in caput domini

torqueat

A torqueatur in causa adulterij quæ excepta est, non est necesse stipulationem interponi : quoniam absoluto domino datur condictio ex lege Iulia in simplum: condemnato verò domino seruus publicatur. l. patre. D. de quæst. l. si postulauerit. §. vltim. & l. prox. D. ad leg. Iul. de adult. quod trahi potest ad omnes causas exceptas. Ceterùm si in caput suum seruus torqueatur, & absoluatur, domino ex eadem lege in duplum condictio competit. l. vlt. D. de calum. l. dominis. C. eod. Hæc sententia Pauli non ad eum qui in caput suum, vel in caput domini, sed ad eum qui in caput alienum interrogatur propriè pertinet.

Seruo qui vltrò aliquid de domino confitetur, fides non accommodatur. Nec enim oportet in rebus dubiis salutem dominorum seruorum arbitrio committi.

B Si seruus & dominus eiusdem sceleris socij dicantur & participes, seruus in dominum non interrogatur, nec quidem si vltrò aliquid de domino confiteatur, ea res dominum grauat. l. 1. §. Diuus Anto. D. de quæst. & s̃. titul. 13. Nec seruo est committenda salus domini. Est enim, vt Theophilus noster ait, φύσει ὁ δοῦλος τοῦ δεσπότου πολέμιος : quod iisdem pene verbis Anna extulit in 2. Alexiad. ἔστι μὲν γὰρ ἄλλως τὸ δοῦλον φύσει τοῖς δεσπόταις πολέμιον. Extat verò hæc sententia Pauli & in l. vnius. §. seruo. D. de quæst.

C Serui in caput domini neque à præside, neque à procuratore, neq; in pecuniariis quàm in capitalibus causis interrogari possunt.

Præses cognoscit de crimine, Procurator de bonis, non de crimine. l. 1. & 2. C. vbi cau. fisc. vel diu. dom. Neuter verò potest seruum in caput domini interrogare : puta præses an dominus hominem occiderit, procurator, an se dominus metu criminis occiderit. Igitur serui in caput domini, nec in pecuniariis causis, magis, quàm in capitalibus interrogantur. Ceterùm si in pecuniaria causa caput domini appeti non videatur, ex inopia probationum seruos in dominum torqueri placet. l. Diuus. D. de quæst. l. 1. C. eod. vt puta, si de rebus hereditariis, vel fide generis quæratur, vt s̃. diximus tit. prox.

D Communis seruus in caput alterius ex dominis torqueri non potest.

Seruus plurium in nullius caput torqueri potest, nisi socius socium occidisse dicatur. l. constitutione. l. extraneo. §. 1. D. de quæst.

Qui seruum ideo comparauerit, ne in se torqueretur, restituto pretio poterit interrogari.

E Hanc non legi in veter. libris, est recta tamen : & descendit ex rescripto Diuorum fratrum, quo cauetur, vt seruus in reatu comparatus in dominum torqueatur. l. 1. §. si seruus ad hoc. D. de quæst.

Seruus in caput eius domini, à quo distractus est, cuiq; aliquando seruiuit, in memoriam prioris dominij interrogari non potest.

Seruus in caput eius qui dominus fuit, non est, in memoriam prioris dominij non torquetur. Extat in Pandectis l. vnius. §. seruus. D. de quæstio. Et sic quoque in aliis partibus iuris ad memoriam prioris matrimonij, prioris dignitatis sæpe reuocamur.

Si seruus ad hoc fuerit manumissus ne torqueatur, quæstio de eo nihilominus haberi potest.

F Soli serui in alterius caput torquentur: liberi in suum caput torquentur, in alterius non item. Si quis igitur seruum suum in hoc manumittat, ne in alterius caput torqueatur, nihilominus torqueri potest. l. 1. §. si seruus ad hoc. D. de quæst. idemq; est si ne in suum vel domini caput ex causis exceptis torqueatur, manumissus sit.

Quæstioni eius latronis quem quis obtulit, cùm de eo confiteretur, fidem accommodari non conuenit, nisi id forte velandæ conscientiæ suæ gratia, quam cum reo habuit, fecisse doceatur.

G Non est facilè credendum conuicto confessoq; latroni, qui ad societatem sceleris vocat eum à quo oblatus & proditus est, nisi euidenter appareat commisso communiter scelere, captandæ impunitatis gratia hunc ad illius proditionem festinasse. l. 4. C. de quæst. l. 1. §. cùm quis. D. eod.

Neque accusator per alium accusare, neque reus per alium defendi potest,

di poteſt, niſi ingratum libertum patronus accuſet, aut rei abſentia A defendatur.

Accuſator per alium non poteſt accuſare vt.ſ.tit.4. & 5. Reus item per alium defendi non poteſt.Excipiuntur duo caſus,Si ingratum libertum patronus accuſet.l.ſed & ex. §.1.D.de procur.l.4. D.de obſeq.par.& patr.præſt. Si rei abſentia defendatur.l.abſens.l.ſeruum.§.publicè.D.de procur. l.inter.l.penul.D.de pub.iudic.l.3.C.de accuſ.Sed in eo §.publicè. malim, *abſentiam excuſantem*, potius quàm, *innocentiam excuſantem*. Neq; enim innocentia excuſatione eget. Et ad abſentiam tantùm excuſandam procurator admittitur,non ad innocentiam,ſi qua ſit,oſtendendam.

Si pecunia data iudici reus abſolutus eſſe dicatur, idq; in eum fuerit comprobatum,ea pœna damnatur,qua reus damnari potuiſſet. B

In legem Iuliam repetundarum, & in legem Corneliam de falſis incidit iudex, qui hominem nocentem propter pecuniam iudicio liberauit.Paulus eadem cum pœna damnari ait, qua reus qui abſolutus eſt,damnari potuiſſet. Quod & in commentarienſi, cuius fraude, aut nimia negligentia cuſtodia euaſerit,conſtituitur in l.pen.C.de cuſtod.reo.

In conuictum reum ſiue torqueri poſſit ſiue non poſſit, pro modo admiſſi ſceleris,ſtatuendum eſt. C

Reus conuictus damnari poteſt,licet crimen non confiteatur:vt puta,decurio,à quo tormentis confeſsio non eſt elicienda. l.qui ſententiam.C.de pœn. Sed & ſi torqueri poſsit, etiam non confeſſus condemnabitur.

Reis ſuis edere crimina accuſatores cogendi ſunt.Scire enim oportet quibus ſint criminibus reſponſuri.

Eduntur crimina per libellum, quod fieri neceſſe eſt, ne (vt ait l.vnius.D.de quæſt.) rei ſubitis criminibus opprimantur.

D

De abolitionibus. TIT. XVII.

POſt abolitionem publicam à delatore ſuo reus intra XXX.diem repeti poteſt,poſtea non poteſt.

Accuſationis abolitio duplex eſt,priuata, & publica. Priuata fit,aut poſtulante reo ex certis cauſis,aut poſtulante accuſatore. Poſt hanc autem vel illam, ab alio, non etiam ab eodem intra diem XXX. repeti reus poteſt.l.3.§.vlt.D.de accuſ.l.mulier.§.vlt. D. ad S. C. Turpil.l.1.C.de abolitio. Publica fit nullo poſtulante, auctore principe, vel Senatu ob lætitiam aliquam.l.abolitio.l.ſi interueniente.D. ad S. C. Turp. quæ in hoc diſtat ab Amneſtia, ſiue obliuionis lege,quòd poſt ἀμνηστίαν E accuſatio inſtitui,vel repeti non poteſt.Poſt abolitionem publicam intra diem XXX. etiam ab eodem repeti reus poteſt.l.1.C.de gener.abol.l.aut priuatim.D.ad S. C. Turp.

Summa ſupplicia ſunt,crux,crematio,decollatio. Mediocrium autē delictorum pœnæ ſunt,metallum,ludus,deportatio. Minimæ,relegatio, exilium,opus publicum,vincula.Sanè qui ad gladium dantur, intra annum conſumendi ſunt.

Pœnæ aut ſummæ ſunt, aut mediocres, aut minimæ. Summas pœnas mortes interpretamur. F Nec probamus Silani interpretationem,qui cùm detecta coniuratione Catilinæ in ſocios facinoris ſummam pœnam decreuiſſet, poſtea Cæſaris oratione permotus, vt Plutarchus ſcribit in Catone, non mortem ſe intelligere dixit, ſed vincula. At certè vinculorum pœna minima eſt, non ſumma. Summæ hæc ſunt genera Crux,Crematio,Decollatio.Totidem Calliſtratus refert in l.capitalium. D.de pœn.Sed quòd ſublatum eſſet crucis ſupplicium à Conſtantino,vt Nicephorus ſcribit,& eius loco introducta furca,Tribonianus,non vt Calliſtratus ſcripſerat, *Ad crucem damnatio*, & in §. famoſos, *cruci figendos*, ſed *Ad furcam damnatio*, & *Furca figendos* maluit ſcribere: cùm tamen furcæ criminoſi non figantur. Et hoc Triboniani facinus prodit manifeſtò prima ſententia tit. 22.j. collata cum l.ſi quis aliquid.§.auctores.D.de pœn.vt & Ant.Contius in lib.Var.lect.notat. Illis autem tribus dumtaxat modis olim vita adimi potuit,non laqueo,ſiue furca.l.aut damnum.§.1.D.de pœn. G Non ſecuri: & hinc illud Caracallæ,cùm ſecuri percuſſus eſſet Papinianus, At gladio te meum iuſſum exequi oportuit.Non fuſtibus, quod tamen introducitur in Nou. Maioriani De curialib. Sed & multa alia genera vltimi ſupplicij ex poſterioribus conſtitutionibus introducta ſunt. Mediocres pœnæ eæ ſunt,Metallũ,Ludus,Deportatio.Ludus duplex eſt,Venatorius,& Gladiatorius.In vtrumque damnati ſerui pœnæ efficiuntur. Quod cùm de his qui in venatorium damnantur,dixiſſet Vlpianus

A pianus in l.aut damnum. §. quicumque. D. de pœn.subiunxit, *Hoc enim distat à ceteris, qui* (sic lego) *instituuntur venatores, aut purrhicarij*, &c. Sensus est, Damnatos in ludum venatorium, pœnæ seruos esse eos qui instituuntur venatores, aut purrhicarij, aut gesticulatores non item. Ad hæc damnatos in gladiatorium Paulus ait intra annum esse consumendos. Quod Constantinus, priusquam hanc pœnam sustulisset in l.1.C.de gladia.quodammodo probauerat, in l.1.C.Th.ad leg.Fab. Minimæ autem pœnæ hæ sunt, Relegatio, id est, insulæ vinculum: Exilium, quod est aut certi loci interdictio, id est, lata fuga, aut omniũ locorum interdictio præter certum locum. Sic enim omnino inuitis exemplaribus legendum est in l.4.D. de interd.& releg. Addit Paulus opus publicum & vincula: quod ita verum est, si ad tempus sint. Nam neque ciuitas per hunc modum, neque libertas B amittitur. In perpetuum verò damnati ciuitatem amittunt.l.sunt quidam.D.de pœn. libertatem verò retinent. l. capitalium. §. Diuus. D. de pœn. in quo sic legendum est, *Huius enim libertas manet, quemadmodum etiam his qui in perpetuum opus damnantur.* Errant enim tota via qui deesse negationem in P. Flor.arbitrantur, quoniam qui non in perpetuum opus damnati sunt, vtrumque retinet, quandoquidem hæc pœna est ex minimis. Sed eodem in loco tamen Flor. codex perperam habet, *quamdiu etiam hi*, cùm negatio quæ ab eo libro abest, & verò abesse debet, ostendat esse legendum, *quemadmodum etiam.* Qui error ex compendiis dictionum est natus.

De abactoribus. TIT. XVIII.

C ABactores sunt, qui vnum equum, duas equas, totidem'que boues, capras x. aut porcos quinque abegerint. Quidquid verò intra hunc numerum fuerit ablatum, pœna furti pro qualitate eius, aut in duplum, aut in triplum conuenitur, vel fustibus cæsus in opus publicum vnius anni datur, aut sub pœna vinculorum domino restituitur.

Hæc sententia variis modis corrupta est. Primùm enim constat vnum bouem abigeum facere.l. vlt. D. de abig. sed hîc duo exiguntur. Tum eos qui animalia intra definitum numerum auferunt, D constat puniri vt fures, non vt abigeos. Sed hîc traditur vel pœna furti eos puniri vel in opus publicum ad tempus dari: quæ pœna est abigeorum.l.1.D.de abig. Est hîc etiam error in loquendi ratione: Nam quò respondeant verba, *ablatum*, *conuenitur*, non apparet. Ego ita esse legendum puto, *Abactores sunt, qui vnum equum, duas equas, vel capras decem, totidemq́ oues, aut porcos quinque abegerunt. Qui quid verò intra hunc numerum abstulerit, pœna furti pro qualitate eius, aut in duplum, aut in triplum conuenitur. Abactor autem fustibus cæsus in opus publicum vnius anni datur, aut sub pœna vinculorum domino restituitur.* Quos alij vocant abigeos, hic auctor abactores: Quo verbo etiam Iulius Firmicus vsus est lib. VI. Pecorum, inquit, abactores efficient insequentibus hominibus minaci semper gladio resistentes. Videnda autem sunt ea quæ de abigeis scripsimus lib.1.Obser.cap.10.

E Si ea pecora de quibus quis litigat abegerit, ad forum remittendus est, atque ita conuictus in duplum, vel in triplum furis more damnatur.

Non punitur vt abigeus, qui pecora de quibus litigat abegit, quia sua se abducere putat, ideoq́; remittendus est ad forum. Saturninus ait ad examinationem ciuilem.l.1.§.vlt.D.de abig. Alij ad ius ordinarium.l.vlt.D.de priu.del.l.2.D.de fur.bal.l.1.§.1.D.si ventr.nom.mul.in poss. miss. Forum igitur est propriè causarum ciuilium: inde Forenses actiones, id est, ciuiles.l.1.D.de incend.rui. & nauf. Herodianus lib. VII. καὶ ἀντιδίκους ἐν πράγμασιν ἀγοραίοις ὡς συκοφάντας ἐφόνευσαν, id est, in causis ci- F uilibus. Proinde is de quo agitur, pœna furti conuenietur in duplum vel triplum. Furti nec manifesti est in duplum. Furti concepti vel oblati in triplum. De quadruplo nihil dicit, quod etiam si videantur, & apprehendantur, cùm animalia quæ abigunt non teneant, deprehensi cum eis videri non possint.

De sacrilegis. TIT. XIX.

QVi noctu manu facta prædandi ac depopulandi gratia templum inrumpunt, bestiis obiiciuntur. Si verò per diem leue aliquid de G templo abstulerint, vel deportantur honestiores, vel humiliores in metallum damnantur.

Qui collecta manu templa effringunt noctu, & anathemata, vel cimelia auferunt, ad bestias damnantur. Qui verò interdiu leue aliquid ex templo auferunt: aut deportantur, aut in metallum damnantur.l.sacrilegij.§.1.D.ad leg.Iul.pecul.

De incendiarijs. TIT. XX. A

De incendiariis.§.dictum est tit.3.Sententia posita sub hoc titulo ad eos pertinet,qui alienas arbores ceciderunt,non ad incendiarios. Hic igitur titulus nothus & spurius est. Ausim dicere & ceteros omnes eiusdem generis esse,quòd pleni errorum sint. Nam præter eos errores qui à me suis locis supra indicati sunt,vt tit. De reis institutis, De oratione D. Seueri, De repudianda hereditate, De contrahenda auctoritate:præter titulos qui sedi suæ restituti sunt,vt tit.De lege commissoria, & tit.Ad S. C. Tertullianum:item præter eos titulos qui à me sublati sunt, quòd perpetuam quæstionem perperam diuiderent, vt puta lib. 2. titulum, De modo.lib.III. tit.De eo cui moribus interdicitur,& iteratum titulum De testamentis,& tit.De vsufructu,& in hoc lib.tit.De interdicto Vtrubi, qui vel sic emendandus est, *De interdicto Vnde vi*, vel quia non de eo tantùm interdicto, sed & B de aliis omnibus Paulus dicere pergit,potius tollendus fuit:item tit.De fisci aduocato, quòd ad fisci aduocatum prima dumtaxat eius tituli sententia referri posit, nec sit cur ea re generaliter De iure fisci continuata tractatio abrumpatur:Præter, inquam,hæc omnia, vellem etiam sublatum lib.1.titulum De iudicato, & ad sententiam cuius initium est, In petitione, appositum titulum De petitione hereditatis. Hic enim est ordo Digestorum edictorum,quemadmodum ex Pandectis,& ex auctorum libris apparet, vt præcedat titulus De iudiciis,sequatur titulus, De petitione hereditatis. Huius quoque libri tit.3. qualis est? Sub eo sunt sententiæ sex quarum vna tantùm titulo respondet. Quot item sunt sententiæ sub tit. De seruorum quæstionibus, quæ nihil ad eum titulum spectant? vt planè videatur ibi deesse titulus De accusationibus, quem ego positum,sublato tit. De abolitionibus, lubenter extenderem vsque ad eam sententiam quæ genera pœnarum distinguit, & ab ea C inciperem titulum De pœnis, quem ex hoc loco citat Iulius Frontinus de limit. agror. & sublatis intermediis omnibus eius quidem finem statuerem ad tit.Ad leg. Cor.de sic. Nam & qualis est titulus De seditiosis, cui vna tantùm sententia respondet? Et hic De incendiariis, quàm ineptus est, ne dicam barbarus? Scio enim eos, qui arbores incidunt, à quibusdam barbarè incendiarios appellari. Itaque, vt breue faciam, quod iampridem de titulis Vlpiani XXI. iudicium feci, vt eorum sectiones auctoris esse negarem,idem hoc loco de his Sententiarum Pauli sectionibus prorsus sentire me adscribere non verebor.

QVi noctu fructiferas arbores manu facta ceciderint, ad tempus plerumque in opus publicum damnantur, aut honestiores damnum sarcire coguntur,vel curia submouentur,vel relegantur. D

De arboribus cæsis est in singulas XXV. asium actio ex XII. tab. sicut De osse fracto. Est actio legis Aquiliæ: est interdictum Quod vi aut clam, est & prætoria in duplum actio, de qua tractatur in l.furtim.& l.prox.D.arb.furt.cæs.quæ sunt ex libris ad edictum.Sed eæ actiones ciuiles sunt. Extra ordinem verò punitur etiam is qui noctu frugiferas ciderit, & plerumque, vt Paulus ait, in opus publicum ad tempus datur,aut si honestior sit,ordine submouetur,vel relegatur, vel ciuiliter tantùm conuenitur.In eum qui noctu non frugiferas,vt puta cupressos,vel interdiu frugiferas ceciderit,non nisi ciuiliter agi potest. E

De Vaticinatoribus & mathematicis. TIT. XXI.

VAticinatores, qui se deo plenos adsimulant, idcirco ciuitate expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad spem alicuius rei corrumperentur,vel certè ex eo populares animi turbarentur. Ideoque primò fustibus cæsi ciuitate pelluntur:perseuerantes autem in vincula publica coniiciuntur, aut in insulam deportantur, vel certè re- F legantur.

Vates qui se Deo plenos,id est, ἐνθεαστικῶς asimulant, & futura coniectant, fustibus cæsi ciuitate pelluntur: perseuerantes aut vincula, aut relegationem,aut deportationem patiuntur. Perseuerantes grauius coërcentur,vt in l.capitalium.§.solent.D.de pœn.l.seruos.C.ad leg.Iul.de vi pub.

Qui nouas & vsu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moueantur, honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur. G

Auctores nouarum & externarum religionum,aut deportantur,aut capite puniuntur. Ait, *vsu vel ratione*, vt M.Tullius de amicitia, Si quando de amicitia, quam nec vsu, nec ratione habent cognitam.

Qui

A Qui de ſalute principis, vel ſumma Reipub. Mathematicos, Ariolos, Aruſpices, vaticinatores conſulit, cum eo qui reſponderit capite punitur.

Dixit ſuprà vaticinatores ciuitate pelli, aut in vincula coniici, aut relegari. Nunc ait capite puniri, ſi de capite principis, vel de ſumma Reip. conſulti reſponderint: itemq; Chaldæos, ſiue Genethliacos, quos vulgus Mathematicos vocat, & Ariolos, & Aruſpices. Eadem eſt conſultorum pœna: quæ in hac cauſa vt ſit grauior æquiſsimum eſt. Pulſari enim videtur maieſtas principis. Tertul. aduer. gentes. Cui, inquit, opus eſt perſcrutari ſuper Cæſaris ſalute, niſi à quo aliquid, aduerſus illam
B cogitatur vel optatur, aut poſt illam ſperatur & ſuſtinetur? Non enim ea mente de charis conſulitur, qua de dominis. Aliter curioſa eſt ſollicitudo ſanguinis, aliter ſeruitutis. Iulius Firmicus lib. 2. Matheſeos cap. vltim. Caue ne quando de ſtatu Reipub. vel de vita Romani Imperatoris aliquid interroganti reſpondeas. Non enim oportet, nec licet, vt de ſtatu Reip. aliquid nefaria curioſitate dicamus.

Non tantùm diuinatione quis, ſed ipſa ſcientia, eius'que libris melius fecerit abſtinere. Quòd ſi ſerui de ſalute dominorum conſuluerint, ſummo ſupplicio, id eſt, cruce afficiuntur. Conſulti autem ſi re-
C ſponſa dederint, aut in metallum damnantur, aut in inſulam deportantur.

Non tantùm qui diuinandi artem exercent, ſed & qui eius periti ſunt, aut qui vaticinios libros habent, puniuntur. Idem de Magica arte traditur. ſ. tit. XXIII. Serui conſulentes de capite dominorum crucifiguntur. Diuinatores in metallum damnantur, aut in inſulam deportantur.

De ſeditioſis. TIT. XXII.

D AVctores ſeditionis & tumultus concitato populo pro qualitate dignitatis, aut in crucem tolluntur, aut beſtiis obiiciuntur, aut in inſulam deportantur.

Extat hæc ſententia in l. ſi quis aliquid. §. auctores. D. de pœn. vbi Florentina editio, vt & in multis aliis locis, habet actores, pro, auctores. Sed auctores rectum eſt, vt in l. 2. C. de ſeditio. l. 3. §. item qui auctor. D. ad leg. Cor. de. ſic. Ergo auctores ſeditionis & tumultus, ſi humilioris fortunæ ſint in crucem tolluntur, vel beſtiis obiiciuntur: ſi honeſtiores, in inſulam deportantur. Eo tamen Pandectarum loco Tribonianus ſcripſit, in furcam: quia Conſtantini conſtitutione ſublata erat crux,
E vt ſ. diximus.

Qui terminos effodiunt, vel exarant, arbores've terminales euertunt, vel qui conuellunt bodones, ſi quidem id ſerui ſua ſponte fecerint, in metallum damnantur, humiliores in opus publicum, honeſtiores in inſulam amiſſa tertia parte bonorum relegantur.

Qui terminos euellunt, aut exarant, vel euertunt, pro condicione perſonarum coërcentur. l. 1. D. de term. mot. Serui dominio mutantur in deterius, & in metallum damnantur: Liberi humiliores in opus publicum: Honeſtiores in inſulam relegantur adempta tertia parte bonorum, vel certè
F aliter pro iudicantis arbitrio. Nam extraordinarium eſt crimen, vt ſ. lib. 1. tit. 16. Eſt & in terminos ſingulos L. aureorum prodita actio popularis lege Iulia: ſi quis dolo malo eos extra ſuum gradum, id eſt, quinque pedes lege Mamilia definitos, mouerit, eiecerit, atque ita ſuam poſſeſsionem promouerit. Eadem lege ſerui continentur. Sed ſi à domino non defendantur, ex alia lege Agraria, quam D. Nerua tulit, capite puniuntur. Extraordinaria autem illa pœna etiam in eos ſtatuta eſt, qui terminos quidem loco non mouent, ſed obſcurandorum finium cauſa faciem locorum conuertunt, vt qui ex arbore ſubinde ſuccisis ſtolonibus arbuſtum faciūt. l. 3. D. de term. mot. BODONES. Sic vno exemplari ſcriptum legimus, cuius nobis copiam fecit Pithæus noſter. Bodones ſiue botones vicem terminorum præſtant. Vox eſt menſorum vel eorum qui de agrorum & limitum condicionibus ſcripſerunt.

G Ciues Romani, qui ſe Iudaico ritu, vel ſeruos ſuos circuncidi patiuntur, bonis ademptis in inſulam perpetuò relegantur: Medici capite puniuntur.

Soli

Soli Iudæi se impunè circumcidunt.l.circumcidere. D.ad leg. Cor.de sic.Mouerunt bellum sub Adriano,vt Spartianus scribit,quòd vetarentur.Ciues Romani si se aut seruos suos circumcidi patiantur,relegantur ademptis bonis: hi qui circumciderũt capite puniuntur,perinde ac si castrassent. A

Iudæi si alienæ nationis comparatos seruos circumciderint, aut deportantur,aut capite puniuntur.

Iudæi non possunt alienæ religionis homines circumcidere : & si fecerint capite puniuntur.d.l. circumcidere.

Ad legem Corneliam De sicarijs & veneficis. TIT. XXIII. B

Lex Cornelia pœnam deportationis infligit eis qui hominem occiderint,eiúsve rei causa, furtíve faciendi cum telo fuerint. Et qui venenum hominis necãdi causa habuerint,vendiderint,parauerint,falsum testimonium dixerint quò quis periret, mortis've causas præstiterint. Ob quæ omnia facinora in honestiores pœna capitis vindicari placuit,humiliores verò in crucem tolluntur,aut bestiis obiiciuntur.

Lege Cornelia de sicariis & veneficis tenentur,qui hominem occiderint,qui hominis occidẽdi, vel furti faciendi causa cum telo fuerint, qui venenum hominis necandi causa fecerint, habuerint, vendiderint, qui falsum testimonium dixerint, quò quis rei capitalis damnaretur.l.1.D.ad leg.Cor. de sic. Pœna legis Corneliæ est aquæ & ignis interdictio, cuius vice successit deportatio, qua etiam hodie afficiuntur qui altioris gradus dignitatem obtinent. In ceteros autem hodie qui secundo sunt gradu,capite vindicari placuit,in humiliores cruce,vel ludo.l.3.§.pen.D.ad leg.Cor.de sic. Sed & ex lege Cornelia capitis pœnam irrogari Iustinianus ait. Solet enim pœnas suo tempore vsitatas legibus ipsis ex quibus crimen descendit,adscribere:Vt legi Iuliæ de adulteriis pœnam capitis,cùm tamen eius legis pœna fuerit relegatio:legi Pompeiæ culeum & serpentes. C

Qui hominem occiderit,aliquando absoluitur. Et qui non occidit, vt homicida damnatur. Consilium enim vniuscuiusque, non factum puniendum est.Ideoq; qui cùm velit occidere,id casu aliquo perpetrare non potuerit,vt homicida punietur.Et is qui casu iactu teli hominẽ imprudenter occiderit,absoluitur. D

In maleficiis voluntas spectatur,non exitus.l.Diuus.D.ad leg.Cor. de sic.Et ideo qui telum iecit, qui vulnerauit occidendi animo, qui arma cepit hominis occidendi causa, licet non occiderit, vt homicida tenetur.Is verò cui telum manu fugit,absoluitur.l.1.§.Diuus.D.eod.l.eum qui.C.eod.Rectè igitur homicida sic definitur à Græcis ὁ σκοπὸν ἔχων φονεῦσαι. E

Qui latronem cædem sibi inferentem,vel alium quemlibet stuprum inferentem occiderit,puniri non placuit.Alius enim vitam,alius pudorem publico facinore defendit.

Aggressorem, & stupratorem impunè occidimus.l.2.l.si vt allegas.C.ad leg.Cor.de sic.l.1.§.vlt. D.eod.l.itaque.D.ad leg.Aquil. Augustinus lib.1. de libero arbitrio, Lex dat potestatem vel viatori vt latronem,ne ab eo ipse occidatur,occidat: vel cuipiam viro aut feminæ, vt violenter sibi stupratorem irruentem,ante illatum stuprum,si posit interimat. F

Iudex qui in caput fortunasq; hominis pecuniam accepit, in insulam bonis ademptis deportatur.

Lege Cornelia tenetur magistratus,iudex've quæstionis, qui ob capitalem causam pecuniam accepit,vt publica quis lege reus fieret.l.1.D.eod. & ideo cùm sit in honore positus,etiam hodie in insulam deportabitur.

Mandatores cædis perinde vt homicidæ puniuntur.

Qui cædem fieri mandauit,perinde tenetur ac qui cædem fecit.l.non ideo.C.de accus. G

Si putator ex arbore cùm ramum deiiceret, non proclamauerit vt vitaretur,atque ita præteriens eiusdem ictu homo perierit,etsi in legem non incurrit,in metallum damnatur.

Putator

A Putator qui ex arbore cùm ramum deiiceret, non proclamauit, & prætereuntem occidit, si seruũ occiderit, in legem Aquiliam incidit: si liberum, neq; in Aquiliam incidit, quia de libero occiso ea lege non datur actio, nisi vtilis patri: neq; in Corneliam, quia ea lege dolus arguitur non culpa. l. in l. D. ad leg. Cor. de sica. l. si putator. D. ad leg. Aquil. Quamobrem nec in crucem tollitur, nec bestiis obiicitur: qua pœna putator, vtpote humilior, si dolo malo hominem occidisset, afficiendus foret: sed auctore Paulo, in metallum damnatur, quia hæc culpa doli faciem habet. Quòd si mutata non esset pœna, lege Cornelia primùm in sicarios & veneficos definita, hîc eadem pœnarum ratione seruata, relegandus foret, non in metallum dandus.

B Qui hominem inuitum libidinis, aut promercij causa castrauerit, castrandúmve curauerit, siue is seruus, siue liber sit, capite punitur. Honestior publicatis bonis in insulam deportatur.

Antea legebatur, *Libidinis, aut mercedis*, Ex veter. libris, & ex l. 3. §. & qui hominem. D. eod. tit. emendaui, *libidinis, aut promercij*, quæ vox frequens est in libris nostris. l. cetera. §. sed si quis. D. de leg. lib. 1. l. nam quod. §. 1. D. de pen. leg. l. 2. D. ad leg. Iul. de vi pub. Ait autẽ lege Cornelia teneri eum qui inuitum seruum aut liberum hominem libidinis, vel promercij causa castrauerit, idq; S. C. effectum est. Et ideo infimi gradus hominem in crucem tolli, aut bestiis obiici: medij, capite puniri: maximi, in insulam deportari dicemus. Ait, *inuitum:* sed ex Constitutione Adriani idem erit, si non

C inuitum castrauerit. l. 4. §. vlt. D. ad leg. Cor. de sic.

Qui abortionis, aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciãt, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur. Quòd si eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.

Qui abortionis aut amatorium poculum dant, in legem Corneliam non incidunt, quia id dolo malo, & hominis necandi causa non faciunt. Sed tamen quia pessimi exempli res est, aut in metallum damnantur, aut relegantur, aut capite puniuntur. Extat hæc sententia in l. si quis aliquid. §. qui

D abortionis. D. de pœn.

Qui sacra impia, nocturna've vt quem obcantarent, interficerent, obligarent, fecerint, facienda've curauerint: aut cruci suffiguntur, aut bestiis obiiciuntur.

Ex S. C. pœna legis Corneliæ tenetur, qui mala sacrificia fecerit. l. ex S. C. D. ad leg. Cor. de sic. puta vt quem incantaret, interficeret, obnecteret.

E Qui hominem immolauerint, ex eius've sanguine litauerint, phanum templúmve polluerint, bestiis obiiciuntur, vel si honestiores sint, capite puniuntur.

Eadem lege tenentur qui hominem pro victima immolant, vel humano sanguine litant.

Magicæ artis conscios summo supplicio affici placuit, id est, bestiis obiici, aut cruci suffigi: Ipsi autem magi viui exuruntur.

Eadem lege tenentur qui magiam exercent, & qui eius artis periti sunt: quia non tantùm eius artis professio, sed etiam scientia prohibita est. Sed grauius ipsi magi puniuntur, quàm magicæ artis

F conscij. De his in tit. de malef. & mathem. C.

Libros magicæ artis apud se neminem habere licet: & si penes quoscumque reperti sint, bonis ademptis ambustisq; his publicè in insulam deportantur: humiliores capite puniuntur.

Quod supra dixit de libris vaticiniis, idem nunc ait de libris magicis. Sunt enim publicè comburendi. l. ceteræ. §. 1. D. fam. ercis. Liuius lib. XXIX. Quotiens negotium est magistratibus datum, vt vaticinios libros conquirerent, comburerentq;. Et qui libros magicos habuerit, vel in insulam de-

G portatur, vel capite punitur.

Si ex eo medicamine quod ad salutem hominis, vel ad remedium datum erat, homo perierit: is, qui dederit, si honestior fuerit, in insulam deportatur, humilior autem capite punitur.

s Punit

Punitur medicus qui medicamentum dedit, ſi ex eo æger perierit.l.illicitas.§.ſicuti.D.de offic. præſ.quamuis hic caſus propriè ad legem Corneliam non pertinet,quia ſanandi, non necandi animo dedit. A

Ad legem Pompeiam de parricidijs. TIT. XXIIII.

Lege Pompeia de parricidiis tenetur, qui patrem, matrem, auum, auiam,fratrem,ſororem, patronum, patronam occiderit. Hi etſi antea inſuti culleo in mare præcipitabantur,hodie tamen viui exuruntur,vel ad beſtias dantur. B

Fuit de parricidio primum lex Cornelia. l.vlt.C.Th.ad leg. Cor. de fal.l.2.§.deinde Corn. D. de orig.iur. Deinde Pompeia, qua tenentur non tantùm qui parentes aut liberos, ſed & qui fratrem, ſororem,reliquos qui ſunt ex tranſuerſo,vel coniugem vel patronum occiderint. Itaque P.Horatiũ occiſa ſorore, rectè Sex. Pompeius ait accuſatum parricidij apud Duumuiros fuiſſe in verbo Sororium tigillum:& Liuius malè id perduellionem appellat. Eadem verò eſt legis Corneliæ de ſicariis, & legis Pompeiæ pœna.l.1.D.de leg.Pomp.de par.Verùm more maiorum qui parentes occiderunt, culleo inſuti in mare abiiciuntur.l.pen.D.eod.qui mos inualuit ante legem Corneliã,&Pompeiam: ac primùm omnium, vt Liuius ſcribit lib. XLVIII. Publicius Malleolus matre interempta inſutus culleo in mare præcipitatus eſt. C Valerius lib.1.id ſupplicij genus parricidis lege irrogatum ait. Mos enim pro lege eſt. Ait autem non multo poſt Tarquinium regem, qui eodem ſupplicio quendam affecerat ob communicatum de ſacris myſteriis librum, irrogatũ fuiſſe:quod pugnat cum eo quod paulò antè ex Liuio retulimus. Sed tollenda eſt negatio ex illo Valerij loco:auctor eſt codex manuſcriptus Bibliothecæ S.Victoris,auctores ſunt & alij veteres,quos ſe Glareanus vidiſſe teſtatur.Ceterùm hæc more maiorum introducta pœna in vſu eſſe deſiit,& cœperunt,vt Paulus ſcribit, parricidæ aut beſtiis obiici, aut viui comburi. Poſtea reducta eſt à Conſtantino.l.1.C.de his qui par.vel lib.occid.

Ad legem Corneliam teſtamentariam. TIT. XXV. D

Lege Cornelia teſtamentaria tenetur,qui teſtamentum,quódve aliud inſtrumentum ſciens dolo malo recitauerit, ſubiecerit, ſuppreſſerit,amouerit,reſignauerit,deleuerit, quódve ſignum adulterinum ſculpſerit,fecerit,expreſſerit,amouerit, reſerauerit: quíve nummos aureos,argenteos adulterauerit, lauerit,conflauerit, raſerit, corruperit, vitiauerit,vultúve principum ſignatam monetam præter adulterinam reprobauerit. E Et honeſtiores quidem in inſulam deportantur,humiliores autem aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur. Serui autem poſt admiſſum manumiſſi capite puniuntur.

Quæ dicitur lex Cornelia de falſis,lata eſt de teſtamentis.l.1.D.de pub.iud.atq; ideo multis in locis teſtamentaria appellatur. Hac lege tenentur falſorum teſtamentorum ſubiectores, recitatores, teſtamentarij,ſignatores,qui vera teſtamenta amouent,celant,aperiunt,reſignant,delẽt,vt lib.IIII. diximus tit.7. Item qui ſignum adulterinum faciunt,ſculpunt,exprimunt, qui verum amouent, aut iam impreſſum reſerant. l. lex Cornelia teſtamentaria.D.de leg.Cor.de fal.§.item lex Cornelia de falſis.de pub.iudic. F Sed ſolent etiam qui extra teſtamenta, in aliis rationibus vel inſtrumentis quid eorum fecerint quæ ſuperius comprehenſa ſunt, perinde atq; teſtamentorum falſarij coërceri.l.1.§. qui in rationibus.l.9.§.1.l.inſtrumentorum.§.1.D.de leg.Cor.de fal.Falſum eſt de teſtamẽtis: Quaſi falſum,de ceteris inſtrumentis, vel cauſis quæ ex conſtitutionibus, aut S. C. ad legem Corneliam teſtamentariam rediguntur.l.1.§.vlt.D.eod.Fuit & lex Cornelia nummaria.M.Tullius 3.Verr.Cornelia teſtamentaria,nummaria,ceteræ complures.Hac lege tenentur qui nummos adulterant,tingunt,fingunt,circumcidunt,radunt, qui adulterinos flant,ferunt.l.8.& 9.D.eod. Addit Paulus eos, qui probos nummos vultu principũ ſignatos reprobant:quod valde pertinet ad l.1.C. de vet.num. pot.vtriuſq; legis pœna fuit primùm aquæ & ignis interdictio, ſiue deportatio, & omnium bonorum publicatio: in ſeruis vltimum ſupplicium, etiam ſi poſt admiſſum liberi facti eſſent.l.1.§.vlt.D. G de leg.Cor.de fal.Hodie liberi qui humiliores ſunt,aut cruci ſuffiguntur,aut in metallum damnantur.Iulius Firmicus lib. VI. matheſeos: Facient in falſi crimine comprehenſos in crucem tolli. Vel etiam,vt quæ ſequuntur ſententiæ demonſtrant,ad beſtias dantur,aut capite puniuntur.

Qui ob falſum teſtimonium perhibendum, vel verum non perhi-

bend

A bendum pecuniam acceperit, dederit, iudicémve vt ſententiam ferat, vel non ferat corruperit, corrumpendúmve curauerit, humiliores capite puniuntur, honeſtiores publicatis bonis cum ipſo iudice in inſulam deportantur.

Legis Corneliæ pœna afficitur qui ob teſtimonium dicendum, vel non dicendum pecuniam acceperit, dederit, & qui iudicem corruperit, corrumpendúmve curauerit, & qui ſe corrumpi ſiuerit. l. 1. §. 1. D. de leg. Cor. de fal.

B Iudex qui contra ſacras principum conſtitutiones, contráve ius publicum quod apud ſe recitatum eſt, pronuntiat, in inſulam deportatur.

Iudex qui conſtitutiones apud ſe à litigatoribus recitatas negligit, in inſulam deportatur: eſt enim ex honeſtioribus. d. l. 1. §. 1.

Qui rationes, acta, libellos, album propoſitum, teſtationes, cautiones, chirographa, epiſtolas ſciens dolo malo in fraudem alicuius deleuerit mutauerit, ſubiecerit, ſubſcripſerit, qui've æs inaurauerit, argentauerit, qui've cùm argentum vel aurum poneret, æs, ſtannúmve ſubiecerit, falſi pœna coërcetur.

C

Lex Cornelia, vt ſuprà diximus, ad teſtamenta pertinet: ſed porrigitur etiam ad rationes, acta, libellos, album, teſtationes, cautiones, chirographa, epiſtolas: Itemque ad eos, qui æs inaurauerint, inargentauerint, vel qui in dando auro, vel argento æs ſubiecerint. quod veriſimile eſt Paulum ex aliqua conſtitutione ſumpſiſſe. Æris pro auro ſubiectores ſtellionatus crimine teneri Vlpianus ait. l. 1. in fin. l. ſi quis in pignore. D. de pign. act. Quòd ſi ea conſtitutio tum edita, vel non ignorata ab Vlpiano fuiſſet, non ſcripſiſſet, quia ſtellionatus crimen ſubſidiarium eſt. Hanc verò ſententiam vt erat in veter. libris propoſui: eſt enim longè aliter in impreſsis.

D Ampliſſimus ordo decreuit eas tabulas, quæ publici vel priuati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari, vt in ſumma marginis ad mediam partem perforatæ, triplici lino conſtringantur, atque impoſitum ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, vt exteriores ſcripturæ fidem interiori ſeruent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.

E S. C. de quo hîc agitur factum fuit Neronis temporibus. Suetonius in Nerone. Aduerſus falſarios tunc primùm repertũ ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina traiecto obſignarentur.

Qui viui teſtamentum aperuerit, recitauerit, reſignauerit, pœna legis Corneliæ tenetur: & plerumque aut humiliores in metallum damnantur, aut honeſtiores in inſulam deportantur.

Lege Cornelia tenetur is, qui viui teſtamentũ aperuerit, recitauerit, reſignauerit, l. 1. §. is qui aperuerit. D. de leg. Cor. de fal. Extat hæc ſententia in l. ſi quis aliquid. §. qui viui. D. de pœn.

F Si quis inſtrumenta litis ſuæ à procuratore ſuo, vel cognitore aduerſario prodita eſſe conuicerit, tam procurator, quàm cognitor, ſi humiliores ſunt, in metallum damnantur: ſi honeſtiores adempta dimidia parte bonorum in perpetuum relegantur.

Procurator, aut cognitor qui litis inſtrumenta aduerſæ parti prodiderit: aut in metallum damnatur, aut in inſulam relegatur. Extat in d. l. ſi quis aliquid. §. ſi quis inſtrumentum.

Inſtrumenta penes ſe depoſita quicumque alteri altero abſente reddiderit, vel aduerſario prodiderit, pro perſonæ eius condicione, aut in metallum damnatur, aut in inſulam relegatur.

G

Depoſitarius qui inſtrumenta penes ſe à duobus depoſita alteri ſine altero reddiderit, vt ancillæ cuidam accidit aliquando, quam defendit Demoſthenes, vel qui ea aduerſæ parti prodiderit, ſi ho-

 neſtior

nestior sit, in metallum damnatur, si humilior, in insulam relegatur. In Pandectis legitur, *deportatur*, l. si quis aliquid. §. instrumenta. D. de pœn. quod ex hoc loco emendandum censeo. Cur enim mitius puniatur procurator quàm depositarius? Sic contraria ratione malim nunc in l. 4. C. in quib. cau. tut. hab. legere, *deportati*, quàm vt in notis Institutionum religione corrigendi nimia, *relegati*, interpretari *deportati*: & in l. vlt. D. quæ res pig. obl. poss. *deportatur*, pro *relegatur* ex prima huius libri sententia. Grauius enim est crimen hominis liberi pignori accepti, quàm vt sufficiat relegatio, nisi pœnam pro suo arbitrio Tribonianum mitigasse dicamus. A

Qui falsis instrumentis, actis, epistolis, rescriptis, sciens dolo malo vsus fuerit, pœna falsi coërcetur: ideoq; humiliores in metallũ damnantur, honestiores in insulam deportantur. B

Legis Corneliæ pœna afficitur qui sciens falsis instrumentis, actis, epistolis, vel rescriptis vtitur, licet ipse falsum non fecerit. l. 2. C. de fid. instr. l. 3. C. si reus vel accus. Ambrosius lib. III. offic. cap. 2. De eo quid loquar, qui ex eo testamento, quod ab aliis licet factum, falsum tamen cognouerit, hereditatem sibi, aut legatum vindicet, & lucrum quærat alieno crimine, cùm etiam leges publicæ eum, qui sciens falso vtitur tamquam reum adstringat facinoris.

Si qui sibi falsum nomen imposuerit, genus, parentésve finxerit, quo quid alienum interceperit, possederit, pœna legis Corneliæ de falsis coërcetur. C

Eadem pœna coërcetur qui falsum nomen sibi vel cognomen assumit, & se alienis familiis inserit, genus parentes've fingendo quò quid intercipiat, possideat've. l. falsi. D. de leg. Corn. de fal. Liberi igitur aut deportandi, aut in metallum dandi, serui vltimo supplicio afficiendi sunt. Extra ordinem verò aliter puniuntur: vt seruus ille quasi Fabiæ esset filius ex Ceionij Commodi filia Palatina domo vindicata, iubente Pertinace flagellis cæsus domino redditus est, teste Capitolino. Et quidam alius qui iussu Augusti, quòd se Octauiæ sororis vtero genitum simularet, remo publicæ triremis affixus est, teste Valerio: quod genus pœnæ hodie frequentissimum est, neq; id me alibi memini legere, præterquam in Suda, cuius hæc sunt verba: εἰ μέντοι μετοίκιον μὴ τιθέντες μέτοικοι ἀπήγοντο πρὸς τοὺς πολίτας, καὶ εἰ ἑαλώκοντο ἐπιπράσκοντο, ἐνεβίβαζον δὲ εἰς τὰς ναῦς τοὺς μετοίκους. & Iosepho lib. XVII. D

Qui insignibus altioris ordinis vtuntur militiamq; confingunt, quò quem terreant, vel concutiant, humiliores capite puniuntur, honestiores in insulam deportantur.

Qui se pro milite gessit, aut pro prætore vsurpatis illicitis insignibus, quò quid eiusmodi terrore auferret, falsi pœna coërcetur, aut maiestatis. l. eos qui. §. vlt. D. de leg. Cor. de fal. l. 3. D. ad leg. Iul. maiest. Sentius Saturninus vsurpauit quidem Præturæ insignia, vt proscriptionem effugeret, Valerio auctore, sed quia expediendæ tantùm salutis causa, non quò quid ab inuitis exprimeret fecit, extra omne crimen est. E

Si qui de iudicis amicitiis, vel familiaritate mentientes euentus sententiarum eius vendunt, quid've obtentu nominis eius agunt, conuicti pro modo delicti aut relegantur, aut capite puniuntur.

Qui sunt iudicibus amici vel familiares, & per eam causam fucosas suffragationes, vel intercessiones, atque euentus sententiarum vendunt, aut relegantur, aut capite puniuntur. De his in l. qui explicandi. C. de accus. & Sidonius Apollin. lib. V. Hi, inquit, sunt qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, iudicanda dictant. F

Ad legem Iuliam de vi publica & priuata. TIT. XXVI.

LEge Iulia de vi publica damnatur, qui aliqua potestate præditus ciuem Romanum antea ad populum, nunc ad Imperatorem appellantem necarit, necarive iusserit, torserit, verberauerit, condemnauerit, in publica vincula duci iusserit: Cuius rei pœna humiliores capitis, honestiores insulæ deportatione coërcentur. G

Lege Iulia de vi publica tenetur magistratus, qui ciuem Romanum aduersus prouocationem necauerit, torserit, verberauerit, condemnauerit, in vincula coniecerit. l. 7. D. ad leg. Iul. de vi pub. Quæ res Valeriis legibus antea ter sancita fuerat. Et ita l. 8. D. ad leg. Iul. de vi public. accipienda quoq

A quoq; eſt de magiſtratu, qui reum prouocantem vinciat, impediátve, quominus Romæ intra conſtitutum tempus adſit. Prouocatio à magiſtratu olim ad Populum fiebat, nunc ad Imperatorem, quoniam Imperator vicem populi gerit. Similiter arrogatio olim apud Populum, nunc apud Imperatorem: Populus magiſtratus creabat, nunc Imperator: Fiſcus erat populi, nunc Imperatoris. Pœna autem legis Iuliæ de vi publica eſt interdictio aquæ & ignis, ſiue deportatio. l. qui dolo. §. vlt. D. ad leg. Iul. de vi pub. §. item lex Iulia de vi. de pub. iudic. Cic. 1. Philip. Quid quod rogatur his legibus Cæſaris, quæ iubent ei qui de vi damnatus ſit, aqua & igni interdici? in humiliores tamen recepta eſt capitis pœna: & in omnes ex certis cauſis. l. 5. §. vlt. l. pen. D. ad leg. Iul. de vi pub.

Hac lege excipiuntur, qui artem ludicram faciunt. Iudicati etiam &
B confeſſi, & qui ideo in carcerem duci iubentur, quòd ius dicenti non obtemperauerint, quid've cõtra diſciplinam publicam fecerint. Tribuni etiam militum & præfecti claſſium, alarúmve: vt ſine aliquo impedimento legis Iuliæ per eos militare delictum coërceri poſſit.

A ſuperiori lege excipiuntur qui artem ludicram faciunt: hi enim prouocandi ius non habent. Item iudicati & confeſsi vt ĩ. tit. de red. cau. appel. Item qui ideo ducuntur in carcerem quòd nolint ius dicenti obtemperare: quod iure fieri oſtendit l. iniuriarum. 1. §. ſi quis quod. D. de iniur. Item qui quid contra diſciplinam publicam faciunt, vt ſeditionum auctores, factionum duces. l. conſtitutio-
C nes. D. de appell. Non eſt etiam prouocatio à Tribunis militum, præfectis claſsium vel alarum, quibus militaris criminis coërcitio data eſt ſine prouocatione.

Lege Iulia de vi priuata tenetur, qui quem armatis hominibus poſſeſſione, domo, villa, agro've deiecerit, expugnauerit, obſederit, cluſerit, id've vt fieret homines cõmodauerit, locauerit, conduxerit, qui've cœtu, concurſu, turba, ſeditione incendium fecerit, funerari ſepeliri've aliquem prohibuerit, funúsve eripuerit, turbauerit: Et qui eum, cui aqua
D & igni interdictum eſt, receperit, celauerit, tenuerit. Qui've cum telo in publico fuerit: templa, portas, aliúdve quid publicum armatis obſederit, cinxerit, clauſerit, occupauerit. Quibus omnibus conuictis, ſi honeſtiores ſint, tertia pars bonorum eripitur, & in inſulam relegantur, humiliores in metallum damnantur.

In editione Baſilienſi legitur, *Lege Iulia de vi publica & priuata*, rectius Pariſienſis, *lege Iulia de vi priuata*, quam lectionem & veterum librorum auctoritas, & quæ horum criminum reis hoc loco ſubiicitur pœna confirmat. Venit ea namque ex lege Iulia priuatorum, non ex Iulia publi-
E corum: cùm publicorum pœna ſit aquæ & ignis interdictio, priuatorum tertiæ partis bonorum publicatio. l. 1. l. vltim. D. ad leg. Iul. de vi priu. l. hos accuſare. §. omnibus. D. de accuſ. &, vt ex hoc loco, & l. quoniam. C. ad leg. Iul. de vi pub. colligitur, relegatio. Ergo lege Iulia de vi priuata tenetur, qui quem armatis hominibus poſſeſsione, domo, agro, villa deiecerit, expugnauerit, obſederit, incluſerit, vel vt id fieret homines commodauerit, qui cœtu, concurſu (ſic hunc locum emendaui ex l. 5. D. ad leg. Iul. de vi pub.) incendium fecerit, qui funus diripuerit, diſtraxerit, ſepeliri prohibuerit: qui cum telo in foro, concione, comitio fuerit, qui templa, portas've vrbis armatis obſederit, tenuerit, occupauerit. Hi omnes, vt Paulus ait, pœna legis Iuliæ priuatorum coërcentur. Sed alij pœnam Iuliæ publicorum ſtatuunt. l. 3. 4. 5. 10. D. ad leg. Iul. de vi pub. & generaliter vim armatam vim publicam definiunt. Ita hæc Pauli ſententia ſubruitur: niſi dicamus legem Iuliam de vi publica
F ſimilem omnino fuiſſe Valeriis, & vt in huius tituli principio Paulus noſter expoſuit pœnam initio ſanxiſſe tantùm aduerſus publicarum perſonarum, id eſt, magiſtratuum in ciues Romanos immoderatam vim. Lege autem Iulia de vi priuata pœnam eſſe ſancitam aduerſus priuatorum vim. Et ſanè ſicut eodem interdicto vis facta conuocatis armatiſque hominibus comprehenditur, vt s̃. tit. 6. oſtendimus, cur ſicut vis facta conuocatis hominibus legi Iuliæ de vi priuata ſubiicitur. l. 2. 4. 5. D. ad leg. Iul. de vi priu. non ſubiicietur etiam ea quæ armatis hominibus infertur? Verùm fuit ſæpe vel conſtitutionibus, vel Senatuſconſultis legibus Iuliis derogatum, obrogatum, ſubrogatum: nec vlla ferè lex publicorum iudiciorum ſyncera remãſit: ſed retento ſolo legis nomine, ei .ptata ſunt quæcumque poſtea aliæ vel leges, vel conſtitutiones inuexerant. Sic factum eſt, vt omnis vis armata ad
G pœnam legis Iuliæ publicorum redigeretur. Conſequens verò eſt, vt ea quoque ad legem Iuliam publicorum redigatur, quæ fit conuocatis hominibus ſine armis: quandoquidem hæc, vt diximus, quaſi paria coniungi ſolent, conuocatis, armatis've hominibus. Si quis igitur vim fecerit conuocatis hominibus, ei vtriuſque legis crimen obiici poteſt: quod fieri quandoque ex eodem facto oſtendit l. ſi præſes. D. de pœn. Atque ideo in Pandectis hæc verba, *Hac lege tenetur, qui conuocatis hominibus vim fecerit, quò quis verberetur, pulſetur, neq; homo occiſus ſit.* tam ſub titulo De vi publica, quàm ſub eo

qui est De vi priuata, reperiuntur. Illud notandum est, quod hîc Paulus ait, lege Iulia illum etiam teneri, qui eum cui aqua & igni interdictum est, receperit, celauerit, tenuerit: interdicitur enim & aqua simul & igni, & tecto. Cic. pro domo sua. Id non ademptione, inquit, ciuitatis, sed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant. A

Creditor chirographarius, si sine iussu præsidis per vim debitoris sui pignora cùm non habuerit obligata acceperit, in legem Iuliam de vi priuata committit. Fiduciam verò & pignora apud se deposita persequi & sine auctoritate iudicis vindicare non prohibetur. B

Creditor aut chirographarius est, aut pigneraticius. Chirographarius si bona debitoris sine iudicis auctoritate occupauerit, incidit in pœnam legis Iuliæ priuatorum. §. lib. 2. tit. 14. l. in possessionem. C. ad leg. Iul. de vi pub. l. vlt. D. ad leg. Iul. de vi priu. ex decreto D. Marci, vt Iustinianus tradit in Nou. 60. Pigneraticius si fiduciam siue pignora sine iudice abstulerit, & occupauerit, non incidit in legem Iuliam. l. 3. C. de pig. Dico fiduciam & pignora: nam hypothecas si per vim auferat, credo eum teneri lege Iulia. l. 3. C. vi bon. rapt.

De lege Iulia Peculatus. TIT. XXVII.

SI quis fiscalem pecuniam attrectauerit, subripuerit, mutauerit, seu in suos vsus conuerterit, in quadruplum eius pecuniæ, quam sustulit, condemnatur. C

Peculatus est furtum pecuniæ publicæ vel fiscalis. Huius legis pœna primùm fuit litis æstimatio in quadruplum. l. pen. D. eod. tit. l. 1. C. eod. tum deportatio, deinde vltimum supplicium.

Ad legem Iuliam Repetundarum. TIT. XXVIII.

IVdices pedanei si pecunia corrupti dicantur, plerumque à præside aut curia submouentur, aut in exilium mittuntur, aut ad tempus relegantur. D

Hac lege damnantur magistratus, aut iudices pedanei, aut officiales qui pecunias à priuatis extorserunt. Damnati pecuniam in quadruplum plerumque reddunt his à quibus acceperunt. l. 1. C. eod. tit. & hoc amplius extra ordinem puniuntur, vel exilio, vt & olim obtinuisse Asconius significat in 2. Ver. vel relegatione, vel ordinis amotione, vel duriori pœna. l. 7. §. vlt. D. eod. tit. Extat hæc sententia in l. si quis aliquid. §. iudices. D. de pœn. Rectè autem Anianus hoc loco pedaneos interpretatur iudices delegatos, qui ideo pedanei dicuntur, quòd non sint à tribunalibus, vel sellis curulibus, sed ab inferioribus subselliis. E

Ad legem Iuliam Maiestatis. TIT. XXIX.

LEge Iulia maiestatis tenetur is, cuius ope consilio aduersus Imperatorem vel Remp. arma mota sunt, exercitúsve eius in insidias deductus est: qui've iniussu Imperatoris bellum gesserit, delectúmve habuerit, exercitum comparauerit, sollicitauerit, deseruerit Imperatorẽ. F
His antea in perpetuum igni & aqua interdicebatur, nunc verò humiliores bestiis obiiciuntur, vel viui exuruntur: honestiores capite puniũtur. Quod crimen non solùm facto, sed & verbis impiis maximè exacerbatur.

Hac lege damnatis aqua & igni interdicebatur, vt & Cicero scribit Philip. 1. Hodie si humiliores sint, aut comburuntur, aut bestiis obiiciuntur: honestiores capite puniuntur. Est autem iudicium de maiestate duplex, Perduellionis, & maiestatis. l. vltim. D. ad leg. Iul. ma. Rursus aut de facto aliquo est, aut de maledicto: nec enim facto tantùm hoc crimen, sed etiam verbis impiis, & maledictis maximè exacerbatur, vt Paulus ait: idemque prorsus, vt opinor, Modestinus scripserat in l. 7. §. vltim. D. ad leg. Iul. maiest. Sed quia ex maledicto non contrahi crimen maiestatis postea constitutum est, constitutioq; relata in Codicem Iustiniani. l. 1. C. si quis Imp. mal. ideo Modestini verba sic G

Tribon

A Tribonianus immutauit, *Crimen maiestatis, facto, vel violatis statuis vel imaginibus maximè exacerbatur.* Haud tamen peritè, cùm factum satis violatas statuas comprehenderet. Illa etiam quæ addita sunt verba, *in milites*, non recipio.

In reum maiestatis inquiri prius cõuenit, quibus opibus, qua factione, quibus hoc auctoribus fecerit. Tanti enim criminis reus non obtentu adulationis alicuius, sed ipsius admissi causa puniẽdus est. Et ideo cùm de eo quæritur, nulla dignitas à tormentis excipitur.

B Diligenter inquirendum est de obiecto crimine maiestatis, nec nisi re vera quis contra maiestatem aliquid admiserit, arripienda est quæuis occasio eiusmodi ad adulandum principem. l. famosi. §. hoc tamen. D. ad leg. Iul. maiest. Adeo autem graue est hoc crimen, vt cùm de eo quæritur, nulla dignitas à tormẽtis excipiatur. l. 3. & 4. C. eod. Ammianus Marcel. lib. XIX. Vbi maiestas pulsata defenditur, à quæstionibus vel cruentis nullam Corneliæ leges exemêre fortunam. Ait Corneliæ leges, quoniam & de maiestate leges tulit Cornelius Sulla, sicut de parricidio, falso, sicariis, veneficis, iniuriis, repetundis.

Ad legem Iuliam ambitus. TIT. XXX.

C PEtiturus magistratum, vel prouinciæ sacerdotium, si turbam suffragiorum causa conduxerit, conuictus, vt vis publicæ reus, in insulam deportatur.

Lege Iulia ambitus tenebãtur, qui populi Rom. suffragia coẽmebant. Quæ lex hodie cessat, quoniam nulla habentur comitia, omni belli & pacis iure in principem collato. Sed ad instar legis Iuliæ ex S.C. tenetur is, qui in municipiis Duumuiratum, vel sacerdotium, vt puta Alytarchiam, corruptis decurionum suffragiis, petit. l. 1. D. de leg. Iul. amb. Qui si & in eam rem multitudinem conuocauerit, etiam lege Iulia de vi publica tenebitur, vt hîc Paulus tradit.

D

De pœnis militum. TIT. XXXI.

SI pecunia accepta miles custodiam dimiserit, capite puniendus est. Et certè quæritur cuius criminis reus dimissus esse videatur.

Plerumque rei à militibus custodiuntur. Hi verò si custodias, id est, reos pecunia accepta dimiserint, capite puniuntur, aut, vt adiicitur in l. vlt. D. de cust. reor. in extremũ militiæ gradum, vt puta in funditorum auxilia transcribũtur, pro modo scilicet delicti, cuius ij qui dimisśi sunt, rei delati erant.

Qui custodiam militi prosequenti magna manu excusserint, capite E puniuntur.

Custodiæ plerumque sub prosecutione militum ad congruum iudicem remittuntur: has si qui prosecutoribus excusserint manu facta, capite puniuntur.

Quando appellandum sit. TIT. XXXII.

QVotiens iusiurandum postulatur, eo tempore appellandum est, quo defertur, non quo iuratur.

F Post iusiurandum in litem secuta sententia appellari potest. l. vlt. §. 1. D. de appel. Idemq; est in omni iureiurando iudiciali, id est, quod ex sola auctoritate iudicis venit. Res enim iudicari potius, quàm iureiurando transigi videtur. At post iusiurandum quod ego quidem appello necessarium, id est, quod in iudicio defertur ab aduersario, appellari nõ potest, quia & id, sicut voluntarium ex conuentione proficiscitur. l. qui iurasse. §. vlt. l. & si seruus. l. vlt. D. de iureiur. nec sequi sentẽtia solet. Post delatum autem ab aduersario iusiurandum, si sententia definitiua iudex eum, cui delatum est iusiurandum, iurare iusserit, & secundum eum se litem dare pronuntiauerit: verbi gratia si pecuniam is sibi deberi iurauerit, appellatio interponi potest: quod aliqua ex parte Iustinianus corrigit in l. generaliter. C. de reb. cred.

G

De cautionibus, & pœnis appellationum. TIT. XXXIII.

NE liberum quis & solutum haberet arbitrium retractandæ, & reuocandæ sententiæ, & pœnæ, & tempora appellatoribus præstituta

tuta sunt. Et nisi iustè appellauerint, tempora ad cauendum in pœna appellationis præstituta sunt. Igitur morans eo in loco vbi appellauit, cauere debet, vt ex die acceptarum litterarum continui quinque dies computētur. Si verò longius, salua dinumeratione integri quinque dies cum eo ipso quo litteras acceperit, computantur. A

Appellatione interposita, intra diem quintum petendi & accipiendi sunt apostoli, vt j. tit. prox. dicemus. Rursus ex die acceptorum apostolorum, intra diem quintum præsens, ni iustè appellauerit, sponsionem facere, & de certa pœna rectè cauere debet. Absens quoq; intra eum diem cauere debet cùm superuenerit. Itineri autem faciendo in vicena millia passuum dantur ei dies singuli. Sed hoc cautionis genus hodie sublatum est. l. eos. §. vlt. C. de appel. Anianus, & Gratianus errant, dum hanc sententiam accipiunt, de die intra quem interponenda appellatio est. Interponenda enim est intra biduum, aut triduum. B

Ne quis in captionē verborum in cauendo incidat, expeditissimum est pœnam ipsam, vel quid aliud pro ea deponere. Necesse enim non habet sponsorem quis vel fideiussorem dare, aut præsentem esse. Sed si contra eum fuerit pronuntiatum, perdit quod deposuit. C

Hæc cautio personas non desiderat pro se interuenientium. Potest enim quis in vicem cautionis, pecuniæ, vel pignorum depositione fungi: idq; expeditius est. Nec tamen æquè receptum est in prętoriis stipulationibus. l. 7. D. de præt. stip. Ipse etiam repromittere necesse non habet: Illa enim depositio sufficit, quæ victo appellatore, non vt sacramentum olim ad ærarium redibit, sed quemadmodum proxima sententia indicat, indemnitati aduersarij per eum consuletur.

Quotiens in pœna appellationis cauetur, tam vnus, quam plures fideiussores, si idonei sunt, dari possunt. Sufficit enim etiam per vnum idoneum indemnitati pœna consuli. D

Hæc appellationis cautio vno fideiussore contenta est, modo si idoneus sit quod & in omnibus satisdationibus admittendum reor.

Si plures appellant, vna cautio sufficit, & si vnus caueat, omnibus vincit.

In communi causa vnus libellus, vna appellatio, vna cautio sufficit: & hanc, si vnus præstiterit, omnibus vincit, & vincitur. Immò & plerumq; si vnus tantū appellauerit, omnibus vincit, licet non omnes videantur appellasse. l. 3. l. si qui separatim. §. vlt. D. de appellat.

Cùm à pluribus sententiis prouocatur, singulæ cautiones exigendæ sunt, & de singulis pœnis spondendum est. E

Si in vna causa duplex sentētia feratur, duplex appellatio necessaria est. l. cùm in vna. D. de appel. Ergo & duplex cautio. Sed, vt initio admonuimus, hæc cautio sublata est.

Modus pœnæ, in qua quis cauere debet, specialiter in cautione exprimendus est, vt sciat in qua stipulatio committatur. Aliter enim rectè cauisse non videtur.

Si omissa depositione, de qua superius actum est, appellator malit cauere, in cautione certam summam debet comprehendere. Quod & in stipulationibus prætoriis, quæ quanti ea res est promissionem habent, expeditius est. l. vlt. D. de præt. stip. F

Assertor si prouocet, in eiusmodi tertiam cauere debet, quanti causa æstimata est.

Thalelæus notat in tit. de assert. tol. assertorem olim obnoxium fuisse dandæ pro seruo cautionis. Certè si appellauerit, auctore Paulo, in eius quantitatis tertiam pro seruo cauere debet, quanti lis æstimata est. De assertore diximus in huius libri tit. 1.

G

De dimissoriis litteris. TIT. XXXIIII.

AB eo à quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, litteræ dimissoriæ diriguntur, quæ vulgo Apostoli appellantur

A pellantur: quorum postulatio, & acceptio intra quintum diem ex officio facienda est.

Dimissoriæ litteræ sunt, per quas is à quo appellatum est, causam ad eum, qui appellatus est, transmittat, quæ vulgò Apostoli dicuntur. l. Lucius. D. de iur. fisc. l. 1. D. de libel. dimiss. Petebantur, accipiebantur, & reddebantur intra diem quintum ex interposita appellatione. Sed ex constitutione Imperatorum, etiam non petente appellatore, sine aliqua dilatione à iudice dantur. l. eos. §. vlt. C. de appel.

Qui intra tempora præstituta dimissorias non postulauerit, vel acceperit vel reddiderit, præscriptione ab agendo submouetur. B

Qui intra constitutum diem Apostolos non petiit, accepit, reddidit, repellitur præscriptione. Et hæc causa est, cur in libro singulari de præscriptionibus Modestinus de Apostolis tractauerit. l. dimissoriæ. D. de verb. sign. Credo autem intra quintum diem & petendos, & accipiendos, & reddendos Apostolos fuisse, salua semper absentibus pro ratione itineris dierum dinumeratione. Quamobrem quod in quibusdam libris in extremo huius sententiæ additum est, *Et pœnam appellationis inferre cogitur*, non probo. Nam hanc pœnam is tantùm solet promittere, qui Apostolos accepit, & reddidit, computatis ex die Apostolorum acceptorum & redditorum pœnæ promittendæ quinque diebus.

C

De reddendis causis appellationum. TIT. XXXV.

Meritum appellationis causæ capitalis, & ipsam ratione͂ status non nisi per nosmetipsos prosequi possumus. Nemo enim absens aut duci in seruitutem potest, aut damnari.

Vt causam capitalem reus per procuratorem agere non potest, ita nec appellationem. l. 1. D. an per al. caus. app. red. poss. Idemq; iuris est in causa status, ne quis absens in seruitutem ducatur. Iustinianus tamen in l. 1. C. de assert. tol. ei qui ex libertate in seruitutem vocatur procuratorem dare permittit, non etiam ei qui ex seruitute vocatur in libertatem: atque ita huic Pauli sententiæ derogatum est. D

Moratorias appellationes, & eas quæ ab executoribus & confessis fiunt, recipi non placuit.

Moratoria siue frustratoria appellatio nõ recipitur, qualis est ea quam manifesti, confessi, & conuicti interponunt. Reo enim confitente certa res est, certa lex. A lege autem certa non potest appellari: & hoc est quod dicitur, à pœna non appellari. l. si qua pœna. D. de verb. signific. ordinaria scilicet. Hodie quia pœnæ omnes extraordinariæ sunt, etiam confessi à pœna si appellauerint, audientur. Item moratoria est appellatio quæ ideo interponitur, ne pignus distrahatur, vt moratoria cautio. l. vlt. D. de appel. rec. l. cùm possessor. D. de censib. vel ne causa restitutionis agatur. l. intra. D. de minorib. Ab executione quoque sera aut moratoria est appellatio, ideoq; non recipitur. l. ab executione. C. quor. appel. non recip. E

Eum qui appellat cum conuitio ipsius iudicis appellare non oportet: ideoq; quod ita factum est, arbitrio principis vindicatur.

Is qui cum conuitio à iudice prouocat principem, arbitrio principis coërcetur. Diximus de hac re s. tit. De iniur.

F

Post prouocationem quid obseruandum sit. TIT. XXXVI.

Quotiens possessor appellat, fructus medij temporis deponi conuenit. Quòd si petitor prouocet, fructus in causa depositi esse non possunt, nec rectè eorum nomine satisdatio postulatur.

Si possessor condemnatus appellauerit, fructus sequestro deponuntur. l. ab executione. C. quor. appel. non rec. Symmachus in epistolis. Interea constitutionis memor sequestraui mobilia, fructusq; præcepi, ne temporis vsurpatio abutatur indebitis. Petitore condemnato huic fructuum sequestrationi locus esse non potest, nisi populitentur ab aduersario, vt ait l. imperatores. §. vlt. D. de appel. Sed neq; quicquam eorum nomine petitor qui appellauit, cauere debet. G

Si propter prædia vrbana, vel mancipia appelletur, pensiones eorum, vel mercedes, vecturæ etiam, si de naui agatur, deponi solent.

Superior

Superior ſententia eſt de prædiis ruſticis: hæc de vrbanis,& de rebus mobilibus. Omnium autem harum rerum fructus ex conſtitutionibus,poſſeſſore damnato,ſequeſtrantur. A

De meritis appellationum. TIT. XXXVII.

OMnimodo probandum eſt, vt quotiens iniuſta appellatio pronuntiatur,ſumptus, quos, dum ſequeretur aduerſarius,impendit, reddere cogatur,non ſimplos,ſed quadruplos.

Eſt hoc in cauſis appellationum proprium, vt appellator victus ſumptus victori reddat in quadruplum: Quod videtur abrogari. l.3. C.de fruct.& lit.expen. Antea legebatur, *Omnimodo puniendum,* aliàs, *ponendum:* emendaui, *probandum.* B

FINIS INTERPRETATIONVM IACOBI CVIACII IN IVLII PAVLI SENTENTIARVM LIBROS QVINQVE.

IAC. CVIACIVS BARTHOLOMÆO FAYO SENATORI PARISIENSI, S.

*

SCRIPSI *non ita dudum notas in libros Institutionum, & in eos Pandectarum titulos quibus vniuersa vsurpationum & vsucapionum quæstio continetur: Vlpiani etiam fragmenta, Ioan. Tilij viri eruditißimi beneficio luci restituta, libuit, adhibitis quibusdam interpretationibus, quanti essent momenti, demonstrare. Et hæc quidem omnia priusquam è Biturigis in hanc vrbem venirem, typographis excudenda dedi. Statim verò vt visendorum amicorū, certarumq́ rerum gerendarū gratia in hanc vrbem veniendi consiliū cepi, ne nihil non ad superiores libros adderem, quod meā in excolenda iurisprudentia adsiduitatem testificaretur, ex priuatis meis cōmentarijs hunc, quem ad te mittimus, Obseruationum & emendationū librum excerpsi: cui cupiebam & alios complures adiungere, nullam enim (sit hæc laus laboris, non ingenij mei) Iuris ciuilis partem intentatam reliqui: estq́ aliquid in qualibet annotatum à me, quod in obseruationum vel emendationum titulum commodè referri posse videatur, sed ex instituto consilio iter mihi cùm accelerandum esset, hunc dumtaxat librum concinnare ac mecum adferre licuit. Alios ipse, vbi rediero ad Biturigas, confestim efficiam, eosq́ omnes ad te mittam: hac enim veluti fiducia volo me tibi vinctum obstrictumq́ teneri, quem ego vt summum probitatis & eruditionis exemplum, à quo die cognoui, posthac semper admiratus sum. & verò etiam ingratus sim, nisi me multis magnisq́ beneficijs tibi obligatum esse hoc quantulocumq́ officio testificer. Scripsi verò breuiter meo more, neq́ tam πολυλογίαν, quàm πολύνοιαν sum in scribendo consectatus: id quod etiam exemplo tuo feci, qui in eis ingenij tui monumentis, quæ ad V.C. Franc. Connani libros aspersisti, sententiarum pondere locupletem te potius, quàm inanium otiosorumq́ verborum iactatorem ostendisti: ac ea re profecto magnum videndi ea, quæ iam diu in Iure ciuili meditatus es, desiderium studiosis omnibus iniecisti, cui nunquam nisi serò satisfacies. Et hæc, vt opinor, breuiter suam sententiam explicandi ratio placebit omnibus. Ceterùm Emendationum titulus, quem huic libro præfiximus, vereor ne non plerisq́ displiceat: siquidem permulti sunt, quibus est religio ex vulgata scriptura, etiam si manifesta vrgeat ratio, quicquam immutandi. qua tamen in parte plus equidem veritati tribuendum esse duxi, quàm vllius opinioni, ne dicam illorum cæcitati, qui nascentem solem ne intueantur, oculis quodammodo manus obijciunt, maluntq́ tenebras noctis præteritæ subsequi, quàm orientis diei lumine perfrui. Et nihilominus hic liber, si tibi probabitur, Barth. Fay, faciam in ijs, qui sequentur, fauente* DOMINO, *ex purißimis certißimisq́ iuris nostri positionibus, vt & complures alij iuris nostri loci mea opera omni ex parte perpurgentur, & à turpibus mendis vindicentur. Vale, Lutetiæ Parisiorum,* XV. *Kal. Maij.*

IACOBI CVIACII I. C. OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM LIBER I, AD BARTHOLOMÆVM FAYVM SENATOREM PARISIENSEM.

Restituta negatio in l. apud proconsulem. D. de manum. vind. CAPVT I.

MARCIANVS in l. 2. D. de offic. procons. scribit apud legatum proconsulis neminem manumittere posse, quòd scilicet legatus non habeat legis actionem. Paulus verò in l. apud procons. D. de manu. vind. *Apud proconsulem*, inquit, *postquàm vrbem egressus est, vindicta manumittere possumus, sed & apud legatum eius manumittere possumus.* Addidêre quidam hæc verba, *Ex quo prouinciam ingressus est*, vt hanc inter proconsulem & legatum differentiam constituerent, legatum ex eo tempore, proconsulem & ante id tempus, postquàm vrbem egressus est, manumittere posse. Quod ab eis ipse nimis arroganter factum iudico: carent enim auctoritate omnium librorum. Deinde postea quàm ingressus est prouinciam legatus, manumittere eum non posse verius est, omnimodo enim non est apud eum legis actio. l. 3. D. de off. procons. Is verò dumtaxat manumittere potest, qui legis actionem habet, vt de magistratu municipali traditur in l. 4. D. de adopt. l. vlt. C. de vind. lib. & apud Paulum lib. 2. sentent. tit. Quemad. filij sui iur. effic. Nec mandari hęc legato posse crediderim, tum quia lege magistratibus nominatim dantur. l. apud præfectum. D. de man. vindic. tum etiam quia huius generis mandati exemplum nullum extat. Sic igitur ipse l. apud proconsulem, esse restituendam censeo, vt addita negatione ita legamus, *Sed & apud legatum eius manumittere non possumus.* Abest quidem negatio à Florentino libro, cuius quanta sit apud omnes auctoritas non ignoro. sed plus ipse rationi iuris tribuo, quàm vlli scripturæ, qua quidem nulla res est quæ facilius deprauari possit: nec tamen etiam scriptorum librorum auctoritate careo. Iam olim in eis comparandis summam ipse diligentiam adhibui, magnamq; mihi tandem eorum copiam nactus sum, quam studiosis omnibus me adeuntibus libenter communicauero. Duos autem habeo vetustissimos, in quibus claris literis cum negatione ea legis Apud proconsulem, sententia perscripta est.

A B C D

De internecino testamento & actione internecini. CAP. II.

INTERNECINVM testamentum est falsum testamentum, propter quod, vt scilicet ex eo adquiri hereditas possit, dominus occiditur. hinc est accusatio internecini, de qua in l. qui vel internecini. C. Th. de accusat. cuius præmium est bon. possessio, vt apertè Isidorus ex aliquo auctore bono significat his verbis, lib. v. Etymol. Internecini (sic enim lego, non Interneciei) iudicium in cũ dabatur, qui falsum testamentum E

A mentum fecerat,& ob id hominem occiderat,& accusatorem eius bonorum possessio sequebatur. Sext. quoq; Pompeius lib. 9. Internecinũ, inquit, testamentum est, propter quod dominus eius necatus est. Quæ omnia libuit adnotare, vt internecini actionem nostri iuris interpretibus incognitam aperirem,& propemodum sepultam excitarem. Deinde vt ex his etiã lector iudicet, num apud M. Tullium ita legendum sit Philip. 14. Internecina testamenta credo subiiciunt, aut eiiciunt vicinos, aut adolescentulos circumscribunt: præsertim cùm Hieron. Ferrarius earum orationum interpres & castigator acutissimus, in veteribus libris ita se scriptum legisse profiteatur, *Inter nec vno te*
B *testamenta*, vt pro *Inter nec vno*, *Internecina* scribere nõ valde alienum esse videatur, & posit etiam probabiliter aliquis dicere vocẽ *Te* ex proximi verbi primis litteris esse confictam. sed hac de re alij viderint, ipse nihil statuo, eò maxime quòd, vti ea quę præcedunt verba restituenda sint, nondum intelligo.

De veritate lectionis §. sed & personarum. l. cùm hi. D. de transact.

CAPVT III.

C NOTA est Oratio Diui Marci de transactione alimentorum. De hac Vlpianus tractans,& ea quæ in causæ cognitione versantur exquirẽs, id esse spectandum scribit, cuius vitæ sint hi quibus alimenta relicta sunt, vtrum frugi vitæ hi sint, qui aliâs sufficere sibi posint, an sequioris qui de alimentis pendeant. Quod quidam sic emendandum esse arbitrati sunt, *An segnioris* qui de alimentis pendeant, alij quidam *An nequioris*: vocem enim *Sequioris* penitus reiecerunt, eiq; subiectam notionem nullam esse profesi sunt, quibus ipse non assentior. Auctorem habeo Ammia. Marcellinum lib. 18. Vt si Persæ, inquit, frustra habiti redissent ad sua, ducis noui virtuti
D facinus adsignaretur egregium: si fortuna sequior ingruisset, Vrsicinus reus proditor Reipub. deferretur. Et Apuleium lib. 7. de Asino aureo, Sumpta, inquit, veste muliebri florida in sinus floccidos abundante, mitellaq; textili cõtecto capite, calceis femininis albis illis & tenuibus indutus,& in sequiorẽ sexum insertus atq; absconditus. Et lib. 10. Maritum, inquit, habuit, cuius pater peregrè proficiscens, mandauit vxori suæ matri eiusdem iuuenis, quòd sarcina prægnationis oneratam eam relinquebat, vt si sexus sequioris edidisset fœtus, protinus quod esset editũ necaretur: neq; est cur tot loci Apuleij esse corrupti existimentur. Inde etiam deductum est Sequius quo idem Apul. vti-
E tur lib. 11. duobus in locis, & apud Charisium Afranius, Sin id quod non spero, inquit, ratio talis sequius ceciderit.

Emendata & explicata l. imperatores. D. de ser. vrb. præd.

CAP. IIII.

PAPIRIVS Iustus Diuorum fratrum constitutiones xx. libris complexus est,& eorum quidem lib. 1. ex quo sumpta est l. Impp. D. de ser.
F vrb. præd. *Imperatores*, inquit, *Antoninus & Verus Augusti rescripserunt in area quæ nulli seruitutem debet, posse dominũ vel alium eius voluntate ædificare, intermisso legitimo spatio à vicina insula*: vbi de duobus potisimũ quæri atq; dubitari solet. De illo imprimis, quantum à vicina insula spatij interesse oporteat, de quo nihil equidem habeo quod proferre posim, præter id quod Sext. Pompeius scribit, inter vicinorum ædificia ambitum appellari locum duorum pedum & semipedis, ad circumeundi facultatẽ relictum, quod ad hanc rem explicãdam satis esse puto. Igitur inter insulas, id quod Sex. Pompeius ait,
G ex lege antiqua spatium intercedebat: nec enim ita coniunctæ, vti domus, erant ædificiis insulæ. Atqui legimus in l. si finita. §. ex hoc edicto. D. de dam. inf. adiacere insulam domui: quod certè non adiunctam, sed proximè domum insulam esse, ac domo accedere significat. Rursus legimus in l. quidam. D. de ser. vrb. præd. insulę parietẽ communẽ esse cum vicino. Cõiunctæ igitur insulæ, nec propriis parietibus ambiri videntur, sed profecto nihil vetat insulæ adiacentis cõmunem esse parietem, etiam si non sit insula vicino ædificio connexa. Est igitur insula ædificiũ quod proprio ambitu constat.

Deinde quæritur, quid opus fuerit hoc rescribere Imperatores, In suo solo posse dominum ædificare, modò si id solum nulli deberet seruitutem. Quis enim ea de re vnquam dubitauerit? Dicam liberè quod sentio. Semper locus hic mendosus mihi visus est: neq; possum non adnotare quod ex amicis meis quidam non ineruditus, cùm de huius legis sententia inter nos disputaremus, mihi penè persuasit, ita scilicet legendum in l. Impp. *Quæ luminum seruitutem debet.* Et si enim ædificare is non posit, cuius area, Ne luminibus officiatur, seruitutem debet, is tamen qui luminum seruitutem debet, ædificare nõ prohibetur. l. 3. D. de ser. vrb. præd. Et ea quidem præcipuè inter hæc duo seruitutum genera differentia intercedit, quod & si fortasse omnibus non probabitur, non tamen adnotatione indignum omnino esse arbitratus sum. A B

Aliud ex Papirio Iusto rescriptum emendatum. CAP. V.

SVPERIVS caput impellit me ad tollendum aliud mendum è Papirij libro 2. de constitutionibus, ex quo sumpta est l. Imperatores. D. de publican. Imperatores, inquit, Antoninus & Verus rescripserunt in vectigalibus ipsa prædia, non personas cõueniri, & ideo possessores etiam præteriti temporis vectigal soluere debere, eoq; exemplo actionem si ignorauerint habituros. Credo legendum esse *Ex empto*, non *exemplo*: atq; ita libri mei scripti habent. Ideoq; rectè subiicit, *Si ignorauerint*: constat enim scientibus actionem ex empto non dari. Possessores igitur in eo rescripto, id est, emptores. C

Restitutum parientiæ verbum ex veteri lectione in l. 1. C. Qui pro sua iurisd. iud. da. poss. CAP. VI. D

EMENDANDA est l. 1. C. qui pro sua iurisd. iud. da. pos. Cùm enim ita impresi libri habeant, Nec præcepto cognitorem datum patientiam accommodare censemus, pro *Patientiam*, scribendum est *Parientiam*, auctore libro scripto, cuius ipse auxilio complures Iustiniani Codicis locos emendaui, restitutis etiam vbiq; constitutionum inscriptionibus & subscriptionibus. Est enim sanè optimus ac vetustissimus, & ne in eis, qui me illo donarunt, prætereundis ingratus videar, illo me pignore obligatum tenent eruditissimi & honestissimi fratres Petrus & Ioannes Bonefidij Tolosani. Parientiam autem accommodare, est Obtemperare, & ideo statim subsequitur, *& si contra leges obtemperauerit deleganti.* Sic verò etiam Casiodorus locutus est lib. 7. Variarum formularum, Cui, inquit, saluberrimam parientiam commodate. Dixerunt etiam seculi eius auctores eodem sensu, Deuotionem commodare. Credo & in illo Casiodori loco, Atq; ideo patientiam vestram sæpius approbatam, nunc quoque eodem præsente monstrate, lib. 3. Variarũ, pro *Patientiam*, scribendũ esse *Parientiam.* E

Emendatus locus in l. Gaurus. D. de ser. præd. vrb. CAP. VII. F

VALDE meo quidem iudicio corrupta est l. 10. D. de ser. præd. vrb. in illo loco, *Idem dicendum est si alteri ædes, alteri aliarum vsumfructum legauerit.* quod etsi nullius exemplaris auctoritate confirmare posim, dabo tamen operam, quod in me quidem erit, vt omnes intelligant ita locum illũ restituendum esse, *Idem dicendum est, si alterarum ædium vsumfructum legauerit:* & ex his verbis, *Alterarum ædium*, forsitan malè descriptis, confusas cõmixtasq; fuisse illas voces, *Alteri ædes alteri aliarum.* Quod vt intelligatur, tota legis species accuratisimè nobis explicãda est. Binas ędes testator habebat, alteras legauit. Quęstionis est, an heres alteras, quas hereditario iure obtinet, altius extollere posit & obstruere luminibus ædiũ legatarũ: & an aliquid intersit, proprias ædes an hereditarias altius tollat. Proprias enim ædes iure suo altius extollere, ac legatas obscurare potest heres. l. 9. eod. tit. l. altius. C. de ser. & aqua. G

&

A & hoc dubitationem certè nullam habet. An verò etiam hereditarias altius tollere, & minuere lumina ædium legatarum poſsit, à Gauro Marcellus rogatus eſt. Marcellus reſpondit, nihil intereſſe vtrùm ſuas an hereditarias tollat, ceterùm non omnino eum ad ſuum arbitrium ædes poſſe altius extollere: id enim exigere coniecturam voluntatis defuncti, vt ne legatario penitus lumen auferatur, ideoq; tantùm legatario luminis eſſe relinquendum, quantum habitanti ſufficit. Subiicit Marcellus, idem dicendum eſſe, ſi alteri ædes, alteri aliarum vſumfructum legauerit. Priore caſu alteras legauit, alteras in hereditate reliquit. Hoc caſu alteras legauit, & alterarum vſumfructum.
B Poterit ergo heres hoc caſu altiùs ædes fructuarias extollere, & legatarum ædium lumina minuere, quod manifeſtò pugnat cum ſententia Labeonis, quæ relata eſt in l. 7. §. hac ratione. & l. 13. §. item Nerua. D. de vſufr. Igitur non ſic legamus, vt vulgò legitur, ſed vt apud Paulum legitur, à quo hæc Marcelli ſententia refertur, in l. ſi is qui binas. ſupr. de vſufruct. Idem dicendum eſt ſi alterarum ædium vſumfructum legauerit, quod etiam ea quæ ſequuntur apud Marcellum ſuadent. Cùm enim dixiſſet legato vſufructu alterarum ædium, alteras ædes, quas heres iure hereditario retinet, heredem extollere poſſe atque obſcurare fructuarias ædes: Quia in contrarium ſic argu-
C mentari poſſet aliquis, Non poteſt acceſſum fructuario heres intercipere, nec ergo lumina intercipere debet, ne inane vſusfructus legatum faciat: id tum ita Marcellus diluit, vt aliam acceſſus, aliam luminum eſſe cauſam dicat, Sine acceſſu nullum eſſe vſumfructũ, ſine lumine vſufructum eſſe, ideoq; id omnimodo ab herede præstari ex voluntate teſtatoris, hoc non item: proinde non ſemper ſimile acceſſus ſiue itineris argumentũ eſſe. Alia fuit ab Gauro propoſita quæſtio, cui vti Marcellus reſponderit, non habemus, vti verò reſpondendum ſit, inter interpretes ambigitur: ego Accurſio aſſentior. Ideo enim ædibus legatis minor dubitatio exiſtit, quàm legato vſu-
D fructu ædium, quòd iſto caſu heres aditum præſtare debeat, illo non item: nam vſuſfructus nomen hanc vim habet, vt & acceſſus præbeatur, ædium nõ item. Et hæc quidem eſt ſyncera totius legis explicatio.

De tempore quod finiendis accuſationibus & antiquo & nouo iure definitum eſt. CAP. VIII.

E NON eſt, vt arbitror, probanda interpretum ſententia, qui reum poſtulatum, etiam ſi nondum præterierit biennium, quod cauſis criminalibus ab Iuſtiniano definitum eſt, nouos honores poſt annum quàm reus delatus eſt petere poſſe exiſtimant: cùm enim nondum ex reis exemptus ſit, nulla ratione fieri poteſt vt honorum ei detur petitio. Sed ideo l. reus. D. de muner. & honor. quæ ſententiæ huius eis arx veluti quædam eſt, ideo, inquam, ea lex ait, Poſt annum reo petitionem honorum dari, quòd hic fuerit iure antiquo criminalis cauſæ finis: idq; ſatis conſtat ex l. 1. & 2. C. Th. Vt intra an. crim. quæſt. termi. & l. 2. C. Th. ad leg. Corn. de falſ. Nunc verò, etſi bien-
F niũ definierit Iuſtinianus, & ad Iuſtiniani ſententiam Tribonianus immutatione verborũ traduxerit l. 1. & 2. titulumq; ipſum C. vt intra cert. temp. & l. vbi. C. ad leg. Cor. de falſ. non tamen ita fuit accuratus, vt etiam id emendarit in l. reus: quod à me adnotatum eſt, non tam vt ille locus explicaretur, quàm etiam vt Triboniani non curantia proderetur.

De Fuſidio iuriſconſulto loci quidam adnotati. CAP. IX.

G LICEAT hoc loco mihi memoriam Fufidij Iuriſconſulti renouare, cuius nomẽ priuſquam in lucem Pandectæ Florentinæ prodiiſſent, non minùs quàm Cartilij nobis erat incognitũ. Sed Cartilium ab obliuione Ant. Auguſtinus vindicauit, Iuriſconſultus elegans & terſus. Ego Fufidium nunc vindicabo, qua in re, ſi quid in me iudicij eſt, operam non luſero. Quid enim honeſtius eſt, quàm eorum excitare memoriam, qui omni doctrina exculti & exornati aliquãdo vixerint? Fufidij auctoritate Pau-

lus vtitur in l.Fufidius. D.de bon.auct. iud. poſsid. & Africanus ex eius quæſtionum A
lib. 11.ad legatum ornamentorum pertinentem quandam ſentẽtiam refert in l. 5.D. de auro & arg.leg.vbi tamen ſcriptum eſt Phuphidius,pro Fufidius.Forſitan hic ille eſt L.Fufidius quem M.Tullius in Bruto, in aliquo patronorum numero fuiſſe ſcribit : ad quem etiam M.Scaurus tres libros de vita ſua ſcripſit,vt & Plin.teſtatur lib. 33.cap.1.

Emendata l.ſi in emptione.D.de contrah.empt. CAP. X.

ETERIBVS, id eſt, Labeoni placet, In obſcuris vel ambiguis id accipi oportere,quod venditori diſplicet, quodq; vtilius & commodius B
emptori eſt.l.veteribus.D.de pact.l.Labeo.1.D.de contr.emp.Cuius ſententiæ exemplum proponitur in l.cum in lege. D.de contr. empt. Ponitur & aliud in ea l.quæ illam ſequitur:ea eſt l.ſi in emptione. Ceterùm quia & alibi ſæpe nomina ea quæ adfinia inter ſe atq; cognata ſunt cõmutantur,vtputa locatoris conductoris, tutoris,curatoris, ita & in ea lege cùm Labeonis ſententia refertur,ſic ſcribendum eſſe reor, *Sed Labeo ait eum Stichum deberi quem emptor intellexerit,* Emptoris pro vẽditoris nomine reſtituto:quod etſi hæc C
frequens nominum adfinium commutatio & ſententia Labeonis relata in l.Labeo.& ipſa legum conſequentia ſuadeat,ſatis adhuc tamen confirmari etiam id ex eo poteſt, quod poſt ea verba ſubiungitur, *Pleraſq; enim res emimus.* Nec iam ipſe vereor affirmare,ita prorſus hunc locum reſtituendum eſſe.

De nuptijs contra mandata contractis & dote caduca, prolata in lucem conſtitutio quædam Gordiani nondum viſa.
CAP. XI. D

VPTIAS contra mandata cõtrahit, qui eius prouinciæ vxorem ducit in qua officium gerit:ideoq; iuſti liberi non ſunt qui ex eis nuptiis naſcũtur, & dos caduca fit.Dotem fieri caducam indicat l.ſi quis officium.§.veterem.D.de ritu nupt.fit autem caduca ex D.Seueri conſtitutione,vt apparet ex reſcripto Gordiani, cuius verba inferius proponentur.At quia ſi poſt officium depoſitum coniuges in eadem voluntate perſeuerauerint,Paulus reſpondit iuſtas nuptias effici,iuſtoſq; liberos poſtea naſci. E
l.eos qui.D.eod.tit.& Gordianus confirmauit in l.etſi contra.C.de nupt. dubitari poteſt,an etiam dos quæ ſemel in fiſcum ceciderit, poſtea reſtituẽda ſit,quod Gordianus alia conſtitution e definiuit,cuius hæc verba ſunt,

IMP. GORDIANVS A. rationalibus.

Manifeſtum eſt nuptijs contra mandata contractis, dotem, quæ data illo tempore, cùm traducta eſt,fuerat,iuxta ſententiam Diui Seueri fieri caducã,nec ſi conſenſu poſtea cœpiſſe videatur, matrimonium in præteritum commiſſo vitio potuit mederi. DAT. KAL. APRIL. ANTIOCHIAE, GORDIANO A. ET AVIOLA COSS. F

Appoſui verba conſtitutionis, propterea quòd nullo in codice impreſſo nunc ea conſpicitur, quam ex antiquiſsimis quibuſdam patris ſui viri eruditiſsimi monumentis erutam dedit mihi P.Pitheus Trecenſis adoleſcens probus & doctus, & iuris diſciplinæ apprimè ſtudioſus.

Reſtitutum Niconis nomen in l.omnia.C.de epiſc.& cler.
CAP. XII.

ONFIRMANTVR in l.omnia.C.de epiſc.& cler.priuilegia cõceſſa G
orphanotrophio ſiue aſceteriis vel eccleſiis aut ptochiis ſeu xenodochiis aut monaſteriis,atq; ceteris domibus etiam,ac rebus iuris eorum ad curam Oeconomi(ſic enim vulgò legitur)viri religioſiſsimi presbyteri & orphanotrophi, vel ad eos qui poſt eum ipſius loco ſucceſſerint,pertinentibus.Sed cùm paulo pòſt dicat, *Ad curã memorati viri,*

certè

A certè proprium eius viri nomen deesse necesse est. Didici verò è scriptorum librorum lectione, pro verbis illis *Ad curam Oeconomi*, legendum esse, *Ad curam Niconis*. Fuit verò Cōstantinopolitani orphanotrophij primus Orphanotrophus Zoticus quidam, & non multò pòst Nicon. Dat eadem priuilegia Iustinianus Xenoni Sampsonis in Nou. CXXXI. viri pij & religiosi, vt his verbis Procopius indicat lib. I. περὶ τῶν Ἰουστινιανοῦ κτισμάτων. ἦν δέ τις ξενὼν ἀνθρώποις ἀνειμένος ἀπορρυμένοις τε καὶ νοσοῦσι. τοῦτον ἀνὴρ τὶς θεοσεβὴς ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις ἐδείματο, σαμψὼν ὄνομα. Ceterùm emendaui etiam in l. omnia. pro *ceteris omnibus*, *ceteris domibus* quoniam paulò pòst, *domus etiam*,
B inquit, *aliasq; res superius nominatas ad curam memorati viri pertinentes*. Libet etiam legis subscriptionem annotare, quoniam in libris impressis deest. Eius verba in hunc modum concepta sunt, DAT. NON. IAN. CP. MARCIANO COS.

Emendatus locus in l. Fulcinius. §. illud sciendum. D. quib. ex caus. in poss. ea. CAP. XIII.

INVENIO eum qui se in Romano foro circa columnas occultasset
C euitandi creditoris causa, pro latitante habitum, eiusq; bona ex edicto possidere vendereq; permissum fuisse. l. eum qui. D. de reb. auct. iud. possid. atque ita Iurisconsultis veteribus placuisse. Eum verò latitandi morē his verbis notat D. Ambrosius in libro de Tobia cap. 7. Ille, inquit, gressus debitoris singulos numerat, aucupat deflexus. Iste continuò post columnas caput obumbrat. Additur etiam in l. Fulcinius. §. illud sciendum. D. quib. ex caus. in poss. ea. eum latitare videri qui in eodem foro agit, si circa stationes se occultet: vbi ausim dicere legendum esse *Statuas*, non *Stationes*: mouet me quòd in hunc modum Sidonius Apollinaris lib. I. Epist. scribit ad Montium, Ac
D principe post diem viso in forum ex more descendo, quod vbi visum est, illico expauit, vt ait ille, nil fortiter ausa seditio. alij tamen mihi plus quàm deceret ad genua prouolui, alij ne salutarent fugere post statuas, occuli post columnas, alij tristes vultuosiq; iunctis mihi lateribus incedere. Constat verò forum Romanum statuis & columnis refertum fuisse. Circa statuas igitur & columnas in foro qui se occultant, vt occursum creditorum effugiant, videntur latitare.

Notati quidam loci qui sunt ab interpunctionibus mendosissimi.

E CAPVT XIIII.

SVNT multi loci nostris in libris mendosi ab interpunctionibus, ex quibus est operæpretium aliquos indicare. Sic vbiq; scripta est l. interdum. D. quod falso tut. auct. *Interdum tamen, & si scientia noceat, tamen restitutio facienda erit*. Ego sic pungendum reor, *Interdum, tamenetsi scientia noceat, tamen restitutio facienda erit*: vt intelligamus Tamenetsi pro Quamuis vsurpari, vt à M. Tullio in Epist. ad Planciū,
F Sed tamenetsi anteà scripsi quæ existimaui scribi oportere, tamen hoc tempore breuiter commonendum putaui. Malè etiam punctis distincta est l. communi. D. de bon. libert. sic enim eam distingui oportet, *Communi liberto, si ex duobus patronis alter iusiurandum exegerit, ne vxorem ducat, vel viuo liberto decesserit: is qui extra hanc culpam fuerit, vel superuixerit, partis vtrique debitæ bonorum possessionem solus habebit*: atque ita distincta lege, statim sensus apparebit. Ex eo etiam genere est l. si finita. §. si publicus. D. de dam. inf. quæ sic meo iudicio interpungenda est, *Si publicus locus publicè reficiatur, rectissimè Labeo scribit, eoq; iure vtimur, de damno non esse cauendum, si quid vitio loci aut operis fiat. Certe legem dandā operis talem, ne quid noceat vicinis damniue*
G *detur*. Illa enim verba, *Si quid vitio loci aut operis fiat*, verba sunt cautionis l. fluminum. §. sed vt ne quod ædium. & §. vlt. D. eod. tit. His adiūgi potest §. creditor. l. si mandato. D. manda. qui in omnibus libris impressis ita scriptus est interposito sicilico: *Et an intersit creditoris, iure vendiderit, an cōmuni iure promiserit*. sed ponenda est sicilici

nota post verbum *Interſit*, non post *Creditoris* vocem. Eſt enim creditoris iure vendere, iure ſuo vendere, nõ communi lege pignoris, vt ait l. & ſi is. D. de diſtr. pign. Sunt & complures alij loci à punctis vitioſi, ſed hos demonſtraſſe ſufficiat. A

Caſtigatæ quorundam reſcriptorum inſcriptiones. CAP. XV.

NON tempero mihi quin hoc loco quarundam à me conſtitutionum reſtitutas inſcriptiones inſeram. Sunt verò eiuſmodi complures in codice Theodoſiano, in quibus Imperatores hac ſalutatione vtuntur, Habe Poſthumiane Cariſsime nobis, Haue Marcelline K. NB. Haue Vincenti K. nobis: & apud Euſebium ac Nicephorum, χαῖρε Ἀνιλῖνε τιμιώτατε ἡμῖν. Veteres namq; dicebant Habe aut Haue pro Aue. Seneca lib. 6. de benefic. cap. 34. Huic peruenire vſque ad diſtringendam libertatem licet, cuius vulgare & publicum verbum & promiſcuum ignotis, Habe, non niſi ſuo ordine emittitur. ſic enim habent veteres codices, Eraſmo teſte, qui tamen, vti fecit, improbare id ac reiicere non debuit: nam & hanc rationem ſcribendi probaſſe Quintilianus videtur, lib. 1. cap. 10. Multum, inquit, eſt litteratus qui ſine aſpiratione & producta ſyllaba ſalutauit, Auete. Recta eſt hæc via: quis negat? ſed alia eſt & mollior & magis trita. Cælius quoque ad Ciceronem ſic ſcribit, Ac ſimulatq; Haue mihi dixit. quem locum P. Victorius in ſuis ad Ciceronem caſtigationibus ita ex lectione veteri emendauit. Nobis etiam hoc modo reſtituenda eſt inſcriptio l. dominus. C. de appellat. *Iidem* A A. *&* C C. *Habe Heraclida Cariſsima nobis.* Vbi male vulgo ita legitur, *Haber ad* C. N. ſed deprauatior multò eſt inſcriptio l. ſi quis homicidij. C. de accuſat. quæ ſic ex veter. libris emendanda eſt, *Iidem* A A. *&* C C. *Habe Criſpine Cariſsime nobis.* Fuit autem Criſpinus is præſes prouinciæ. Præterea in inſcriptione l. 1. C. Th. ne quid pub. læt. pro Habetatiano K. N. legendum eſt, Habe Tatiane K. N. Quæ obſeruationes non omnino, vt mihi videtur, aſpernandæ ſunt. B C D

Reſtituta & explicata l. 1. D. de remiſsionibus. CAP. XVI.

REMISSIO eſt nuntiationis remiſsio, quæ ſcilicet in hoc fit auctoritate magiſtratus, vt vicinus cui nuntiatum eſt nouum opus, nuntiationem negligat, & opus inſtitutum exequatur. Hęc vis enim eſt nuntiationis, vt non antè poſsit vicinus facere nouum opus, quàm remiſsionem à magiſtratu impetrauerit. Tunc verò eſt vtilis remiſsio, cùm nuntiatio non tenet, id eſt cùm is nuntiauit qui ius nuntiandi non habuit: contrà, vbi nuntiatio tenet, eſt inutilis remiſsio. & hoc proponitur in principio l. 1. D. de remiſsio. & l. 1. in princip. & l. de pupillo. §. ſi is cui nuntiatum. & §. qui procuratorio. l. prætor. l. non ſolum. §. ſciendum. D. de oper. no. nunt. Eſt & de opere reſtituendo ſatiſdatio remiſsionis loco. Igitur qui ædificare vult contra quàm ei denuntiatum ſit, vel remiſsionem impetrare debet, vel ſatiſdare de opere demoliendo, ſi iudicatum fuerit iuſtam nuntiationem eſſe: quo caſu etſi remiſsio quoque poſsit fieri, non tamẽ eſt neceſſaria, vt ait l. 1. §. 1. D. de remiſſ. id eſt, ſuperuacua eſt remiſsio. Quis verò nuntiandi ius habeat, iis deinde verbis in eadem lege proponitur, Ius habet opus nouũ nuntiandi, qui aut dominium aut ſeruitutem habet: quod latius explicatur in l. de pupillo. §. ſextus. D. de no. op. nunt. Emphyteuticario & ſuperficiario & creditori pigneraticio ius eſt nuntiandi nouum opus: habent enim & rei & ſeruitutum vtilem vindicationem l. in prouinciali. §. penult. l. creditori. D. de no. oper. nuntiat. Sed de fructuario dubitari poteſt, an æquè ius ei competat nuntiandi nouum opus. Tradit autem ex Iuliano Vlpianus in l. 1. D. de remiſſ. fructuario vtilem vindicationem ſeruitutum dari. quod Iulianus quidem libro 49. Digeſtorum ſcripſit, vt apparet ex l. 2. D. de no. oper. nuntiat. cuius ab Vlpiano integra verba referuntur in d. l. 1. Referuntur, inquam, non etiam probantur: nam obtinuit aliorum ſententia exiſtimantium fructuario non dari vindicationem ſeruitutum, & meritò: nam fructuarius fundi vindicationẽ non habet. E F G

A Absurdum autem est cui non das fundi vindicationem, ei iuris fundo debiti vindicationem dare. Puto tamen Iulianum ideo vindicationem seruitutum dedisse fructuario, quòd possit is vti seruitutibus fructuario fundo debitis. Ceterùm alij vsusfructus vindicationem arbitrantur sufficere, neque seruitutum ei dant vindicationem. &, vt est in l. 1. D. si vsusfruct. pet. Marcellus apud Iulianum, id est, in notis Iuliani, Labeonis & Neruæ, non Iuliani sententiam probat, existimantium seruitutes eum vindicare nõ posse. Sed cùm ex Iuliani sententia ius fructuario sit vindicandarum seruitutum, consequens est ei etiam ius esse vicino nuntiãdi noui operis, idq; traditur in d. l. 1. §. item

B Iuliano. Ex aliorum autem sententia quæ obtinuit, fructuario non licet nuntiare nouum opus, nisi proprietarij nomine. l. 1. §. vlt. D. de no. oper. nuntia. Rursus ex Iuliani sententia si fructuarius nuntiauerit vicino nouum opus, remissio inutilis est. sic enim legendum est in d. l. 1. de remissio. & ex principiis quæ nos initio posuimus hoc ita necessariò consequitur. Nam vbi nuntiatio tenet, inutilis est remissio: Contrà, vbi nuntiatio non tenet, remissio est vtilis, ideoq; si fructuarius non vicino sed domino nuntiauerit nouum opus, quia hæc nuntiatio non tenet, remissio vtilis est. atque ita etiam d. l. 1. de remissio. castigari debet. Denique hæc duo verba, Vtilis & Inutilis, in ea lege

C aut locum inter se commutent, necesse est, aut certè nulla est scientia, nulla disciplina iuris. & hæc quidem sunt ex Iuliani sententia. Ex aliorum sententia siue domino seu vicino fructuarius nuntiauerit nouum opus, vtroque casu remissio est vtilis, quandoquidem ex eorum sententia nuntiatio non tenet. Tollendum est etiam aliud mendum ex l. 1. D. de remissionibus. *Ei quoque*, inquit, *qui pignori fundum acceperit, scribit Iulianus non esse iniquum detentionem seruitutis dari.* Id verò Iulianus eodem libro 49. Digestorum scripsit, id est, in l. ei qui pignori. D. de seruitutib. ex qua luce clarius apparet in l. 1. de remissionibus. pro *Detentionem* legendum esse *Petitionem.* Nam & seruitutes detineri non dicuntur, cùm detinere factum significet. Item

D quia lex ait, *Ei quoque*, necesse est, vt eius hæc fuerit sententia, non tantùm fructuario, sed etiam creditori à Iuliano vindicationem seruitutum dari. Sed hoc in creditore quidem obtinuit: in fructuario explosa est Iuliani sententia.

Explicatio l. Qui viam. D. de no. op. nuntiat. CAP. XVII.

MAGNA est quæstio quid sit quod traditur in l. qui viam. D. de no. op. nunt. ex eodem Iuliani libro ex quo capite superiori explicatæ Iuliani

E sententiæ desumptæ sunt, Eum qui viam habet in via ædificanti nuntiare nouum opus non posse, viam vindicare posse. Quæstionis causa hæc est, quoniam ei qui seruitutem habet ius est nuntiandi. l. 1. §. ius. D. de remissio. Et in ea quidem explicanda certatim Doctores nostri pungunt se suis acuminibus, & planè certi quod adferant nihil habent: quinimmò propalam ex eis quidam coguntur τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι, vt Aristotelis verbo vtar, dum quæ probari non posse intelligunt, sibi dari & concedi nulla ratione adducta postulant. Ego, vt quæ sit eius quæstionis ratio intelligatur, hæc omnia quæ sequuntur esse

F repetenda censeo: vt si quid socius faciat in fundo communi, alteri socio ius non est nuntiandi nouum opus. l. in prouinciali. §. 1. D. de no. op. nunt. quod neque cum socio socius rectè agat ei non esse ius ædificare. l. in re communi. D. de ser. præd. vrb. vt item si quid faciat in fundo fructuario dominus, noui operis nuntiatio nec ex Iuliani quidem sententia fructuario datur, quòd scilicet is aduersus dominum agere non possit, ius ei non esse inuito se ædificare. l. 2. D. de no. op. nunt. necesse est cùm Iulianus de ceteris idem scripserit quibus aliqua seruitus debetur. l. 1. §. pen. D. de remiss. vt etiam is, qui viam habet in fundo alieno, domino in via ædificanti non possit nouum opus

G nuntiare: nam nec ita ei cessa est seruitus, vt rectè possit intendere ius domino non esse inuito eo ædificare, sed viam quæ cessa est, vindicare non prohibetur. Idemque pari ratione dicendum est de eo, qui iter, actum, aquæductum in alieno fundo habet: Nam is etiam cum domino agere ita non potest ius illi ædificandi non esse. Huic est similis ille cui cessum stillicidij recipiendi ius est: Nam hoc etiam inuito ædificare dominus

minus poteſt, neque actio huic vlla datur per quàm intendat ius non eſſe vicino ædi- A
ficandi,ſed ius tamen immittendi ſtillicidij ſibi eſſe poteſt intendere. l. ſi eo loco.D. ſi
ſer.vindic. vbi & in hanc ſententiam Iulianus auctor laudatur. Hæc ergo iura qui ha-
bent,ius denuntiandi domino in ſuo ædificanti non habent,ſed ſeruitutem vindicare
poſſunt. Longè ab illis diuerſi ſunt hi quibus ceſſum eſt ius altiùs tollendi, vel ne pro-
ſpectui officiatur, vel ne luminibus officiatur.l.inter.D. de ſer. præd. vrb.l.de pupillo.
§.ſextus.l.non ſolùm.in princip.D.de no. oper.nuntiat.vel etiam hi quibus oneris fe-
rendi ſeruitus ceſſa eſt.l.etſi fortè.§.vlt. D. Si ſer.vindic.nam & ab inferiore vicino, id
eſt,qui depreſſas ædes habere cogatur, ſuperiori vicino oneris ferendi ſeruitus debe- B
tur.l.harum.& l.prox.in princi.D.eod.tit.Hæc igitur iura qui habent,rectè intendunt
ius non eſſe vicino altiùs ædificandi,atque ob eam cauſam rectè altiùs contra ſeruitu-
tem ædificanti nouum opus nuntiant. Et in ſumma non aliis ſeruitutem habentibus
aduerſus dominum prædij ſeruientis noui operis nuntiatio competit,quàm quibus eo
iure licet intendere ius domino non eſſe in ſuo ædificandi : quod mihi ſatis perſpi-
cuum videtur.

De S.C. *Silaniano & alijs quibuſdam Senatuſconſultis ad familiæ quæſtionem pertinentibus.* CAP. XVIII. C

DIV multumq; dubitaui de S. C. Silaniano quo tempore factum ſit.
Ac initio quidem ſub D. Marco factum id eſſe dicere annifus ſum,
propterea quòd in l.pen.C.de his quib.vt indign. mentio fit oratio-
nis D. Marci pertinentis ad S. C. Silanianum. Exiſtimabam enim
poſt orationem D.Marci ſecutum eſſe S. C. Silanianum,quòd cer-
tò ſcirem Orationes principum ſtatim Senatuſconſultis confirmari D
ſolitas fuiſſe:quinimmò interdum id etiam in orationibus diſertè addi,vt Senatuſcon-
ſulta eas conſequantur, quemadmodum & in edictis : vt in illo edicto de Chriſtianis,
quod apud Iuſtinum extat in Apolo. 2.in hæc verba, ταῦτα δὲ καὶ τῆς συγκλήτου δόγμα-
τι κυρωθῆναι βούλομαι. Sed quia l. pen. eam ait orationem factam eſſe circa S. C. Si-
lanianum, facilè ab ea me ſententia dimoueri ſum paſſus, quandoquidem ex eis ver-
bis apparet euidenter oratione D. Marci prius fuiſſe Silanianum Senatuſconſultum.
Nunc autem eſſe veriſsimum arbitror quod mihi P. Faber indicauit, in omnia virtu-
tum exempla genitus adoleſcens, nempe factum id quo de quærimus,fuiſſe D. Augu- E
ſti temporibus, Dolabella & Silano Coſſ. cuius rei mihi tale is argumentum præbuit
ex l.in cognitione.D.de S.C. Silania.vt non potuerim non ei confeſtim aſſentiri. Eſt
verò argumentum huiuſmodi. Senatuſconſultum de quo agitur in l. in cognitione,
poſterius fuit S. C. Silaniano.Nam eo S. C. accuſationi,quæ infertur heredibus pro-
pterea quod contra S. C. Silanianum ante ſeruorum quæſtionem tabulas eius ape-
ruerunt,qui à familia necatus eſſe dicitur, quinquennij præſcriptio definita eſt. Id ve-
rò factum fuit Auguſti temporibus,Lepido & Tauro Coſſ.Simile igitur vero eſt, præ- F
cedenti anno,id eſt,Dolabella & Silano Coſſ.factum S. C. Silanianum. Quod mihi
certè vti dixi veriſsimũ videtur.Fuit & poſtea de quæſtione familiæ factum aliud S. C.
Nerone A. II.& Piſone Coſſ.vt auctor eſt Cornelius Tacitus lib. 13.& 14.quod Pi-
ſonianum dicitur in l.S.C. D.de S. C.Sila.& Neronianũ à Paulo lib. 3.Sent.Putem &
hoc S. C.Claudianum appellari in tit.de S.C.Silaniano & Claudiano:neq; nouum eſt
vt Neroniana S.C.dicãtur Claudiana.Ceterũ fuit etiã de quæſtione familiæ factũ S.C.
aliud ſub D.Marco,vt indicat ea l.pe.C.de his quib.vt indig.neq; rẽ eã Adrianus præ-
termiſit,vt Spartianus auctor eſt,adeò fuit Imperatoribus curæ dominorũ ſecuritas. G

Emendata l.2.C.de paſcuis publicis & priuatis. CAP. XIX.

LEx eſt Honorij & Arcadij ad Simplicium magiſtrum militum in hunc
modum ſcripta in l.2.C.de paſc.pub.& priuat. *Inſignis auctoritas tua hac
condicione à publicis pratis ac amœnis paſcuis animalia militum prohiberi
præcipiat :* ſic autem vulgò ſcripta eſt. Ceterùm veteres libri ſic habent,

A publ

A *Apublicis pratis ab amœnis animalia militum probiberi præcipiat.* Quo inſpecto ſtatim in animum ſubiit mihi ſic eum locum reſtitui oportere, *Apublicis pratis Apamænis*, vt intelligantur prata Apamæna Syriæ, quæ his etiam verbis Strabo celebrauit in lib. 16. ἡ δ' ἀπάμεια καὶ πόλιν ἔχει τὸ πλέον εὐερκῆ· λόφος γάρ ἐστιν ἐν πεδίῳ κοίλῳ τετειχισμένος καλῶς, ὃν ποιεῖ χερρονησίζοντα ὁ ὀρόντης καὶ λίμνη περικειμένη μεγάλη καὶ ἕλη πλατέα, λειμῶνάς τε βουβότους καὶ ἱπποβότους διακεχυμένους ὑπερβάλλοντας τὸ μέγεθος. Conſtituitur autem ab Arcadio & Honorio in ea lege, vt ne publica prata Apamæna vel Antiochenorum priuata prata militum animalia depaſcantur. Quia igitur Apamæ-
B nis Antiocheni iunguntur, & Antiochiam Syriæ metropolim eſſe conſtat, vti Dion & Spartianus in Adriano ſcribũt, ex eo apparet non de Apamæa Bithyniæ, ſed de Apamæa Syriæ in ea lege tractari. Apamæa Bithyniæ, colonia fuit Romanorum, de qua in l. 1. D. de cenſib. l. vlt. C. de diu. præd. Plinius lib. 5. cap. vlt. Intus, inquit, in Bithynia colonia Apamæa. Strabo lib. 12. οἱ δ' ἀπαμεῖς ἀποικίαν ἐδέξαντο ῥωμαίων.

Explicata altera eorundem Imperatorum conſtitutio ad Paſiphilum ſcripta, quæ ab Triboniano in varias partes ſciſſa eſt. CAP. XX.

C EX vna conſtitutione Arcadij & Honorij ad Paſiphilum deſumpta eſt l. pe. C. de accuſat. l. momentariæ. C. Vnde vi. l. 1. C. de abig. quas ipſe iſto capite coniungere ac etiam explicare inſtitui. Certi iuris eſt inſcriptionem libelli accuſatorem exigi, qua ſcilicet cuius criminis alium reum deferat, ipſe profiteatur: & ſubſcriptionem, qua ſe id ſe profeſſum eſſe, ac reum à ſe peractum iri declaret. l. libellorum. l. ſi cui crimen. D. de accuſat. idq; in hoc inuentum eſt, vt accuſatorem, ſi non vinceret,
D vinciret hæc ſubſcriptio, & temeritatis coargueret, atque ita vti ne quis temerè ad accuſationem adſiliret. Hæc enim ſubſcriptio ipſa vi accuſatorem in talionis pœnam obligat. Symmachus lib. 1. Epiſt. Quid habeat condicionis inſcriptio, noſtis præ ceteris, inquit. Prouiſum eſt enim, ne quis temerè in alieni capitis diſcrimen irrueret, niſi ſe idem prius pœnæ ſponſione vinciret. Ideoq; in l. pen. C. de accuſat. *Impp. Arcad. & Honorius, In cauſis*, inquiunt, *criminalibus dignum eſt, vt inſcriptiones proponantur: quæ magnitudinem videlicet ſceleris tempusq; deſignent, vt alterutram partem*
E *digna legum tenere poßit auſteritas. Alterutram*, inquit, *partem*, id eſt, vel accuſatorem vel reum: Accuſatorem, ſi feſellerit: Reum, ſi accuſator vera detulerit. l. non prius. C. de calumn. Etiam illud additur in l. pen. officiales ſiue executores, quorum interuentu lites inſtruuntur & introducuntur, quinque librarum auri multam ſuſtinere, ſi opera eorum accuſatio non ſubſcripta in ſecretarium præſidis introducta fuerit. Hæc eſt ſententia l. pen. cuius duo veluti vitia ponuntur in l. momentariæ. C. vnde vi. & l. 1. C. de abigeis. De l. momentariæ, primò videamus. Momentaria poſſeſsio, ſiue momẽti beneficium, eſt celeris reformatio & reſtitutio poſſeſsionis, per vim vel alio modo ab-
F latæ aut interpellatæ. Poſtulatur autem poſſeſsio momentaria per interdictum, vel actionem ex cauſa interdicti, ab eo qui poſſeſsione, vi, aut dolo, aut metu, aut iniquo iudicio ſpoliatus eſt. & quia ſtatim ea ſine vlla cunctatione ſpoliato reſtituenda eſt, dilata dominij quæſtione, ideo dicitur momentaria: idq; Iſidorus lib. 5. Etymol. his verbis notat rectiſsimè, Momentum, inquit, dictum eſt à temporis breuitate, vt tam citò quàm ſtatim ſaluo negotio reformetur, nec in vllam partem produci debeat quod repetitur. Poteſt autem momenti beneficium per quamcumq; perſonam poſtulari, etiã per ſeruum. l. vlt. C. qui legit. perſ. in iud. hab. l. 1. C. ſi per vim vel alio modo abſ. poſſ.
G l. 4. C. Th. Vnde vi, & poſtulatur ab eius loci iudice, in quo ſtatus poſſeſsionis perturbatus eſt. l. 1. C. vbi de poſſ. agi oport. Eſt verò vſqueadeò celeris hæc reformatio (ſic enim appellatur in l. ſi coloni. C. de agricol. & cenſit.) vt nec eam appellatio remorari poſsit. l. 1. C. Si de momentar. poſſ. Symmachus lib. 1. Epiſtol. In cauſis, inquit, quibus momenti reformatio poſtulatur, appellationes recipi non oportet. Quibus cognitis, nunc verba & ſententiam l. momentariæ exponamus. *Momentariæ*, inquiunt, *poſſeſſionis interdictum, quod non ſemper ad vim publicam pertinet vel priuatam, mox audiri,*

diri, interdum etiam sine inscriptione meretur. Vis est publicum crimen ex lege Iulia. A
Est autem ipsa vel publica vel priuata. Ceterùm non semper ad vim interdictum siue actio momenti pertinet, quia non per vim tantùm, sed & alio modo perturbari potest aliena possessio, vt apparet ex tit. Si per vim vel alio modo, & cet. Hæc autẽ actio ad omnes perturbatæ ac peruersæ possessionis casus pertinet. Igitur non semper ad vim pertinet. Denique non semper in actione momenti huius publici criminis quæstio vertitur, atque adeò non semper de momento quæritur cum inscriptione, & id quidem expediri mox oportere lex etiam ait, obseruatis videlicet omnibus momentis, neque tempore vllo prætermisso reformandæ ac redintegrandæ possessionis: & B
hinc est momentariæ, vt suprà diximus, possessioni nomen. Sequitur. l. 1. de abigeis, *Abacti,* inquiunt, *animalis accusatio, non solùm cum inscriptionibus, sed etiam sine ea obseruatione proponitur.* Abigei vel vt fures coërcentur, vel propriè vt Abactores, id quod ex abactorum animalium quantitate discernitur. Nam vt fures coërcentur hi, qui suem vnum, duos, tres, veruecem aut capram vnam, duas, tres abigunt: vt abactores, qui sues quinque aut quattuor, capras x, oues totidem. l. 1. l. vlt. D. de abigeis. l. aut facta. §. quantitas. D. de pœnis. At non tantùm quantitate, sed etiam id ex studio atque arte abigendi cognoscimus, vtrùm abigeum, quasi furem, an proprio iure quasi C
abactorem puniri oporteat: Nam qui studiosè vnum equum aut bouem abduxerit, abigeus est: qui casu, fur. l. 1. D. de abigeis. & ideo rectè Iustin. in No. de nup. *τῶν ἀπελατῶν* eos appellatione contineri ait *οἷς δὴ φροντὶς ἀλλοτρίοις ἐφεδρεύειν ὑποζυγίοις ἢ βοσκήμασι, καὶ ταῦτα μεθιστᾶν ἑτέρωθι.* Ceterùm, vt fures tenentur ciuili actione in duplũ vel quadruplum, quo casu sine inscriptione agitur: vt abactores cessante actione ciuili extra ordinem accusantur, quo casu necessaria est inscriprio: & hoc est quod ait l. 1. C. de abig. Abacti animalis accusationem, id est, causam vel actionem non solùm cum D
inscriptione, sed etiam sine inscriptione proponi, vtputa cùm quis vnum dumtaxat suem abegit, quo casu ciuili actione quasi fur tenetur, nec propriè videtur in abigeatus extraordinarium crimen incidisse. Restat vt cùm ista constitutio Arcadij & Honorij ad Pasiphilum extet indiuisa in l. causas. C. Th. de iurisd. valde tamen deprauata & corrupta, eam, vti à nobis restituta est, proponamus: quò etiã inde appareat quemadmodum ex ea tres illas leges Tribonianus effecerit. Verba igitur Constitutionis hæc sunt,

IMPP. ARCADIVS ET HONORIVS AA. Pasiphilo suo S. E

Causas plurimi de fugaci seruo, aut manifesto furto, aut non manifesto, direpti etiam animalis, serui vel rei mobilis instituentes, vel vi bonorum raptorum, parum etiam terræ, fimi & paruulæ casæ, sub specie criminis tuũ pulsant iudicium. Momentariæ etiam possessionis interdictum, quod non semper ad vim publicam pertinet vel priuatam, vt mox audiri interdum etiam sine inscriptione mereatur, abacti etiam animalis causa proponitur. Cùm igitur de his rebus paruis ac minimis tuæ sit iniuria potestatis iudicare, decretum est eas tantùm causas criminales à synceritate tua audiri, quas dignus & meritus earum horror inscriptionis impleuerit, quæ magnitudinem videlicet criminis tempusque designat: & quæ sequuntur. Subscriptio autem hæc est, quæ sic etiam restitui debet F
in illis tribus legibus Codicis Iustiniani: DAT. VIII. ID. IANVA. MEDIOLANI, OLYBRIO ET PROBINO COSS.

Explicatæ duæ leges ex antiqua iurisiurandi formula.

CAPVT XXI.

PLACET etiam hoc loco quidpiam de iureiurando aspergere, ac G
tentare, an in l. 2. §. quod obseruari. C. de iureiur. propt. calum. in illo loco, *Ex eo quòd ex animi sui scientia iurent,* rectiùs ita legi possit, *Ex animi sui sententia:* vt sumptum id ex vulgari formula iurisiurandi esse videatur. Tit. Liu. lib. 22. Ex mei animi sententia iuro vt ego Remp. non deseram, neque alium ciuem deserere patiar. M. Tul. in Acad. quæst. Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia, qui primum

A mum iurare ex sui animi sententia quemque voluerunt, deinde ita teneri si sciens falleret. Idem III. Off. Quod ex animi tui sententia iuraris, sicut verbis concipitur more nostro. Id quod etiam Gellius indicat in lib. 4. cap. vlt. Ceterum, Ex animi sui sententia, idem est ferè quod Ex conscientia & syncera fide, vt & in rescripto quodam Adriani, Ex sentẽtia animi tui te æstimare oportet. l. 3. §. eiusdem. D. de test. Est etiam ex vetere iurisiurandi formula & obligatione illud explicãdum, quod ait l. qui iurasse. D. de iureiur. pupillum ideo peierare non videri, quòd sciẽs fallere non videatur. Nam is demum periurij reus est, qui sciens fefellit, vt ex M. Tullio iam antè demonstratum

B est: & hæc sollemnia etiam erant iurisiurandi verba, SI SCIENS FALLO, ME DIESPITER, SALVA VRBEQVE ARCEQVE, BONIS EIICIAT, VT EGO HVNC LAPIDEM: auctore Sex. Pompeio, & Plauto in Aulularia. quod omnium rectissimè sic Polybius exposuit in lib. 3. hist. ῥωμαῖοι δὲ Δία λίθον ὀμνύειν κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος, ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν Ἄρην καὶ τὸν ἐνυάλιον. ἔστι δὲ τὸ Δία λίθον, τοιοῦτον· λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος τὰ ὅρκια περὶ τῶν συνθηκῶν, ἐπειδὰν ὀμόσῃ δημοσίᾳ πίστει, λέγει τάδε, εὐορκοῦντι μὲν τἀγαθὰ, εἰ δ' ἄλλως διανοηθείην τι ἢ πράξαιμι, πάντων τῶν ἄλλων σωζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσιν, ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων ἱερῶν τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι

C οὕτως ὡς ὅδε λίθος νῦν· καὶ ταῦτα εἰπὼν ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός. Et hi quidẽ duo loci sunt, quos ex vetere iurisiurandi formula nos explicaturos esse in huius capitis inscriptione promisimus.

Indicatus notarum ab Triboniano non perceptarum error in l. in illa stipulatione. D. de verb. obligatio. CAP. XXII.

D IN notis ad Institutiones Dn. Iustiniani, & ad titulos Vlpiani multos errores indicauimus creatos ex notis quibus libri iuris auctorum perscripti erant. Nam etsi summam in eis explanandis diligentiam Tribonianus posuerit, valde tamen in plerisque hallucinatus est. Libet hoc loco & alium indicare. Paulus in l. in illa stipulatione D. de verb. oblig. *In illa stipulatione*, inquit, SI KALENDIS STICHVM NON DEDERIS, X. DARE SPONDES? *mortuo homine quæritur an statim ante Kalendas agi poßit. Sabinus, Proculus expectandum diem actori putant,*

E *quod est verius: tota enim obligatio sub condicione & in diem collata est, & licet ad condicionem committi videatur, dies tamen superest.* Quidam codices habent, *Et licet ante condicionem*, Quidam, *Et licet à condicione.* Ego Florentinam lectionem proposui, cui par est veterum librorum scriptura. Ex ea verò etiam cum διὰ σημείων Paulus ita scripsisset A. D. CONDICIO, Tribonianum notas pro notis accepisse conie cturam duxi, atque ideo ita scripsisse, *Et licet ad condicionem committi videatur, dies tamen superest:* quod potius tamen ita explanari debuit, *Et licet Ante diem condicio committi videatur, dies tamen superest:* Constat enim veteres, verba

F hæc *Ante diem*, his designasse litteris A. D. ex quibus non interpunctis, *Ad* particula conflatur. idque apparet ex Varrone in lib. I. de re rust. cap. 28. & ex Valerio Probo, qui has notas A. D. P. sic interpretatur, Ante diem pridie. Sensus igitur l. in illa. hic erit, Licet antequam Kalendæ existant, condicio committi videatur, vtpote cum Stichus intra Kalendas vita functus sit, adhuc tamen dies superest, nec ante eum diem ex stipulatu x. peti possunt. Alioquin eis profecto verbis nulla est idonea subiecta sententia. idq; mihi sic videtur.

Explicatio & emendatio l. 3. D. de ser. leg. CAP. XXIII.

G MÆVIO fundum Tusculanum do lego, & ad eum fundum viam per fundum Sempronianum. Titio eundem fundum do lego. Mæuius & Titius re coniuncti sunt. vtroque concurrente, via cedi Mæuio non potest, quoniam pro parte adquiri via non potest. l. pro parte D. de seruit. Si tamen non concurrat Titius, solusq; Mæuius fundi legatum agnoscat, viæ legatum valet, quia sic via pro solido adquirit

adquiritur. & hoc ſcribit Marcellus in l. 3. D. de ſer. leg. Hæc deinde Marcellus pro- A
ponit, Soli Mæuio fundum legaui ſub condicione, viam purè: Pendente condicio-
ne dies legati ceſsit, ſed inutiliter: quandoquidem adquirere viam non poteſt qui fun-
dum nondum adquiſiuit: Purum autem viæ legatum ſuſpendi non poteſt, & expe-
ctare fundi legati condicionem. Aut enim pura legata ſtatim exiſtunt ab adita here-
ditate, aut nunquam. l. vltim. D. commu. præd. l. cùm pater. §. filius. D. de legat. lib. 2.
Idemque eſt, vt in eodem loco Marcellus oſtendit, ſi vni partem fundi purè, alteri
partem alteram ſub condicione, & viam purè legauerit: Nam pendente condicio-
ne cedens legatæ ſeruitutis dies inutiliter cedit, propterea quòd vni ex legatariis, B
cui purè pars fundi relicta eſt, pro ea parte adquiri via non poteſt. Quamuis autem
ex alio tempore cedat puri legati dies, quod ad tranſmiſsionem attinet, in hoc ta-
men propoſito cedere diem legati ab adita hereditate intelligimus: idque apertè in-
dicat l. vlt. §. vlt. D. commu. præd. Cedere enim, eſt incipere deberi: Non eſt verò qui
legata debeat ante aditam hereditatem. Sequitur apud Marcellum huiuſmodi tra-
ctatus, Vni ex ſociis fundi communis viam ſi per ſuum fundum aliquis legauerit, &
item alteri & vtrique purè: adita hereditate via fundo communi adquiritur: Lega-
ti enim dies vtiliter cedit. Quòd ſi vni ex ſociis purè, alteri ſub condicione viam le- C
gauerit, & pendente condicione dies ceſſerit, proculdubio inutiliter cedit: quo-
niam adquiri via pro parte non poteſt, & ideo viæ legatum extinguitur. Verba
Marcelli hæc ſunt, *Vt reſponſum eſt, cùm alteri ex vicinis qui fundum communem
habebant, viam ſub condicione, alteri purè legaſſet, pendente condicione deceßiſſet.* Vbi
pro *deceßiſſet*, emendandum eſſe aſſeuero, *dies ceßiſſet*: vt enim in ſuperiore ca-
ſu, dies pendente condicione ceſsit, ita & hoc caſu diem ponit ceſsiſſe pendente
condicione: atque ideo efficitur, vt inutiliter dies vtroque caſu cedat. Quinimmò
ſic rurſus affirmo legendum eſſe, *Alteri purè legaſſet, & pendente condicione dies* D
ceßiſſet. Quòd ſi legas *Deceßiſſet*, atque ita teſtatorem pendente condicione po-
nas deceſsiſſe, non ſtatim eo efficies, vt viæ legatum intereat, niſi priùs adierit he-
res quàm extitiſſet condicio: quandoquidem non à morte teſtatoris, ſed ab adita
hereditate ſeruitutes legatæ cedunt, vt iam antè demonſtraui ex l. vltim. D. commu.
præd. & ita cenſeo.

Defenſa communis lectio in l. iuriſgentium. §. & generaliter. D. de E
pact. & reſtituta in l. ſi vnus. §. pacta. eod. titul. & l. penult.
C. Ne de ſta. defunct. CAP. XXIIII.

IT Vlpianus in l. Iuriſgentium. D. de pact. *Et generaliter quotiens
pactum à iure communi remotum eſt, ſeruari hoc non oportet, nec
legari, nec iuſiurandum de hoc adactum, ne quis agat ſeruandum,
Marcellus lib. 2. Digeſtorum ſcribit.* Ita in Florentinis & in ſcri-
ptis codicibus legitur. Ita Conſtantinus legit Græcus interpres
lib. 1. Epitom. cuius hæc verba ſunt, *παρὰ τὰ κοινὰ νόμιμα συμφω-* F
νεῖν οὐκ ἔξεστιν, οὐδὲ λεγατεύειν, καὶ ἐὰν τις ὀμόσῃ ἐπὶ τοῖς τοιούτοις μὴ ἐνάγειν, οὐκ ἔρρωται. Ve-
rùm annus eſt ferè quartus ex quo me nobiliſsimi fratres, & omnibus ingenuis ar-
tibus, magnis nunc etiam & multis Reipubl. honoribus præclarè gerendis orna-
tiſsimi Nicolaus & Gulielmus Cheſnaij admonuerunt, ita potius pleriſque videri
legendum eſſe in eo Vlpiani loco, *Et generaliter quotiens pactum à iure communi
remotum eſt, ſeruari hoc non oportet, nec ligat cum nec iuſiurandum de hoc ada-
ctum, ne quis agat ſeruandum, Marcellus libr. 2. Dig. ſcribit.* Quod etſi non
exiſtimabam fore, vt obtineret atque probaretur, tamen quia iam hæc opinio G
mentes complurium perſuaſit, vt exiſtiment ita prorſus eum locum eſſe corrigen-
dum, hoc in loco faciendum viſum eſt, vt meam ſententiam oſtenderem, & il-
lam, quod in me quidem eſſet, opinionem amolirer. Vetus lectio, vt initio de-
monſtraui, & Latinorum & Græcorum librorum auctoritate confirmatur. Sen-
tentia etiam loci eius ita rectè conſtat: vt contra ius commune veluti ne quis furti
agat

A agat vel iniuriarum si feceris, neque pactum valeat, neque legatum, neque iusiurandum, neque stipulatio: præsertim cùm hoc ipsum de legato & iureiurando coniunctim tradatur in l. si quis inquilinos. §. penult. & §. vltim. D. de legat. lib. 1. Itaque non video cur veterem lectionem immutandam esse censeant. Eo autem in loco pactum à iure communi remotum est, quod contra leges factum est, contra ius commune, contra Rempubl. &, vt Constantinus vertit, παρὰ τὰ κοινὰ νόμιμα. & ideo apud Paulum in §. pacta. l. si vnus. D. de pact. (in quo eadem de re tractatur) vbi sic legitur, *& in summa si pactum conuentum à re priuata remotum*
B *sit, non est seruandum*, sic felicius forsitan ea verba emendabimus. *& in summa si pactum conuentum à re publica remotum sit.* Vlpianus dixit, *& generaliter:* Paulus, *& in summa.* Vlpianus, *Remotum à iure communi:* Paulus, *remotum à re publica*, id est, contrarium rei publicæ. Nam si pactum rei dumtaxat priuatæ sit contrarium, proculdubio seruandum est. Putem notas, vel, vt Iustiniani verbo vtar, sigla, id est, parua signa siue sigilla, hunc etiam errorem attulisse, nempe illa, *re p.* quibus nunc itidem frequentissimè vtimur. Et ausim ex eadem causa dicere mendum esse conflatum in l. penult. C. ne de sta. def. ibi, *Apud procuratorem*
C *Reipublicæ.* lego enim, *Apud procuratorem rei priuatæ*, cùm sit hæc propria Rationalis appellatio.

Emendatus locus in l. contra. C. de re militari. CAP. XXV.

HOc deinceps mihi loco est in animo vitiosam l. contra. C. de re milit. ab ingenti mendo vindicare. Verba legis hæc sunt, *Contra publicam vtilitatem nolumus à numeris ad alios numeros milites no-*
D *stros transferri. Sciant igitur comites vel duces, quibus regendæ militiæ cura commissa est, non solùm comitatensibus ac palatinis numeris ad alios numeros milites transferre non licere, sed ne ipsis quidem, seu de comitatensibus, seu de castris riparensibus castrensianis, ceterisque, cuiquam eorum transferendi militem copiam attributam: nisi hoc Augusta maiestas p. vtilitatis gratia fieri iusserit.* Quæ legis verò sit sententia, satis est perspicuum. Id enim tota lege apertè agitur, vt ne milites à numeris iniussu principis ad alios nu-
E meros transferantur. Sed quæ legiones comitatenses ac palatinæ sint, dubitari potest. Sacer comitatus ibi est, vbi princeps. l. milites. §. ignominiosa. D. de re mil. adhibita l. 2. §. ignominia. D. de his qui not. infa. quod & de Roma sic scribit Herodianus lib. 1. ἐκεῖ τε ἡ ῥώμη ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. Comitatenses igitur legiones, aut vexillationes, in comitatu sunt principis: idque indicat l. nemo. C. de re milit. Palatinæ, palatio principis deputatæ sunt. Legiones etiam fuere pseudocomitatenses (vt constat ex Notitia Romani imperij, non ita dudum luci reddita ab Sig. Gelenio viro eruditissimo) sic, vt opinor, dictæ, quòd specie ipsa & ordi-
F ne Comitatenses ementirentur. Fuêrunt & legiones aliæ quæ Riparienses dictæ sunt, vt apparet ex eadem Notitia, quòd riparum castris essent deputatæ: ac etiam inde Rheni, Istri, Mosæ, Mosellæ accolæ, Ripuarij, eorumque leges, Ripuariorum siue Ribuariorum leges dictæ sunt, latæ ab Theodorico Francorum rege: quæ in Constitutionibus Caroli Magni leges Ripuarenses appellantur. Inde & Noricum aliud mediterraneum, aliud ripense siue ripariense: Pannonia secunda mediterranea, Pannonia secunda ripensis vel ripariensis: Dacia mediterranea, Dacia ripensis, in No. CXXXI. & in Noti. Ro. imp. & l. 4. C. de metal. Hæc efficiunt vt
G non verear sic in l. contra. esse legendum confirmare, *Sed ne ipsis quidem Pseudocomitatensibus legionibus, seu de castris riparensibus castrensianis:* vt sit sensus, Non tantùm ex comitatensibus vel palatinis numeris, sed nec è pseudocomitatensibus quidem ipsis aut riparensibus ad alios numeros, absque principis nutu, transferri posse milites. Erroris causa in euidenti est: cùm enim non intelligeret librarius quid sibi vellet, *Pseudocomitatensibus*, & subsequerentur hæc verba, *Seu de castris riparensibus:* eam statim lectionem damnandam esse censuit, & scribendum ita,

Comitatenses Legiones
Palatinæ Legiones
Pseudo comitatenses Legg.
Riparienses Legg.
Leges Ripuarenses

Seu de comitatensibus. At credo me veterem germanamq; lectionem restituisse. A

Ex veteribus libris emendata l. cùm appellatio. C. de appellat.
CAP. XXVI.

ACTVRVS'NE sim rem gratam studiosis, si, quamuis ad ciuile ius id propriè non pertineat, exposuerim vti ex veteribus libris prouinciæ vnius Thraciarum appellatio restituenda sit, in l. cùm appellatio. C. de appel. addubito: Hæc enim his qui iuri student, alia fini quàm qua B ego me potissimum ad id ediscendum ac deinde docendum etiam contuli fortasse non admodum placent. Sed sequar hac in re tamen animi mei sententiam, & quod non omnino esse negligendum iudico, his mandabo litteris. In ea igitur lege, quo in loco vulgò legitur *Hæmum montem*, veteres libri habent *Hæmimontum*, quam prouinciæ appellationem, licet illa quoq; recta sit, non esse improbandam indicat Notitia Romani imperij, vbi de prouinciis Thraciarum agitur: & Marcellinus lib. 26. Si, inquit, porro relicta adiumenta Valenti laturus festinare ad Hæmimontum cogeretur. vnde etiam emendari locus Hilarij potest in lib. de synodis C aduersus Arrianos, in quo is auctor prouincias Orientis recenset, ex quibus in Sardica sancta synodus congregata fuit. Ibi enim pro *Eminonto*, vel vt alij, adscripserunt, *Eminunto*, legendum reor *Aemimonto*: præsertim cùm eam prouinciam Europæ ac Thraciæ coniungat Hilarius. atq; ita in l. cùm appellatio. antiquam lectionem damnandam esse non censeo.

Emendata l. Seiæ. D. de instructo vel instrum lega. CAP. XXVII.

D

PVD Scæuolam in l. Seiæ. D. de instr. vel instru. leg. huiusmodi proponitur species, Paterf. Seiæ ex parte hæredi institutæ prelegauit fundum instructum cum suis villicis & reliquis colonorum. Reliqua colonorum sunt ea, quæ coloni ex pretio conductionis reliquati sunt, d. l. Seiæ. §. liberto. &. §. prædia. Plinius lib. 3. Epist. Possessor, inquit, prior sæpius vendidit pignora, & dum reliqua colonorum minuit ad tempus, vires in posterum exhausit. Idem paterf. in codicillis ita scripsit, POSTEA MIHI VENIT IN MENTEM SEIAE FVNDOS, QVOS RELIQVI, ITA E VT SVNT INSTRVCTI RVSTICO INSTRVMENTO, SVPELLECTILE, PECORE ET VILLICIS CVM RELIQVIS COLONORVM ET APOTHECA HABERE VOLO. Quæstionis est, quid legato contineatur. Si scripturã testamenti spectes, plenum est legatum: Instructum namq; fundum legauit. qua appellatione non ea tantùm quæ in codicillis recensuit, continentur, sed etiam quæ ipse illic habuit vsus sui quotidiani gratia. l. quæsitũ. §. sed si fundus. eod. tit. Sed melius est dicere non amplius deberi, quàm instructi appellatione in codicillis, quòd scilicet in testamento id obliuione præteriisset, contineri se velle ostendisset. atq; ita respon- F dit Scæuola. Ceterùm verba responsi vno in loco, nisi me fallo, deformata sunt. Ait Scæuola, Respondit testamento quidem vt proponeretur Seiæ insuper fundum legatum. Lego, *Testamento quidem vt proponeretur Seiæ Instructum fundum legatum*: vt rectè statim subsequatur, Verùm non amplius deberi, quàm in codicillis instructi appellatione contineri se velle ostendisset. Alioquin, quid illic facit *Insuper?*

Alius in eodem titulo locus, qui non videtur esse integer adnotatus. CAP. XXVIII.

G

LPIANVS in l. quæsitum. §. idem respondit. D. de instr. vel instru. lega. ex Papiniani responsis, *Domo*, inquit, *per fideicommissum relicta cum supellectili Claudio Hieroniano clarissimo viro ab Vmbrio Primo, & mensas & ceteram supellectilem, quam in hortis paterfa. in proconsulatum profecturus*

contule

A *contulerat, ut tutiore loco essent, contineri.* & ita legitur in Pandectis Florentinis. Ceterùm alij codices pro *Hieroniano*, habent *Hermoniano*, alij *Hieronymiano*: duo autem scripti, qui penes me sunt, habent *Herominiano*: quod proximè ad veritatem forsitan accedit. Quid enim si legamus Claudio Herminiano? Is fuit Proconsul Cappadociæ. Fuerat verò iam olim ab Tyberio Cæsare Cappadociæ regnum in prouinciæ formam redactum, vt Eutropius & Sex. Rufus tradunt. At decessit etiam in hoc proconsulatu Herminianus: & hoc Tertullianus his verbis indicat in lib. ad Scapulam: Possumus, inquit, æquè & exitus quorundam præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quòd vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens vxorem suam ad hanc sectam transiisse, Christianos crudeliter tractasset, solusq; in prætorio suo vastatus peste cùm viuus vermibus ebulisset, Nemo sciat, aiebat, ne gaudeant Christiani. Postea cognito errore suo, quòd tormentis quosdam à proposito excidere fecisset, penè Christianus decessit. quo in loco Prætorium malè Rhenanus interpretatur esse villam: vix enim est vt in prouincia is proconsul villam habuerit: sed prætorium ita accipitur eo in loco, vt in l. vlt. C. de off. rect. pro. & l. vlt. C. Th. de off. iud. om. Cùm verò Claudius Herminianus Proconsul fuerit Cappadociæ, qui & ob eam causam vir clarissimus dicitur, in eo §. & in proconsulatu decesserit, & detur species in eo §. testatoris in procõsulatu defuncti, velim vt studiosi iudicent, an ita sit ille §. emendandus, *Domo per fideicommissum relicta cum supellectili ab Claudio Herminiano clarissimo viro, Vmbrio Primo*: eorum enim volo iudicium esse, nec ipse quicquam affirmare audeo.

D *Explicatum an in specie l. qui Romæ. §. Flauius. D. de verbor. oblig. sit locus rescripto D. Marci & Commodi ad Aufidium Victorinum.* CAP. XIX.

CLAVDIO Stichum Flauius donauit ea lege vt manumitteretur, subdita pœnali stipulatione si non manumitteretur & vindicta liberaretur. Quæstionis est, an de libertate Stichi Claudium conuenire Flauius possit. Scæuola ait posse in l. qui Romæ. §. Flauius. D. de verbor. oblig. Huic sententiæ interpretes obiiciunt constitutionem D. Marci E & Commodi ad Aufidium Victorinum, vt ostendant agi frustra de libertate Stichi: Ex ea enim constitutione ipso iure liber fit, qui datur ita vt manumittatur. Ex quo etiam id efficitur, contrà quàm ibidem mox Scæuola respondeat pœnalem stipulationem non committi. l. vlt. C. Si mancip. ita fuer. aliena: Deniq; frustra conuentioni huic stipulationem pœnalem adiungi. Et interpretes quidem alij Accursio assentiuntur, propemodum neganti ciuitatem Romanam ex constitutione seruis ea lege datis obuenire: cùm tamen certum sit Constitutionem omnino legem traditionis subsequi. l. 1. C. si mancip. ita fuer. alien. vt planè in illa specie Stichus, qui vin- F dicta manumitti debuit, ex constitutione ciuis Romanus effectus videatur. Alij sentẽtiam Accursij lambentes tantũmodo, id quidem spectandum esse non diffitẽtur, quod adnotauit Accursius, puta fuisse actum vti vindicta Stichus liber fieret, sed non tam à Claudio ideo actũ animo, vt Stichus ciuis Romanus fieret, quàm vt Stichi libertas in vulgus innotesceret. Ergo vt scilicet huic animo Claudij satisfiat, Stichus ipso iure liber & ciuis Romanus effectus, rursum erit manumittendus vindicta, quandoquidẽ ait Scæuola posse Claudium de Stichi libertate agere: atq; ita liber homo & ciuis Romanus, vindicta manumittetur: quod non est credibile. Nec sanè video, cur minus nota G sit ea libertas, quæ seruis ipso iure contingit, quàm quæ per Prætorẽ fortasse de plano & sine lictore atq; in villa datur. Ego animaduerti Scæuolam loqui de seruo manumissionis causa donato: Constitutio autem Diui Marci & Commodi propriè pertinet ad seruos manumissionis causa venditos, non ad donatos. l. Paulus respond. D. de liber. causa. Scio quidem postea quasi è sententia constitutionis idem receptũ fuisse in seruis eadẽ lege donatis. l. pen. D. qui sine manumissio. ad libert. peruen. l. 1. C. si mancip.

 ita

ita fuer.alien.vt manumit. At Scæuola, qui de iure, temporibus Diui Marci & Commodi respondit, verba Constitutionis nondum ad seruos donatos porrectæ secutus est: nec sanè tunc in seruis donatis constitutioni locus erat. Hodie igitur inanes sunt quæstiones §. Flauius. Et hæc mea est opinio. A

Restituta græca dictio in l. meniana. C. de ædificijs priuat.
CAPVT XXX.

N l. meniana. C. de ædificiis priuat. quæ est Honorij & Theodosij ad Seuerinum P. P. sic in Haloandri codice legitur, Meniana quæ Græci κρόσσας appellant. Ceterùm alij τεχιοσὰς, alij σκιότας, alij ὀρθοθύρας, alij ὄρθας legunt. Ego quia in Notis ad titul. de actionibus lib. 4. Institut. non nisi obiter adnotaui legendum esse ἐξώστας, plenius paulò id hoc in loco explanare constitui. Vetustissimi & emendatissimi libri scripti habent ἐξώστας. quod nomen trahitur ἀπὸ τοῦ ἐξωθεῖσθαι, id est, expellere & proiicere. Sunt ergo ἐξωσταὶ proiectiones, & hoc ipsum quoque meniana significant. Confirmat hanc lectionem Constantinus libr. 2. Epitom. titul. περὶ ἐξώστου, & titul. περὶ ἡλιακοῦ ἤδη ἐξώστου: vbi ipsius l. meniana sententiam is auctor interpretatus est. Fuit autem in prouinciis permissum ædificare meniana, non tamen in vrbe semper. Marcellinus libr. 27. Nam & meniana, inquit, Prætextatus præf. vrbi sustulit omnia, fabricari Romæ priscis quoque vetita legibus. Multos ipse alios emendaui locos in Notis ad libros IIII, Institutionum, & ad fragm. Vlpiani, & in commentario de vsurpat. & vsucapion. quos in his Obseruationum & emendationum libris notare non constitui: nisi quotiens breuiter & in transcursu aliquis explicatus à me, ampliorem orationem desiderare videbitur. B C D

Auctoritate Constantini Græci interpretis emendata l. eos qui ius. D. de ser. prædio. vrb. CAP. XXXI.

VORSVM ait l. eos. D. de ser. præd. vrb. fenestras aperto pariete communi immitti non posse? An non idem iuris est in proprio pariete? præsertim cùm vtroque casu sit locus illius philosophi sententiæ, μηδὲν διαφέρειν ἢ τοὺς πόδας ἢ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς ἀλλοτρίαν οἰκίαν τιθέναι, & ideo sit necessaria seruitus luminum, quæ ab Caio fenestra appellatur in lib. 2. Institut. id est, ius fenestræ immittendæ, vt hoc iure nobis liceat fenestras aperire? quas equidem sæpe opinor & lumina appellari, vt apud Ciceronem lib. 2. ad Atticum, Radiorum, ait, διαφάσεις latis luminibus non tam solere esse suaues. Ceterùm in l. eos, Constantinus Harmenopûlus legit, *pariete cæco.* Sic enim vertit libr. 2. epitom. ὁ μὴ ἔχων δίκαιον φωταγωγῶν θυρίδων οὐ δύναται τυφλὸν τοῖχον ἀνοίγειν, καὶ ποιεῖν θυρίδας. quod etiam ea confirmant quæ tradidit in titul. περὶ θυρίδων ἀνοιγομένων ἐν τυφλῷ τοίχῳ. Quid igitur si sic legamus, Eos qui ius immittendi luminis non habuerunt, aperto pariete cæco nullo iure fenestras immisisse respondi? Paries cæcus est, qui fenestras non habet, vt apud Virgilium lib. 5. Æneid. E F

Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;
Mille vijs habuisse dolum.

Emendatus locus in l. si per errorem. D. de iurisdictione. G
CAP. XXXII.

I per errorem alius pro alio prætor fuerit aditus, nihil valebit quod actum est: nec enim ferendus est qui dicat consensisse eos in præsidem, cùm, vt Iulianus scribit, non consentiant qui errent. Quid enim tam contrarium consensui est, quàm error qui imperitiam detegit? Hæc sunt verba l. si per

A per errorem D. de iuriſdict. in qua id mihi perabſurdum videtur, quod initio cùm aditum ab litigatoribus Prætorem fuiſſe dicat, ſtatim in Præſidem ſubiungat eos non videri conſenſiſſe. Debuit enim potius dicere, *In Prætorem:* niſi legamus, *In præſentem:* & hoc probo. In præſentem, id eſt, in eum Prætorem quem per errorem adierunt, vt in hoc exemplo, Si Prætorem fideicommiſſarium adierint pro tutelari, in fideicommiſſarium conſenſiſſe non videntur: nec enim conſentiunt qui errant, vt Iulianus libr. 1. Digeſtorum ſcribit, l. 2. D. de iudic. Qui in abſentem Prætorem conſentiunt, nihil ex eo obligantur, antequam eum adierint. l. ſi conuene-
B rit. D. de iuriſdict. at poſtquam eum adierunt, atque ita conſenſerunt in præſentem, amplius mutandæ voluntatis facultatem non habent, niſi, vt in l. ſi per errorem. proponitur, alium pro alio per errorem adierint: nec enim tunc videntur in præſentem conſenſiſſe.

De ſententia l. ſinguli C. de accuſatio.
CAP. XXXIII.

C IMPPP. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius in l. ſinguli. C. de accuſat. *Singuli*, inquiunt, *vniuerſique iudices cognoſcant in publicis criminibus non oportere emendicatis ſuffragijs decretorum, aut relationibus à publicis perſonis deſtinandis credere, ſed rei veritatem requirere.* Sic autem habent conſtantiſsimè omnes libri ſcripti: non, vt quidam legunt, emendicatis vti ſuffragiis. Verùm quæ ſint hæc emendicata decretorum ſuffragia, dubitari audio. D. Alciatus ciuitatum in alicuius honorem decreta eſſe interpretatur: Idem prorſus & quidam alij tradunt,
D cùm ea contendunt nihil eſſe aliud quàm ciuitatum, municipiorum, populi teſtimonia. Rem tamen omnem, quia mihi penitus intellexiſſe non videntur, viſum eſt faciendum, vt quid hac de re mei iudicij eſſet, hoc in capite oſtenderem. Decreta, ea in lege, ſunt decurionum decreta, vt apparet ex l. conceſſum. C. Theod. de accuſationib. ex qua l. ſinguli. orta eſt. Ea enim eſt l. conceſſum, ſententia, Non emendicatis ſuffragiis decretorum, ſed accuſatione proprio nomine inſtituta, Præſidem vel officium eius accuſandum eſſe apud Præfectum prætorio, ob innoxios decuriones cæſos & verberatos. Emendicatis igitur ſuffragiis, id eſt, corrogatis &
E prehenſatis decurionum ſuffragiis, in necem Præſidis vel alterius: eodemque modo dixerunt Emendicatis ſuffragiis in l. 75. C. Theod. de decurionib. pro decurionum ſuffragiis. Adiecit etiam Tribonianus ex alia conſtitutione, Non eſſe credendum relationibus à publicis perſonis factis. Hæ relationes, vt opinor, notoria vel elogia ſunt apparitorum ſeu Irenarcharum. l. ab accuſatione. §. nuntiatores. D. ad Turpillia. l. ea quidem. C. de accuſationib. l. 31. C. Theod. de epiſcop. & cleric. l. Diuus. D. de cuſtod. reorum. quæ ab D. Auguſtino Notoriæ dicuntur in epiſtol. 160. Circumcelliones, inquit, quoſdam & clericos Donatiſtas, cura eorum, qui diſci-
F plinæ publicæ inſeruiunt, præmiſſa notoria ad iudicia legeſque perduxit. & in epiſtol. 159. Qui non accuſantibus noſtris, ſed illorum notoria, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat, præſentati videantur examini. ſic verò etiam legendum eſt in c. 1. 23. quæſt. 5. vbi illi, ad quos tuendæ publicæ pacis cura pertinere dicitur, Irenarchæ ſunt, vt opinor, ita dicti ἀπὸ τοῦ ἄρχειν τῆς εἰρήνης. Porrò ex his notoriis vel elogiis non eſt quiſquam vtique ſine accuſatore temerè condemnandus, idque mandatis principum continetur. d. l. Diuus. Tertullianus in libr. ad
G Scapulam, Pudens miſſum ad ſe Chriſtianum in elogio, concuſsione eius intellecta dimiſit, ſciſſo eodem elogio, ſine accuſatore negans ſe auditurum hominem, ſecundùm mandatum. Id alij legibus publicis contineri ſcribunt. Ammianus Marcellinus libr. 14. Nec vox accuſatoris vlla licet ſubditi & in his malorum quærebatur aceruis, vt ſaltem ſpecie tenus crimina præſcriptis legum committerentur. Ambroſius libr. 8. Epiſtol. ad Syagrium, Si leges publicas interrogemus, accuſatorem exigunt.

An per tutorem, curatorem, procuratorem adquiri poßit hereditas. CAP. XXXIIII.

PAVLVS ait in lege Per procuratorem.D.de adquirend.hered. *Per procuratorem hereditatem adquiri non posse.* Hæc est vetus lectio: nec satis forsitan eo in loco emendatæ sunt Pandectæ Florentinæ, in quibus ita legitur, *Per curatorem hereditatem adquiri non posse.* Sed siue hoc, siue illo modo legatur, ego nec per curatorem, nec per tutorem, aut procuratorem hereditatem posse adquiri existimo. Illud enim est ἀσυλλόγιστον, si quis ista ratione probare velit, rectè Paulum dixisse Per Curatorem, quia tutoris auctoritate opus sit in hereditate adquirenda. Aliud namque est Tutore auctore, longè aliud Per tutorem adquirere hereditatem. Tutore quippe auctore, id est, ipso pupillo adeunte, ac sollemnia peragente. Per tutorem, id est, adeunte tutore, atque agente sollemnia. Illo modo rectè sibi hereditatem pupillus adquirit, non tamen auctore curatore: ideoque tutorem habenti plerumque specialis tutor, ad adeundam hereditatem datur. l. impuberi. D. de tutor. & curat. da. l. cum in vna. §. tutor. D. de appellat. Vlpian. in fragm. titul. de tutelis. quòd scilicet ad eam rem non sufficiat curatoris auctoritas. Ceterùm vt per curatorem adquiri hereditas non potest, ita nec per tutorem, nisi pupillus infans sit. l. potuit. C. de iu. deliber. l. seruo inuito. §. si pupillo. D. ad Trebellia. & multò minus per procuratorem. Quòd si per procuratorem adquiri potest, nihil hac in re præcipuum habet procurator Cæsaris: cui tamen hoc iure singulari lex datum ait, vt Cæsari adquirat. l. 1. §. vltim. D. de offic. procurat. Cæsar. id est rational. Nihil denique hac in re distabit hereditas à bonorum possessione: Nam & per tutorem & per procuratorem adquiri bonorum possessio potest. d. §. si pupillo. l. si maritus. C. manda. l. si quis alicui. D. de adquirend. hered. Sed tamen hoc non est admittendum. Ius enim prætorium ciuili iure indulgentius & benignius est, Ius ciuile directum & asperum, Ius prætorium mite & moderatum est: Atque ideo per tutorem, curatorem, procuratorem, bonorum possessio adquiritur, Hereditas non adquiritur. & hoc probo.

De Synoneto ad titulum Codicis, Vt nemini liceat in coëmptione specierum se excusare, & de munere sitonici. CAP. XXXV.

PVBLICA comparatio specierum, Græcè συνώνητον appellatur, ἐκ τοῦ σὺν καὶ ὠνεῖσθαι. l. 1. C. Th. de pub. comp. Latinè coëmptio. l. 2. C. de frum. vrb. Constant. & ideo auctoribus etiã scriptis libris in tit. Cod. vt nemini liceat in emptione specierum se excusare, legendum est, *in coëmptione.* Quemadmodum autem huiusmodi coëmptio accipienda sit, nõ æquè constat inter omnes. Alij enim, vt noster Accursius refert, sic eam accipiunt, vt prouinciales à fisco species annonarias emere cogantur. Alij vt eas fisco vendere forensibus pretiis compellantur. & horum quidem ego sententiæ potius accedo. ab ea enim facit apertè l. 2. C. Th. de pub. comparation. l. 1. & 3. C. de quib. muner. vel præstat. nem. liceat se excusare. & quod Suidas scribit in hunc modum de onere synoneti siue συνωνῆς. Συνωνὴ τὸ ἄχθος ὅτι τῶν Ἰουστινιανοῦ ἡ τοῦ σίτου φορὰ ἐσπάνιζε, &c. τότε σῖτον οἴκοθεν τῷ δημοσίῳ χαρίζεσθαι, καὶ τίμημα ἕτερον ὑπὲρ αὐτοῦ κατατιθέναι. τοῦτ' ἔστι τὸ ἄχθος ὅπερ συνωνὴν καλεῖν νενομίκασι. Et Cassiodorus lib. 12. Variarum, Laridi, inquit, atque tritici species nullis temporibus coëmptionis nomine inde decernimus postulari. Cura verò emendarum specierum, vel, vt Iustinianus loquitur in No. XXX, cura σιτωνικῶν ad eum pertinebat, cui princeps eam demandasset. Hæc autem, sitonici munus in eo Codicis titul. vocatur: sic enim lego ex veteribus libris. Scripsit de cura sitonici Gregorius lib. 10. Epistol. quæ etiam ad interpretationem nostram confirmandam maximè pertinent.

Emend

A

Emendata l.61.D.de vsufructu. CAP. XXXVI.

FRVCTVARIVS tueri & reficere id quod accepit pot est: nihil autem noui facere, nisi casam fructuum colligendorum & recondendorum gratia. Ideoq; vsufructuarius nouum tectorium parietibus inducere vel imponere non potest: & hoc Neratius scribit in l.44.D.de vsufr. Idem Neratius in l.61.eod.tit. Vsufructuarius, inquit, nouum riuum parietibus non potest imponere. Rogo, Quis sic loquitur, B Riuum imponere? Deinde cur parietibus, vt ita loquamur, potius negauit riuum imponi posse, quàm solo, quo plurimum riuus duci solet? Credo alium ex alio locum emendandum esse, atq; vt in l.44.sic & in l. 61. legi debere *Nouum tectorium.* Erroris causa forsitan hæc fuit in l.61. quòd exesis prioribus syllabis huius vocis Tectoriũ, apparebant solæ posteriores, *rium:* vnde quidam ita sibi statim Riuum scribi oportere persuaserint. Sed possit etiam aliquis errorem hunc & vetustissimum, & ab ipso auctore admissum dicere, quando sæpe fit vtì nos manus in scribendo fallat.

Corruptam videri l. Statuliberi à ceteris. in princip. D. de statulib.

C

CAPVT XXXVII.

STATVLIBERVM non vt seruum, sed vt liberum puniri probat l. statuliber. D.de quæstio.& l.moris.§.vlt. D.de pœnis. His tamen opponitur l.statuliberi à ceteris.D.de statulib. *Statuliberi,* ait lex, *à ceteris seruis nostris nihilo penè differunt, & ideo, quod ad actiones vel ex delicto venientes* (id est, noxales) *vel ex negotio gesto, contractu, pertinet, eiusdem condicionis sunt statuliberi cuius ceteri.* & hoc confir- D mat l.1.C.an ser.ex suo fac.Sequitur, *& ideo in publicis quoque iudicijs easdem pœnas patiuntur quas ceteri serui:* & hoc est quod pugnat cum superioribus legibus. Habeo veterem librum manu scriptum, in quo ita legitur, *Et ideo non in publicis quoque iudicijs easdem pœnas patiuntur quas ceteri serui:* negatione tamen expuncta. quæ res me ad hunc locum emendandum non mediocriter impulit. Censeo autem sic legendum esse, *Set non in publicis quoque iudicijs.* & his verbis Pomponium explicare, cur initio dixerit, *Pene.* Erroris causam si volumus perquirere, non est obscura: hi enim articuli, &, set, crebrò commutantur. Articulus autem Ideo, cùm litterarum compendio per E I & O signari soleat, temone superposito, facilè potuit *nõ,* sic scriptum, in hanc notam *iõ* degenerare: vt in l. falsus.§.si quis spõte.D.de furtis, vbi quo loco vulgati codices habent *& iõ,* in Florentinis est, *non.* Est etiam l.statuliberi à ceteris, valde in §.quintus. deprauata. quod à me, faciente Domino, in secundo libro, quem manu emittam breui, hoc nostrum qualecumq; studium si non improbari intellexero, apertissimis argumentis demonstrabitur.

Multa esse in Pandectis inuerso verborum ordine à librarijs conscripta, necdum restituta. CAP. XXXVIII.

F

NVNC ostendemus non omnes quidem, sed nonnullos ex his quos iamdudum deprehendimus errores, creatos ex praua verborum aut versuũ collocatione, vt hoc velut indice studiosi, vel ad ceteros, quos supprimimus, inuestigandos: vel ad alios, quos adhuc non deprehendimus, inueniendos excitentur. Est erratum, ni fallor, hac in re in l. vlt.D.de solut. Verba legis hæc sunt, *Ei qui mandato meo post mortem meam stipulatus est, rectè soluitur, quia talis est lex obligationis: ideoq; etiam inuito me* G *rectè ei soluitur. Ei autem cui iussi debitorem meum post mortem meam soluere, non rectè soluitur: quia mandatum morte dissoluitur.* Quæ verba videntur aliena esse à principiis iuris ciuilis. Nam si simpliciter iussi debitorem meum soluere, fateor equidem extingui morte mandatum. At si iussi meum debitorem post mortem meam soluere,

non video cur morte mãdatum finiatur, quod in tempus mortis nominatim collatum est. l. si verò non remunerandi. §. vlt. & l. prox. D. manda. Non video etiam cur prior ita ponatur species, vt aliquis mandato meo post mortem meam stipulatus fuerit sibi solui. Nam etsi id non adiiciatur, *Post mortem meam,* ei etiam vt me inuito, ita me mortuo rectè soluitur. l. aliud. D. de solutio. Quamobrem sic existimo restituendam esse legem vlt. *Ei qui mandato meo stipulatus est, post mortem meam rectè soluitur: quia talis est lex obligationis. ideoq; etiam inuito me rectè ei soluitur. Ei autem cui iussi debitorem meum soluere, post mortem meam non rectè soluitur: quia mandatum morte dissoluitur.* Quin etiam ad hanc posteriorem speciem id adiici potest, me inuito ei rectè non solui, id est, si, dum res est in integro, ipse mutauero voluntatem. Est forsitan erratum simile in l. 1. D. ad leg. Iul. de vi priua. Lex initio ait de vi priuata damnatum ex lege Iulia, tertia bonorum parte multari, & esse cautum, eadem scilicet lege, ne senator sit, ne decurionatum aut vllum honorem capiat, ne in eum ordinem sedeat, ne iudex sit. Mox sequuntur hæc verba, *& videlicet omni honore quasi infamis ex Senatusconsulto carebit.* Miror cùm id lege cautum fuerit, vt & l. vlt. eod. tit. confirmatur, quare dicat eũ ex S. C. infamem esse. An igitur sic verba reponenda sunt? *& videlicet omni honore quasi infamis carebit. Eadem pœna afficiuntur qui ex S. C. ad pœnam legis Iuliæ de vi priuata rediguntur:* vt intelligatur S. C. Volusianum l. ex S. C. eod. tit. Est profectò ex eadem penè causa valde perturbata l. filius qui patri. D. de bon. libert. quæ sic in omnibus libris exscripta est, *Filius qui patri heres extitit, fratrem exheredatum adrogauit, atque ita herede eo relicto defunctus est: bonorum possessionem liberti patris naturalis exheredatus non habebit. nam cui non exheredato talis adoptio noceret, nocere debet exheredato.* Quis verò est, qui non videat hoc potius ordine verba esse componenda? *Nam cui non adrogato talis exheredatio noceret, nocere debet adrogato.* Id enim ea verba quæ sequuntur exigunt, *Quoniam pœna quæ legibus aut edicto irrogaretur, adoptionis remedio non oblitteraretur.* Tum verò illud constat, filio solam adrogationem in iure patronatus nihil nocere l. si libertus præterito. D. de bon. libert. l. sed si hac lege. §. patronum. D. de in ius voc.

A B C D (margin letters)

Qua ex lege diuortia fiant, & quo vrbis conditæ anno factum sit primum diuortium, emendatusque locus Auli Gellij.

CAP. XXXIX.

E

DIVORTIA fieri ex XII. tab. indicat M. Tullius in 2. Philip. his verbis, Mimam illam suam suas res sibi habere iussit ex XII. tabulis: & l. pen. D. ad leg. Iul. de adult. Si, inquit, ex lege repudium missum non sit, id est, ex XII. tab. vt eius legis inscriptio suadet: sicut & in l. vlt. D. de litigios. duplionem ex XII. tab. præstare eum qui rem litigiosam in sacrum dedicauerit: quæ duo nondum quisquam ad leges XII. tab. referri oportere animaduertit. Ceterùm primum diuortium factum fuisse sexcentis ferè annis post vrbem cõditam, Tertullianus auctor est in libro de monogamia. Adeo, inquit, repudium à primordio nõ fuit, vt apud Romanos post annum sexcentesimum vrbis conditæ id genus duritiæ fuisse denotetur. & in Apologetico, Per annos fermè sexcentos ab vrbe condita, nulla repudiũ domus sensit. Scribit autem Dionysius lib. 2. primum diuortiũ ab Sp. Caruilio factum κατὰ τὴν ἑβδόμην ἐπὶ ταῖς τριάκοντα καὶ ἑκατὸν ὀλυμπιάσιν: id est vrbis conditæ anno DXXIII. siquidem eodem auctore vrbs fuit condita septimæ Olympiadis anno primo. & hoc idem disertè Aulus Gellius tradit lib. 4. cap. 3. Sexcentis igitur ferè annis post vrbem conditam nullum diuortium fuit, vt rectè ait Tertullianus. Gellius tamẽ eo in loco scripsit quingentis ferè: quod ego ex Tertulliano, & ex annorum ipsa ratione ita emendandum censeo, *Sexcentis ferè.*

F G

Quid hæc verba significent, & quod excurrit, *in l. Publia. §. Titius. D. depos. & Vegetij locus emendatus.*

CAP. XL.

A VID hæc verba significent in l. Publia. §. Titius. D. depositi. *Item ex ratione patris vestri* x. *& quod excurrit*, ex Diuo Augustino Budæus exposuit, & rectè vt opinor: id quod aliis locis allatis confirmare libet. Volusius Mætianus Iurisconsultus in lib. de asse, Ingeniosissimè, inquit, cùm ad denarium ratio conficeretur, excurrentis æris nota inuenta est, & quæ sequuntur. Optatus Afer lib. I. aduersus Parmenianum, Nam fermè ante annos L x. & quod excurrit, per totam Africam persecutionis est denegata tempestas. & lib. 3. Quo tempore fuerunt & impij iudices bellum
B Christiano nomini inferentes, ex quibus in prouincia procõsulari ante annos L x. & quod excurrit, fuerat Anulinus, in Numidia Florus. Sic etiã Vegetius locutus est lib. I. ad finem: sed quia sunt auctoris verba deprauata in impreßsis libris, ex antiquißimo libro, qui apud me est, ea descripta proponam. Nec aliquis, inquit, hæc superiore ætate accidisse miretur, cùm post primum Punicum bellum x x. & quod excurrit annorum, pax ita Romanos illos vbique victores otio & armorum desuetudine eneruauerit, vt secundo bello Punico Hannibali pares esse nõ possent. Impreßsi sic habebant, x x I I I I. circulis excursis annorum pax, &c. Sed mihi ita probatur antiquißima lectio, vt eam potißimùm huius libri coronidem esse voluerim.

BARTHOLOMAEO FAYO
V. C. SENATORI PARISIENSI
IACOBVS CVIACIVS S.

*

NE diu te promißi mei expectatione suspensum teneam, Bartholomæe Fay vir clarißime, prolixo libentiq; animo ad te librum secundum Obseruationum & emendationum defero. In edendo tertio an cuncter, & me dem in ijs commentarijs absoluendis, quos iam dudum ad quasdam Iuris ciuilis partes inchoaui, vel an omnino me à scriptione omni sustineam, vehementer animi pendeo. Vereor certè, nisi tu diffidentem & quasi verecundantem incitaueris, vt hic scribendi feruor paulatim refrigescat. Enimuerò si tu me macte animi esse iubeas, vel si qua ratione alia nobis id saltem exploratum fuerit, hoc tibi qualecumque meum studium non improbari: ita testor, ita affirmo, in hoc immenso iuris pelago ad nauigationem omni ex parte optimè conficiendam, præterea me alios neque ventos neque remos magnopere requisiturum. Vale, Biturigis. X I X, *Kalend. Septemb. 1556.*

IACOBI CVIACII I. C.
OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM LIBER II, AD BARTHOLOMÆVM FAYVM SENATOREM PARISIENSEM.

✶

Valde in explanandis numerorum notis erratum esse in l. Thais. §. libertatem. & §. ab heredibus. D. de fideic. lib. CAP. I.

CAEVOLA in l. Thais. §. libertatem. D. de fideic. lib. cùm ita A seruo fideicommissam libertatem in testamento dominum adscripsisse proposuisset, CVPITVM SERVVM MEVM, CVM MARCIANVS FILIVS MEVS SEDECIM ANNOS IMPLEVERIT, RATIONIBVS REDDITIS LIBERVM ESSE VOLO: Marciano impubere defuncto, id est, intra XIIII. annum ætatis, quamuis condicio defecerit, eo tamen tempore, quo, si viueret, Marcianus sedecim annos impleret, libertatem deberi ait, idq; fauore libertatis B iamdudum receptum est. Ceterùm non video cur ponat Marcianum impuberem decessisse, vt libertatis condicionem defecisse ostendat, quandoquidem nec pubertas Marciani condicionem explet. cùm enim expectandus sit annus decimus sextus, sanè nō impletur condicio pubertate Marciani, sed anno ætatis decimo sexto. Igitur cùm ad pubertatem condicio non respiciat, sed ad decimum sextum ætatis annum, non intra pubertatem, sed intra præstitutam ætatem, Marciano mortem contigisse Scæuola scribere debuit. Sed videamus, an hîc error aliquis librario imputandus sit, qui scilicet in eo §. tribus in locis cùm hac numeri nota XIV. pubertatis tempus C designatum esset, non, vti debuit, eam pro Quattuordecim acceperit, sed pro Sedecim. Equidem profectò hanc libertatis condicionem fuisse credo, Cùm Marcianus filius meus quattuordecim annos impleuerit, vt & in l. vlt. eod. titul. & ideo Scæuola deinde scripsit impuberem decessisse filium, id est, intra præstitutam ætatem XIIII. annorum. Confirmat me eiusdem legis §. ab heredibus, in quo etiam pro Quattuordecim, perperàm librarium Sedecim scripsisse, ex his illius §. verbis, *Vsque in diem pubertatis*, liquidò constat. Confirmant me libri etiam scripti quos apud me habeo, in quibus vterque §. habet XIIII. non XVI. atque ea re sum omnibus studiosis auctor, D vt etsi editis Pandectis Florentinis, nihil ad Pandectarũ restitutionem præterea quicquam desiderandum esse plerique vociferentur, quotquot poterunt alias tamen quascumque manu scriptas Pandectas conquirant, certoq; iudicio earum scripturam expendant, & examinent? nec enim fidem habendam esse censeo his, qui ceteras omnes ex Florentinis dimanasse profitentur.

An in alienam voluntatem conferri legata possint. CAP. II. E

EGATVM ita rectè in voluntatem legatarij confertur, SI VOLET, quia condicio est: quod vno auctorum & interpretum consensu comprobatum est. An verò legatum in extranei voluntatem conferri possit, magna est quæstio. Videtur enim pugnare l. nonnumquam. D. de condic. & dem. cum l. senatus. §. legatum. D. de legat. lib. 1. & l. 1. D. de legat. lib. 2. Sed omissis interpret

A terpretum traditionibus, vt hæc verba, SI TITIVS VOLVERIT, dupliciter accipiam, inclinat animus. Aut enim his verbis totum testator in voluntate Titij posuit, vt is arbiter & quasi dator legati sit: & hoc fit inutiliter. l. nonnumquam. At hæc verba pro condicione accepit in hunc sensum, Si fortè acciderit aliquando, vt id Titius velit: & hoc non fit inutiliter. Æquè enim valet legatum, atque si obscuriori oratione sit res collata in voluntatem Titij: vtputa SI TITIVS CAPITOLIVM ASCENDERIT, & hoc ita Vlpianus tradit in l. 1. de legat. 2. In arbitrium, inquit, alterius conferri legatum, veluti condicio, potest. Quid enim interest, SI TITIVS CAPITO-
B LIVM ASCENDERIT, mihi legetur, an SI VOLVERIT, Veluti condicio, id est, quasi condicio, sed malim legere *Veluti condicionem.* Et ex eo quidem loco quod Vlpianus idem alibi tradit, legatum in aliena voluntate poni posse, sic accipiendum esse reor, vt in aliena voluntate quasi condicione legatum poni posit. l. senatus. §. legatum. Nam in l. fideicommissaria. 3. D. de fideic. libert. idem auctor ideo libertatem ita relictam, SI TITIVS VOLVERIT, deberi ait, quòd condicio potius sit scilicet, quàm legati dandi merum arbitrium: & huic condicioni eo etiam loco illam, SI TITIVS IN CAPITOLIVM ASCENDERIT, parem facit omnimodo.
C De legatario & extraneo, quæ dixi. De herede, quæ dicam. Duplex est arbitrium. Est liberum arbitrium. l. vtrum. §. cùm quidam. D. de reb. dub. quod & plenum dicitur in l. fideicommissa. §. sic fideicommissum. D. de legat. 3. & mera voluntas in l. si sic legatum. D. de legat. lib. 1. Est & arbitrium boni viri. Bonumvirum cùm dicimus, non iudicem dicimus, etiam si maximè is boni viri officio fungi debeat. l. ceteræ. §. 1. D. fam. ercisc. sed qualemcumq; omnibus virtutibus instructum & ornatum, iustum, fidum, innocentem, vt Cicero definiuit in lib. 5. Tuscul. & in 3. de Offic. In arbitrium heredis quasi boni viri legatum conferri potest. In plenum heredis arbitrium conferri lega-
D tum non potest, vtputa, SI VOLVERIT: ne sit in eius arbitrio quem testator obligare cogitat, an sit obligatus. atque ideo hæc etiam verba pro condicione non accipiuntur, nisi fauore libertatis, quemadmodum in initio l. fideicommissaria 3. D. de fideic. libertat. apertè demonstratur. namq; si libertas ita relicta fuerit, veluti sub condicione, non eo animo vt autor dandæ libertatis heres ipse solus existeret, SI HERES VOLVERIT, libertas debebitur statim vt heres annuerit. Ceterùm ita relictum legatum, SI HERES VOLVERIT, nec si pòst annuerit heres, debebitur: quoniam inutilis prorsus ea scriptura est. Sub alia condicione, licet obscurè legatum
E in heredis arbitrium conferatur, vtputa, SI HERES CAPITOLIVM ASCENDERIT, Nisi heres noluerit, vtilis scriptura est. l. 3. D. de legat. 2. l. fideicommissa. §. sic fideicommissum. de legat. 3. At nisi fauore libertatis hæc verba, SI VOLVERIT ad heredem relata per speciem condicionis numquam certè defendemus. Et in quæstione quidem ista, sententiæ huius esse me non pœnitet.

Emendata l. miles. D. de legat. lib. 2. CAP. III.

F MILES ad sororem epistolam talem scripsit, *Scire te volo donare me tibi aureos* DCCC. eamq; post mortẽ suam aperiri mandauit. Quæstionis est, an ex ea epistola fideicommissum sorori debeatur. Mouet, quòd nemo rogatur sorori dare, ac omnino fideicommisi verba deficiunt. At Papinianus in l. miles. D. de legat. lib. 2. fideicommissum deberi respondit, idemq; seruari in pagani voluntate. *Placet enim,* inquit, *consistere fideicommissum, ac si defunctus cum eo loquatur, quem precario remu-*
G *neratur.* Quæ verba inconcinna sunt: debuit enim potius sic scribere, *Placet enim consistere fideicommissum, ac si defunctus cum eo loquatur, quem precario rogat.* atque ita ipse aliâs legendum esse arbitratus sum. Ceterum inspecta re omni diligentius, & cum P. Fabro inuicto studiorum nostrorum comite communicata, sic potius eum locum restituendum esse animaduertimus, *Placet enim consistere fideicommissum, etsi defunctus cum eo loquatur, quem precario remuneratur.* nam & Constantinus ita vertit lib. 5. Epitom. εἰ καὶ μὴ πρὸς τὸν κληρονόμον, ἀλλὰ πρὸς ἐμὲ διελέχθη. Quamuis igitur defunctus

ctus cum fideicommissario loquatur, nō cum herede, consistere fideicommissum placet. Placet autem Imperatoribus vt indicat l. peto. D. eod. & hæc fuit Papiniani sententia, à qua etiam facit quod in hunc modum Paulus lib. 4. senten. scribit, *Qui fideicommissum relinquit, etiam cum eo cui relinquit loqui potest, veluti,* PETO CONTENTVS SIS ILLA RE: *aut,* VOLO TIBI ILLVD PRAESTARI. A

Vti concilianda sit l. quid tamen. D. de contrah. empt. cum l. cum ab eo. §. vlt. eod. tit. CAP. IIII. B

SI contrahentes in materia dissentiant, nulla emptio est. Materiæ, substantiæ, οὐσίας, qualitatis nominibus promiscuè vtimur. l. in venditionibus. l. quid tamen. D. de contrah. empt. l. si sterilis. §. quamuis. D. de act. empt. Id verò ita procedit, si verbi gratia vnus æs vendere, alter emere se aurū existimauerit. Quid igitur fiet si & hic se aurum vendere, & emere ille existimarit, cùm æs esset? quo casu errat quidem vterque in materia, & pro auro æs accipit, dissentiunt tamen inter se ipsi nullo modo, quandoquidem qua de re vendenda venditor, de eadem etiam emptor emenda sentit. Denique errant in materia, dissentiunt inter se non item. Verùm placet non dissensu tantùm, sed hoc etiam errore vitiari emptionem. At rursus quid fiet, si vterq; aurum esse putet id, quod ex magna parte aut æneum est aut argenteum, id est, si aurū ærosum vel argētosum (his nominibus in hac significatione vsi sunt Plinius lib. 33. cap. 5. & Scæuola noster in l. creditor. D. de solut.) pro auro purissimo accipiat? Et Vlpiano placet emptionem valere in d. l. quid tamen. quòd res quæ ematur, auri aliquid habeat, atque ideo quòd non omnino erratum sit in materia. Eademq; ratione si inaurata vel inargentata pro aureis vel argenteis væneant, emptionem valere putant. Vtitur exemplo viriolæ quæ aurea dicebatur, ad licitationem à coheredibus deductæ & vni addictæ, quæ postea inuenta sit magna ex parte ænea. Est autem Viriola, ornamenti genus. Credunt quidam apud M. Tullium in 3. de Nat. deorum, cùm de Dionysio tyranno loquitur, pro *Victoriolas*, legendum *Viriolas:* quamquam Valer. Max. lib. 1. cap. 2. Victorias ediderit. Ceterùm Vlpiani sententiæ proximum est, quod traditur in l. in venditionibus. & l. prox. eod. tit. emptionem valere, si aurum deterrimum pro optimo væneat, vel si vinum in acorem versum pro incorrupto vino væneat. nam & his omnibus casibus non omnino erratur in materia. Sed si aurichalcum pro auro, stannum pro argento, embamma, id est, τὸ ὄξος σκευαστόν pro vino væneat, sanè quia omnino in substantia erratur, nulla emptio est. Vlpiani sententiæ opponi solet l. cùm ab eo. §. vlt. D. eod. titul. & explicari etiam totum id hoc modo solet, vt ideo nulla sit emptio mensæ argento coopertæ & pro solida emptæ, quòd id fuerit actum nominatim inter contrahentes vt solida mensa esset ex auro. Quod etsi præter legis mentem & verba comminiscitur Accursius, tamen vt maximè id actum fuerit nominatim, inuenio non ideo minus emptionem valere. Semper enim id agi intelligitur, atque adeo semper pro cauto habetur. l. cum quid. D. de reb. credit. nec tamen ideo Vlpianus emptionem valere negat. Reliquæ Accursij explicationes, vt sunt ineptæ, ita omnium improbatione reiiciuntur. Ego separanda esse puto inaurata vel inargentata ab eis quæ auro vel argento cooperta sunt. Illis aurum vel argentum immixtum & infusum est, & ideo qui rem inauratam emit pro aurea, non omnino errat in materia: namque in ea inest auri aliquid. His autem quæ argento cooperta sunt, argentum infusum vel immixtum non est: & ideo qui mensam ligneam argento coopertam pro argentea emit, omnino errat in materia. mensa enim nulla ex parte argentea est, sed operimento dumtaxat laminæ vestita est, vt de quadam Tib. Cæsaris mensa lignea locutus est Plinius lib. 13. cap. 15. vel inclusa argento, vt est in l. legata. D. de sup. leg. & ita ipse l. quid tamen, cum §. vlt. l. cum ab eo, in concordiam esse adducendam reor. C D E F G

Deesse negationem in P. Florentinis in l. si sterilis. §. quamuis. D. de act. empt. CAP. V.

OPER

A

PERAEPRETIVM est explicare an ita rectè absque negatione in Pandectis Florentinis scripta sit l.si sterilis.§.quamuis.D.de act.emp. *Quamuis suprà diximus, cùm in corpore consentiamus, de qualitate autem dissentiamus, emptionem esse.* Et quidem opinor in aliis codicibus meritò negationem addi:namq; nullo in loco superius dictum est, emptionẽ esse: quinimmò dictum est emptionem non esse, quoties in materia erratur.l.in venditionibus.l.quid tamen.D.de contrah.empt. Qualitas autẽ pro materia accipitur in §.quamuis.vt ex proposito exemplo de eo qui emens
B alterius materiæ mensas, emere se citreas putauit, satis vt arbitror liquet. Ideoq; illa verba, *Quamuis suprà diximus,* putem esse referenda ad l.in venditionibus. & l.quid tamen. non ad Pauli libros: quemadmodum & in l.si in emptione. §.liberum. D.de contrah. empt. eadem ferè verba referuntur ad l.nec emptio. eod.tit. & in l.impuberem.§.item non continetur.D.ad leg.Cornel.de fals.ad l.Diuus.§. item Senatus. eod. tit.proinde Triboniani videtur esse, non Pauli. Quamuis autem nulla sit emptio, cùm in materia siue qualitate dissentiunt, tamen, auctore Paulo, emptori ex empto datur actio in id quanti interest se deceptũ non esse, veluti si mensas quasi citreas emat, quæ
C cupressinæ sunt.nam cupressinarum quidem nulla emptio est, & condictione indebiti vel sine causa pretium quod soluit emptor potest repetere. l.suæ rei.l.domũ. l.cum ab eo.§.vlt.D.de contrah.emp.l.cùm hereditatẽ.D.de heredit.vend.sed ex empto etiam actionem habet in id quanti se deceptum non esse interest: qua actione Paulus ait & ignorantem emptorem teneri:quod ex l. Labeo lib.posteriorum.D.de contrah.emp. sic necessariò explicandum est, vt sciens in id omne quod interest teneatur, ignorans non nisi mensarum citrearum nomine.cui simile est quod de loci sacri emptione traditur in l.hanc legem.& l.prox.& l.qui officij.§.1.D.eod.tit.Fuêre autem citreæ men-
D sæ magno in pretio, vt Plinius indicat in lib.13.cap.15.cuius capitis hic est titulus.De Atlantis arboribus & cedrinis mensis.Sed cùm in lib.1.legatur *citreis*, non *cedrinis*, & cùm Tertullianus in lib.de pallio, mensam à M.Tullio emptã, cuius in eo capite meminit Plinius, orbem citri appellet, me non pœnitet sententiæ G.Philandri esse, qui emendat in Plinio citreis, citri, & citrum. Citri arbores sunt frugiferæ. Cedri sunt, vt Sudas scribit, δένδρα ὑψίκομα καὶ ἄκαρπα, ἃς ἀπεικάζει Δαβὶδ τὴν εἰδωλολατρείαν. Hæ igitur inter se appellationes confundendæ non sunt. Et hæc sufficiant ad §.quamuis.

E

Explicatio eorum quæ continentur in l.cum aurum. §.si cui escarium. D.de au. & arg.leg. CAP. VI.

SCARIO argento legato, lex ea, quam huius capitis inscriptio indicat, id solum deberi ait quod ad edendum & potandum in ministerio testator habuit. Proinde argento escario legato, & potorium legatum videri, vt & l.pediculis.§.quidam.D.eod.tit. Etiam illud ad-
F iungit, Aquiminarium argentum legatum videri: nam & hoc propter escam paratur.In aquiminario autem argento numerantur vasa aquaria argentea.l.in argento.§.vlt.eodem tit. l.3.de suppel.leg.At Cocinatorium instrumentũ escario contineri negat.&in cocinatorio instrumento numerat cacabos & miliarium & sartaginem, & alia vasa ad coquendum comparata: vbi Cacabus est in, quo pulmentarium coquitur, Miliarium verò malè Beroaldus & Nebrissensis & Accursius vas esse tradunt ad milium coquendum, sine vllo auctore. Probarim id potius quod Athenæus lib.3.δειπνοσοφιστῶν scribit, τὸ μιλιάριον καλούμενον ὑπὸ ῥωμαίων τὸ εἰς θερμοῦ ὕδατος κατεργασίαν κατασκευαζόμενον. & sane Miliarium cocinatorium nihil
G est aliud, quàm aënum in quo aqua ad potandum calefit. l.cum de lanionis. §. item cacabos. D.de instr.vel instrum.leg. sed in balneatorio instrumento Paulus miliaria etiam numerat, in quibus ad lauandum aqua calefit lib.3.Sentent.tit.9.Aënum etiam id in quo aqua calida lauatur olea.l.sed addes.§.item aënum. D.loca. miliarium appellari potest. Denique aënum siue miliarium vas est, in quo aqua calefit: & ideo in l.si venditor. §.vlt. D.de action.empt. de fistulis est quæstio, quæ ducunt aquam in

aënum, id eſt, miliarium : quod quia in emptionem domus non cedit, ideo nec eius A
cauſa comparatæ fiſtulæ accedere videbantur. Ceterùm vt redeamus ad rem, id certè conſtat ex §.ſi cui eſcarium, aliud eſſe argentum eſcarium vel eſcale, aliud potorium, aliud aquiminarium, aliud cocinatorium: & in eſcario potorium & aquiminariũ etiam contineri, non cocinatorium. Ex quo apparet quanta fuerit veterum Romanorum luxuria, qui vſi ſint cocinatoriis quoque inſtrumentis ex argento : qua de re ſcribit Plinius lib. 33. cap. 11. Caluum Oratorem eſſe queſtum. Lampridius tamen Heliogabalum cacabos argenteos primum habuiſſe refert. Vaſa cocinatoria, in P. Flor. & Cocitatoria dicuntur in l. penult. D. de penu leg. vbi certè malim Cocinatoria, vt eſt in B
aliis codicibus.

Explicata & emendata l. ſtatuliberi à ceteris. §. quintus. D. de ſtatulib. & complures aliæ. CAP. VII.

QVOD ſuperiore libro ſum pollicitus fore vt in hoc explicarem §. quintus. l. ſtatuliberi. D. de ſtatulib. tẽpus eſt iam id hoc in capite præſtare. Lex ita patremfa. in teſtamento ſcripſiſſe ponit, SI ANDRONICVS SERVVS MEVS HEREDI MEO DEDERIT DECEM, LIBER ESTO: vbi loco, *decem*, credo legẽdum XX. quòd paulò pòſt duobus in locis XX. ſtatuliberũ dediſſe ponat, & ita etiam quidam ſcripti libri habent. Verùm illo modo data libertate, lex ait de bonis ortam eſſe controuerſiam : & qui ſe lege ab inteſtato heredem aiebat eſſe, eum quidem egiſſe petitione hereditatis : poſſeſſorem verò, ex teſtamento heredem ſe dixiſſe, ac tandem ſecundùm eum fuiſſe dictam ſententiam, qui ſe teſtamento heredem eſſe D
aiebat. Vbi loco etiam horum verborum *Qui teſtamento*, legendum videtur, *Qui lege:* quandoquidem ſtatim lex ait contra poſſeſſorem iudicatum, poſſeſſorem victum hereditatis petitione, is autem fuit ſcriptus heres : item viciſſe legitimum heredem, victum fuiſſe heredem ſcriptum, dictam ſententiam ſecundùm heredem ab inteſtato. Vnde liquidò apparet ſic illo in loco legendum eſſe, *Secundùm eum ſententia dicta erat, qui lege aiebat ſe heredem eſſe.* Hinc deinde, vt ait lex, Andronicus quærebat ſi ipſi, id eſt, heredi legitimo XX. dediſſet, quoniam ſecundùm eum ſententia dicta eſt, futurúſne liber eſſet : quod certè non quæreret, ſi ſcripto eidemque victori E
dediſſet, quia tum proculdubio conſtat eum liberum fieri. Proinde hoc dumtaxat Andronicus quærit, qui teſtamento iuſſus eſt heredi XX. dare & liber eſſe, vtrùm legitimo heredi dando qui vicit hereditatis petitione, ad libertatem perueniat, an qua vicit ille ſententia nihil ad eam rem valere videatur. Et quamuis Mucij ſuppreſſa ſit ſententia, videtur tamen in id inclinare, vt ad libertatem Andronicus peruenerit, vtque legitimo heredi, ſecundùm quem dicta eſt ſententia, omnimodo dari pecunia debuerit : namque ideo mox Andronicum ait ſcripto, contra quem pronuntiatum fuit pecunia data, non fore liberum. Sententia igitur hac in re ius facit, & F
ei qui vicit ſtatuliber non heredi ſcripto dare debuit. Sed hæc ita vera ſunt, quemadmodum Labeo tradit, ſi re vera petitor heres eſſet legitimus. Alioquin liberum fore Andronicum, etiam ſi victo is, non victori pecuniam dediſſet, videlicet ſi per imprudentiam iudicis aut errorem aut iniuriam poſſeſſor hereditatis verus heres teſtamentarius victus eſſet. Tum ex Ariſtonis reſponſo ita concluditur verius eſſe, Andronicum fieri liberum, quamuis non ſcripto dederit ſed victori, videlicet etiam ſi re vera victor heres ab inteſtato non fuerit. Denique Andronicum liberum fieri, ſiue ſcripto contra quem ſententia dicta eſt, iam ante dederit : ſiue poſt ſententiam, victo- G
ri. In hoc tamen victori poſſeſſorem victum teneri, vt acceptam à ſtatulibero pecuniam reſtituat, quaſi ex hereditaria cauſa perceptam. Ergo qui dat victori, liber fit: qui iam ante dedit heredi ſcripto, & poſtea victo, re contra teſtamentum iudicata æquè fit liber. Quod autẽ in ea lege traditur de XII. tabulis, & ab interpretibus perperam explicatur, eius vera interpretatio aſſumenda eſt ex his quæ ſcribit Vlpianus in fragmentis tit. de ſtatuliberis, vbi etiam memini me hanc legem non prætermiſiſſe. Præterea in

A in extremo legis sic ex ipso autographo Pandectarum Florentinarum admonui legendum esse in l.numquam.D. de vsurpat. & vsucap. *Cum ceteris an quoque pecuniam:* vt in l.si totam.D.de adq.her. *Si totam an partem. An* pro *Eam.* & miror cur vt in l. si totam, in hac quoque typographi autographon secuti non sint.&,quando mihi nunc hoc etiam in mentem venit,eosdem minus fero, cùm in Pand. Florentinis in l.proinde. D.de reb.credit.scriptum sit *Adquoisitum,* excudentes *Appositum,* manifesto mendo : cuius tamen Hugonem à Porta Lugdunensem typographum ab aliquo admonitum fuisse, Pandectæ, quas non ita dudum excudit, satis indicant. Ceterùm iis B quæ eliciuntur ex §. quintus. de libertate, vt re secundùm heredem legitimum iudicata, ea nihilominus impleta condicione Andronico competat, opponitur l. 3. D.de pign.cui multæ aliæ consimiles adiunguntur, ex quibus hoc efficitur, Victoriã legitimi heredis legatariis & libertatibus nocere, siue sciuerint, siue ignorauerint heredem scriptũ de re litigare, præterquàm si collusum sit, ex constitutione Antonini Pii, vel si heres præscriptione superatus sit, ex constitutione fratrum. Quòd si per iniuriam iudicis superatus sit, iniuriam ei factam verius est legatis & libertatibus nocere: alioqui nulla erit differentia inter creditorem & legatarios, eósve qui libertatem acceperunt, quod Pa- C pinianus negat in d.l. 3. & ideo putem in l.si seruus plurium. §. 1. D. de legat. lib. 1. negationem abundare, ac legendum ita, *Iniuria ei facta nocebit legatariys.* Nocebit autem, si secundùm heredem legitimũ fuerit iudicatum, non item si secundùm substitutum, quoniam substitutus est successor testamentarius. Ergo duobus dumtaxat casibus exceptis ex constitutionibus, victoria legitimi heredis ceteris omnibus nocet: quæ sententia pugnat cum hoc §.quintus. & cum l. 1. infrà de except.rei iudic. Porrò autem in hoc §.ideo libertas competit, quòd ita hæc data sit, Si heredi x x. dederit, atq; ideo siue dederit scripto ante sententiam, statim liber fit, quia heredi dedit, siue le- D gitimo post sententiam, quia & hoc casu verum est eum heredi dedisse, vel potius quia vt in persona emptoris ex x i i.tab. hæc cõdicio ab statulibero impleri potest, ita & in persona victoris, vel alterius qui dominium in eo sit adeptus. l.si statulibera. §.statuliber. & §.prox.de statuliberis. Igitur sententia secundùm heredem legitimum data, relictæ sub hac condicione libertati nihil officere poterit. Alia verò lex de except.rei iudic.sic accipiẽda est si de legato actum sit, & ideo ceciderit legatarius, quòd ruptum vel irritum diceretur testamentum, non item si pro herede legitimo de hereditate iudicatum fuerit: id quod legis extrema verba indicant. quam sententiam secutus est E Accursius in l.Papin. §.vlt. D.de inoffic.testam. & mihi probatur, eo maximè quòd in Pandect.Florent. in d.l. 1. scriptum sit, *Vel legato:* vnde coniecturam facio legendum, *De legato.*

Sublatum mendum ex l.humilioribus. C.de suscept.præpos. & arcar.

CAP. VIII.

F HONORIVS & Theod. in l.pen.C.de suscept.præpos.& arc.ne à publicis muneribus decuriones reuocentur, eos humiliora officia vel extraordinaria onera subire nolunt, & exemplum apponunt susceptionis vestium militarium, quam æquum nõ esse aiunt vti decuriones ipsi obeant: multo autem æquius esse vt militariũ vestium, quæ scilicet à prouincialibus conferuntur, vt apparet ex titul.de militar.vest.sint susceptores ipsi milites cohortales, qui sunt in officio proconsulari, vel qui in eodem proconsulari officio meruerunt. Horum namque, inquiunt, interest huiusmodi explorare rationem, & quærere qualitatem eorum, quorum ad constituendum commodior G cura est. Vbi quid sibi hæc verba vellent, *Ad constituendum,* diu multumq; dubitaui: postea verò quàm in Codice Theodosiano scriptũ legi, *Ad contuendum,* statim sum suspicatus legendum vtroq; in loco *Ad consuendum,* hoc sensu, vt cohortalium officiorum & militum maximè intersit rationẽ vestium explorare, & quærere qualitatem eorum qui consuendis vestibus operam cõmodiùs daturi sint: neq; enim æquum esse, vt qui lucra vestium sentiant, hæc onera non ferant. Vestium igitur erunt susceptores

ipsi milites non curiales, nisi fortè quidã ex eis in officio proconsulari fuerint, aut nunc A
etiam in eo sint, publici muneris euitandi gratia. Sunt aliæ mendorum tenebræ ingenteis in postremis tribus Codicis Iustiniani libris, quibus, faciente Domino, speramus aliquando nos clarissimum lumen prælaturos.

Explicata & emendata l. in agris. D. de adquirend. rer. dom. CAP. IX.

LIMITES sunt in agris limitatis, qui populo iter præbent ex lege Sempronia, Cornelia, & Iulia, & ideo in modum agri non cedunt limites. l. id quod. §. 1. D. de peric. & com. rei vend. ex eis alij sunt Decumani Maximi, qui fiunt ab Oriente in Occidentem, alij Cardines B
Maximi, qui ex trãsuerso currũt. alij actuarij, alij subrunciui. Decumani, ex Augusti constitutione, pedes XL. Cardines, pedes XX. Actuarij, p. XII. Subrunciui legitimam viæ latitudinem, id est, pedes VIII. habent, auctore Hygeno in lib. de limit. constit. His limitibus quoniam diuisi & circumscripti sunt agri limitati, ideo in eis ius alluuionis cessat, vt ostendi in lib. 2. Inst. tit. de rer. diuis. nec possunt incrementum vel ex alluuione, vel ex insula in flumine nata suscipere. l. 1. §. si insula. D. de flumin. Quinimmò insula in flumine nata non eorum fit qui prope ripam C
limitata prędia possident, sed occupanti cedit. Ait verò Trebatius, auctore Florentino in l. in agris. D. de adquir. rer. dom. agrum limitatum nõ eum esse qui hostibus deuictis ea condicione concessus sit, vt in ciuitatem veniret. hic est ager per extremitates mensura comprehensus, qui ciuitati totus assignatus est per vniuersitatem, vt, auctore Iulio Frontino, in Lusitania Salmaticensibus, & in Hispania citeriore Palantinis, & ita in compluribus prouinciis tributarium solum per vniuersitatem populis definitum est. At eum, vt Florentinus scribit, agrum Trebatius ait esse limitatum, qui expulsis hostibus D
manu captus est. & hunc ideo limitari solitum, vt sciretur quid datũ, id est, quid victori militi veteranoq; assignatum esset, item vt sciretur quid vænisset (prædia enim capta partim assignabãt, partim distrahebant. l. Lucius. D. de euict.) item vt sciretur quid in publico relictũ esset. vbi liber scriptus, qui est apud me, habet, *Quid ve p. relictum esset.* vnde suspicor legi debere, *Quid veteri possessori relictum esset:* nam agro ex hoste manu capto, plerumq; veteri possessori vel totus ager, aut pars aliqua reddebatur: & relinquebatur honoris causa, vt ait l. item si verberatum. §. item si fortè. D. de rei vindic. E
quod sic explicat Siculus Flaccus in lib. de condic. agrorum. Nec tamen omnibus, inquit, personis victis ablati sunt agri: nam quorumdam dignitas, aut gratia, aut amicitia victorem ducem mouit, vt eis concederet agros suos. Reddita verò veteri possessori, apud Valerium Probum in legibus & plebiscitis inuenio his notis signari, V. P. R. ex quibus in l. in agris errorem creatum opinamur, quod & in limitum inscriptionibus ita fuisse annotatum Siculus, Aggenus, Hygenus tradunt. Suet. in Domitia. Subcesiua quę diuisis per veteranos agris carptim superfuerunt, veteribus possessoribus vt vsucapta concessit. F

Quæ sit sententia l. quotiens. C. de precib. Imper. offer. CAP. X.

SOLENT in Gallia rescripto principis petẽtibus egenis debitoribus induciæ tribui, anni aut biennij aut quinquennij. quod videtur originem habuisse ex l. vniuersa. C. de precib. Imp. offer. & l. vlt. C. de cess. bon. idemq; Theodericum Italiæ & Gotthiæ regem obseruasse Cassiodorus lib. 2. Variar. ostendit, his verbis, Sed quoniã lapsos, inquit, G
nihil reuelasse proficit, si onus aliud solutionis accedit, qui memoratis negotiatoribus noscuntur mutuasse pecuniam, celsitudo tua faciat admoneri, ne in hoc biennij spatio quicquam de credita summa æstiment postulandum: quatenus sub induciis supradictis & datam possint reparare pecuniam, & aliquatenus debitorum valeat respirare substantia. Sunt verò qui ad hunc debitoribus dandarum induciarũ morem putent etiam pertinere l. quotiens. C. de precib. Imper. offerend. quod

A ipſe, quamuis Accurſius & Anianus interpres Codicis Theodoſiani, & complures alij ſe ita exiſtimare tradãt, mihi perſuadere nullo modo poſſum. Nam lex ait moratoriam præſcriptionem remitti poſſe, peremptoriam conuelli, relaxari nõ poſſe. Quod, ſi vera eſt illorũ traditio, ſic erit accipiendũ, vt moratoria remitti, id eſt, concedi poſsit, peremptoria conuelli & relaxari, id eſt, concedi nõ poſsit: qua interpretatione nihil eſt abſurdius. Probandam equidem cenſeo ſecundam interpretationem Accurſij, vt ſi debitori cõpetat pręſcriptio dilatoria vel moratoria, vt puta pacti cõuenti, ne intra quinquẽniũ
B petatur, hęc creditori ſuum perſequenti ante quinquennium remitti & relaxari poſsit: peremptorio exceptio non itẽ, vt puta pacti conuenti ne vmquam petatur. Neq; obſtat l. ſi ante. C. de pact. inter empt. & vendit. comp. nam venditor qui poſtulat, vt ſibi poſt conſtitutum diem offerre pretiũ emptori & venditionem reſoluere liceat, iam non dilatoriam, ſed peremptoriam præſcriptionẽ remitti poſtulat: quandoquidem venditori poſt diem offerenti rectè ita præſcribetur, *μὴ εἰσαγώγιμον εἶν τὴν δίκην ὡς τῶν χρόνων ἐξηκόντων ἐν οἷς ἔδει τὸ τίμημα ἀποδοῦναι.* atque hoc ſatis, vt opinor, liquet.

C *Interpretatio §. Callimachus. l. qui Romæ. D. de verb. obligat.*

CAP. XI.

NVNC de ſpecie §. Callimachus. l. qui Romæ. D. de verb. oblig. loquar. Ea verò eſt de nautica pecunia: cuius condiciones eæ ſunt, vt eius pecuniæ vſuræ debeantur ex pacto, vt grauiſsimæ vſuræ debeantur, vt creditor vſque ad certum locum, vel ad certam condicionem, vel ad certum tempus, vel vt omne itionis & reditionis periculum ſuſtineat. & eſt huiuſmodi ſpecies, Callimachus mutuam pecuniam
D nauticam accepit à Beryto in Brenteſium in omnis nauigationis dies ducentos, & à Brenteſio in Berytum, ſi intra Idus Septembreis Callimachus à Brenteſio ſoluiſſet: & in eam rem pignori cauit eſſe merces quas Beryto comparaſſet, quasq; Brenteſio redempturus eſſet: quo in pignore ipſe didici priuilegium habiturum creditorem, propterea quòd merces Brenteſium illatæ, pecunia eius comparatæ ſunt. l. licet. C. qui potior. in pignor. hab. quarum condicionem par eſt ſequi merces Bretenſio reparatas & redemptas. l. cùm tabernam. D. de pignor. Verùm ideo addita fuit illa condicio, vt in-
E tra Idus Septemb. Callimachus à Brenteſio ſolueret, quòd imminentis brumæ tempore magnum ſit ab vniuerſo naufragio periculum. l. ciuitas. C. de offic. rector. prouinc. l. vtique. §. vlt. D. de rei vindic. l. litus. 1. de verb. ſignific. l. ſuus. §. puto. de hered. inſtit. quod Pleiadum occaſus indicat, & hoc Andr. Alciatus etiam attigit. Ceterum ſi intra Idus Septemb. Brenteſino portu Callimachus non ſolueret, Eroti ſeruo, nauticæ pecuniæ gratia ſecuto (mitti enim ſolebat à creditore ſeruus qui pecuniam tempore ſtatuto exigeret, atque pro ſerui operis & ſumptibus in ſtipulationem certa ſumma deducebatur. l. nihil. §. pro operis. D. de naut. fœn. l. traiectitiæ. D. de oblig. & act.) placuit
F vt continuò ſortem cum vſuris & ſerui ſumptibus reſtitueret Callimachus. Hęc autem omnia Callimachus cauit Sticho ſeruo L. Titij, quem & Seium appellat Scæuola in §. Callimachus. ex conſuetudine Iuriſconſultorũ, qui promiſcuè his nominibus C. Seius, L. Titius vtuntur, pro quibuslibet perſonis, vt philoſophi, Socratis, Dionis, & Theonis: quod his verbis Plutarchus *ἐν τοῖς ῥωμαϊκοῖς* adnotauit quæſt. XXIX. *διὰ τί τὴν νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, ὅπου σὺ Κάϊος ἐγὼ Καΐα. τοῖς δὲ ὀνόμασι τούτοις ἄλλως κέχρηνται κοινοῖς οὖσιν, ὥσπερ οἱ νομικοὶ Κάϊον Σήϊον καὶ Λούκιον Τίτιον, καὶ οἱ φιλόσοφοι Δίωνα καὶ Θέωνα παραλαμβάνουσι.* & hunc morem etiam Tertullianus in Apologetico ſecu-
G tus eſt, Bonus, inquit, vir C. Seius, ſed malus tantùm quòd Chriſtianus. Ego Lucium ſapientem virum repente factum Chriſtianum defero, &c. Sed quæ naſcatur ex illa ſpecie quęſtio, videamus, Si Brenteſino portu ſoluerit Callimachus ante Idus Septembres ſecundum legem conuentionis, ſed eo tempore quo iam pecuniã Brenteſio Eroti reddere deberet, id eſt, cùm prope inſtarent Idus Septembres, quęſitũ eſt, an ſubmerſa naue poſt Idus, ad creditorem ideo pertineat periculum, quòd Callimacho, cùm non longè abeſſent Idus Septembres, nauigationem inſtituenti Eros conſenſiſſet. Scæuola

negat periculum ad creditorem reſpicere,& meritò:non fuit enim vlla Eroti talis da- A
ta poteſtas inopportunæ nauigationi conſentiendi: denique poſt diem nauis amiſſa
eſt. l.fœnerator. D.de naut.fœn.& paria ſunt, poſt Idus nauem ſoluere, ac tum ſolue-
re cùm iam intra ſtatuta tempora nauis Berytum peruenire non poteſt.l.cùm ſtipula-
tus ſim. D.de verb.obligationib. At vulgò ita legitur in §.Callimachus, *In nauem mi-
ſiſſet eo tempore.* Ego iam dudum in vetuſtis libris, quos fidei meæ teſtandæ cauſa ne-
minem celabo, ita ſcriptum reperi, *In nauem miſiſſet ſet eo tempore quo iam pecu-
niam Brenteſio reddere Romæ perferendam deberet:* vt Iam articulus ſignum ſit tardi- B
tatis, quoniam eo tempore certum erat ante Idus nauigationem confici non poſſe.
Sic verò ſæpe in P.Florentinis extrema vnius dictionis repetenda eſt ſyllaba, vt & ali-
bi adnotaui. Tum verò deinde in eo.§.quæritur, quid fiat ſi poſt Idus nauem ſoluen-
ti Callimacho Eros conſenſerit: quod fruſtra quæri videtur. nam ſi periculum credi-
toris illo caſu non eſt, & hoc etiam caſu erit multo minus. Sed ſeruo data hoc caſu
fuit proferendi temporis poteſtas, & ideo non abs re quæritur, an ſubmerſa naue ob
ſerui conſenſum ipſo iure dominus actionem ex ſtipulatu amiſerit. Reſpondet Scæ-
uola ipſo iure actionem domino dari, ſed exceptioni locum fore, ſi ſeruo datum eſſet
arbitrium, id eſt, cùm ſeruo id in mandatis datum eſſet. Atque hæc de §.Callimachus C
ſatis ferè diximns.

De taxationis verbo quod proprium eſt Iuriſconſultorum, & locus M.Catonis emendatus. CAP. XII.

TAXATIONIS nomine leges, vti Iuſtinianus auctor eſt in Nou.
LXIII. & Nou. LXXXII. ἀντὶ τῆς ῥητῆς ποσότητος ὁριζομένης παρὰ
τοῦ δικάζοντος, id quod plerumque fit iuriſiurandi in litem refrenandi D
cauſa.l.videamus.§.penult.D.de in lit.iur. l.3.§.præterea.D.ad exhib.
l.arbitrio. §.1.D.de dolo. l.qui reſtituere.D.de rei vindic. vel auctore
Sext.Pompeio cum arbitro præſcribitur vſque ad quam ſummam
ius ei ſtatuendi ſit. Taxationes etiam dicuntur in teſtamentis & in contractibus, præ-
ſcriptiones quædam verborum quibus oratio aut coërcetur, aut dilatatur. nam ple-
rumque taxationes efficiunt, vt minus quàm dictum ſit debeatur: vt ecce ſi quis ven-
dat x. pondo olei quod natum erit: ſunt hæc verba, *Quod natum erit,* loco taxa- E
tionis: & ideo x. pondo emptori, niſi nata ſint, non debebuntur: & ſiquinque dum-
taxat nata ſint, hæc ſola debebuntur. l.ſi debitor.§.veriſimile. D.de contrahen. empt.
cui, vt & inſcriptionum ſimilitudo ſuadet, optimè l.cum certus. D.de trit.vi.& ol.le-
gat. coniungetur. Nonnumquam vt plus debeatur quàm dictum fuerit: quemadmo-
dum ſi quis vendat XVIII. iugera fundi, & quod eius admenſum eſſet, ad ſingula
pretium conſtituat: ſunt hæc verba, *Quod eius admenſum eſſet,* loco taxationis: &
ideo XX. inuentis, pro XX. pretium debebitur. l.qui fundum. §. qui agrum. D.de
contrah.empt. Sic alibi traditur, hæc verba, *Quidquid ad te peruenit,* haberi loco taxa- F
tionis, & nihil ex eo quod peruenit prorſus deduci, diſſimiliter atque ſi vir vxori do-
tem relegaſſet. l.Mæuio. §.vlt. D.de legat.lib.2. Inuenio etiam quod veteres in vino
diis offerendo erant ſoliti dicere, *Macte vino inferio eſto,* taxationis habuiſſe vim:
atque ita cenſuiſſe Trebatium ſcribit Arnobius lib.7.aduerſus gentes. Inferio, inquit
Trebatius, verbum ea cauſa eſt additum, eaq; ratione profertur, ne vinũ omne omni-
no quod in cellis atq; apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur prom-
ptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex vſibus eripiatur humanis. Addito igitur hoc ver-
bo, ſolum erit, quod inferetur, ſacrum. Ex eo autem Arnobij loco ſanè quàm elegan- G
tiſsimo, corrigendus alter eſt M. Catonis in libro de Re ruſtica, vbi Iano ita vinum
dari ſcribit, *Iane pater, vti te ſtrue commouenda bonas preces bene precatus ſum, eiuſ-
dem rei ergo macte vino inferiori eſto:* Et Ioui ſic, *Iuppiter macte fercto eſto, macte
vino inferiori eſto.* Nam pro *Inferiori,* legendum omnino eſt *Inferio:* quod verbum
taxationis cauſa, vti dictum eſt, adiicitur. Atque ita deus ab illis, addita taxatione,
colebatur.

Reſtit

A

Restitutum Alytarchiæ nomen in l. 1. C. de offic. Com. Orien. & in l. 2. C. de cupreßis. CAP. XIII.

Ex prima C. de offic. com. or. à Leone Augusto scripta est, non vt vulgò legitur ad Vseum, sed ad Puseum præf. prætorio, vt & l. 3. C. de his qui spon. mun. suscip. qui etiam eo anno consulatum gesit cum Ioanne, quo Anthemium Occidentis imperatorem Leo fecit. Constituit autẽ in ea Leo, vt quæ deputata sunt Lyciarchiæ & Syriarchiæ
B ludis in prima Syria (hæc est Syria quæ dicitur Salutaris) tam per officia comitis orientis v. s. quàm præsidis Syriæ v. c. exigantur: vtq; ludi Lyciarchiæ comiti, Syriarchiæ præsidi curæ sint, & ne curiales hæc munera etiam sua sponte suscipiant. Verùm cùm Asianæ, non Orientis diœceseos Lycia sit, vti constat ex Notitia Rom. Imp. quî fieri potest vt cura Lyciarchiæ ad comitem orientis pertineat? Itaque rectius vet. libri pro Lyciarchiæ, duobus in locis habent Alytarchiæ. & ita ille locus purgandus est. Fuit Alytarcha sacerdos Antiochiæ in Syria, sic dictus quòd ludis
C qui fiunt in honorem deorum τοῖς ἀλυταῖς, id est, mastigophoris præsit, auctore Phauorino. Inde sacerdotium ipsum Alytarchia dicitur, ea forma qua & Asiarchia, Bithyniarchia, Cappadocarchia, Phœnicarchia, Syriarchia, & his similia sacerdotiorum & flamonium nomina. l. 1. C. de natural. lib. l. ἐάν δύο. §. ἔθνους. D. de excusa. tut. l. 2. C. Th. de exp. lud. Fuit autem olim Alytarchæ permissum ex luco Daphnensi, qui est in suburbiis Antiochenæ vrbis cupresis densisimus, vnam cupressum excindere, plures plantare. l. & more. C. Th. de iu. fisci, quod nominatim abrogatur in l. 2. C. de cupresis siquidem in ea sic legendum est, *Sed nec Alytarcha vnam cupreßum, alijs plantatis, excidere sibi licere contendat.* & ita cùm me eum locum Cadurci emendantem Ant.
D Loiselus fortè audiisset adolescens doctisimus, codicem deinde mihi dedit, in quo vti proposui, ea lex clarisimè perscripta est. Restat vt, cùm fuerit à me superius restituta inscriptio l. 1. C. de offic. com. or. restituatur etiam subscriptio ex vet. lib. in hunc modum, DATA V. ID. NOVEMB. CP. BASILISCO ET ARMERICO COSS.

De regionibus vrbis Romæ & regionibus Italiæ ac suburbicarijs, & explicata l. 1. §. penult. D. de offic. præfe. vrbi. CAP. XIIII.

E

Regiones antiquæ Romæ XIIII. fuisse indicat l. 3. in princ. D. de offic. præf. vigil. Totidem & nouæ Romæ, id est, Constantinopoleos fuisse ostendit Notitia Romani imperij. De regionibus antiquæ Romæ, sunt qui putent accipiendum id esse quod Vlp. ait in l. 1. §. pen. D. de offi. præf. vrbi. præfectum vrbi & vrbe interdicere, & qua alia solitarum regionum posse: quod mihi non fit verisimile: nam regione tantùm aliqua vrbis interdicere moris fuisse non credo. Malim id de regioni-
F bus suburbicariis & regionibus Italiæ accipere, quàm de vrbis regionibus. Separantur suburbicariæ regiones ab Italiæ regionibus in l. 9. C. Theo. de anno. & trib. l. 9. C. Th. de ext. mun. Sed cùm posit Italia omni præfectus vrbis interdicere, poterit etiam suburbicaria vel quapiam Italiæ regione interdicere: nam & cùm sicut is, cui prouincia interdictum est, Italia summouetur, ex D. Claudij constitutione, vt Suetonius scribit, non ita quoque prouincia summoueatur is, cui est interdictum Italia, nisi specialiter prohibitum fuerit. l. 2. D. de ser. export. poterit etiam præfectus vrbi eum, cui Italia interdixerit, specialiter summouere à prouincia sua. d. l. 1. §. penult. Suburbicariæ
G autem regiones dicuntur etiam vrbicariæ in l. 1. C. Th. si per obrep. fuer. impet. l. 14. C. Th. de ind. deb. l. 3. C. Th. quib. eq. v. l. 9. C. Th. de ext. mun. vt & apud Caium ac Theodosium auctores limitum, Tuscia Vrbicaria & Annonaria: fuit enim vna Tuscia Suburbicaria. & altera Annonaria, vt Picenum aliud Suburbicarium, aliud Annonarium, in l. 12. C. Th. de ind. deb. & in Notit. Rom. imp. Hinc & suburbicariæ ecclesiæ apud Rufinum Aquileiensem in canone sexto Nicæni concilij. Hinc etiam aliquando

 quando

quando mihi placebat in d.l. 1. §. penult. pro *Solitarum*, legere *Suburbicarum*. Sed præstat solitas regiones pro solitis Italiæ aut suburbicariis regionibus accipere. Atque ita censeo. A

Quæ sint pacti conuenti vires, & explicata l. pacta conuenta. D. de contrahen. empt. CAP. XV.

His nominibus idem significatur, Pactum, pactio, pactum conuentum, pactum nudum. Conuentum sic dicitur quasi nihil præter conuentionem habens, vel quasi compactum. Nudum, quasi solum, sine nomine, sine causa. Dicitur etiam pactum & conuentum, vt apud Paulum lib. 1. sentent. titul. de pactis & conuentis, & M. Tul. pro Cæcin. Quæ, inquit, iudicia aut stipulationis aut pacti & conuenti formula. Pactum à contractu sic separatur: Pactum neque nomen neque causam habet. Contractus, aut nomen habet, aut, si nomine vacat, certè causam habet. Causam autem habet conuentio, quæ datione vel facto sumpsit effectum: ideoq; Do vt des, contractus est: Dabo vt des, pactum. Ex contractu datur actio: Ex pacto in ciues Romanos non datur actio: constituitur enim ex eo naturalis, non ciuilis obligatio. Sed tamen ex pacto datur exceptio, & hoc est quod ait Prætor, *Pacta iusta seruabo*. Seruat Prætor, id est, tuetur pacta datis exceptionibus. At pacta vel contractibus adiiciuntur, vel non adiiciuntur. Hæc proculdubio numquam actionem pariunt, semper exceptionem pariunt. Illa, quæ scilicet proprio nomine leges appellantur, aut ex continenti, id est, in initio contractus adiiciuntur, aut ex interuallo. Quæ adiiciuntur ex continenti, non pariunt actionem, sed formant contractum. l. cum dotem. C. de iu. dot. id est, formam & legem dant contractui: formant ipsam actionem. l. iurisg. §. quinimmò. D. de pact. id est, actionem ex ipso contractu. Itaq; si conuenerit ab initio, vt venditor satisdaret de euictione, qui ex natura contractus non cogitur nisi repromittere, aget emptor ex empto cum venditore vt satisdet: atq; ita pactum emptionem format, &, vt Latini Græciq; interpretes locuti sunt, transformat, τυποῖ καὶ μετατυποῖ. Quòd si ab initio conuenerit, ne venditor teneretur ob euictionem, quod etiam alienum est à natura & qualitate contractus, proderit pactum venditori ad exceptionem, vel etiam ipso iure se tutum esse contendet, quandoquidem pacti exceptio inest bonæ fidei iudicio. l. nec ex prætorio. D. de diuers. regul. iur. Quæ ex interuallo fiunt de satisdatione præstanda ob euictionem, actionem emptori non dant, sed si agat cum eo venditor ex aliqua causa, rectè excipiet emptor, Si non te mihi quoque ob euictionem fideiussores dare oporteat. Quæ fiunt ex interuallo de non præstãda euictione, hæc stultum est quærere, an actionem pariant: nec enim venditori aliter vtilia esse possunt quàm excipiendo, & eatenus quidem ea emptione contineri vel inesse emptioni verũ est. His verò pactis detrahitur emptioni, illis additur: his leuior, illis fit grauior emptionis condicio. Sed vtraque fiunt de adminiculis: euictiones enim non perficiunt emptionẽ, sed iam perfectæ emptioni subsidio & auxilio sunt. At verò si ex interuallo pacta fiant de his quæ sunt ex substantia cõtractus, vtputa re, pretio, consensu, quibus scilicet emptio perficitur, si res non sit integra, nulla nascitur actio: si res sit integra, emptio tollitur mutuo dissensu, vel etiã reformatur, renouatur, repetitur: & hoc posteriore casu datur actio, non quidã ex pacto sed ex noua emptione. Et hæc est sententia l. pacta conuenta. D. de contrah. empt. Item l. iurisgen. §. item responsum. & §. adeo. D. de pact. In §. item responsum, *Extra naturam*, sic interpretor, extra substantiam, cum Accursio. Credo enim in eo §. eam Papiniani sententiam citari, quæ ex lib. 10. quæstionum relata est in d. l. pacta conuenta. nam quod dicitur respondisse Papinianum, hoc æquè ad quæstionum ac ad responsorum libros referri potest l. Claudius. D. de his quib. vt indig. l. 94. §. 1. D. de solution. In §. Adeo, hæc verba *Ex eodem contractu*, sic accipio, ex substantia contractus. Rursum in eodem §. cùm sit scriptum Flor. *Exceptiones postea factæ*, credo fuisse scriptum inuersis primis duabus syllabis *Edceptiones*, pro *Depectiones*, vt in l. 2. C. de abolit. *deceptionem*, pro *depectionem*. Depectio nihil

A hil aliud est quàm pactum. Ac de pactis quidem hæc rarissima & certissima esse arbitror.

Superesse negationem in l. sub condicione. D. de condic. instit. CAP. XVI.

ERVVS vel filiusfa. heres institutus, hereditatem adire iniussu domini vel patris non potest, ne inuitus æri alieno dominus vel pater obligetur. Condicionem verò institutionis sine iussu domini vel patris
B implere potest: & hoc disertè scribit Paulus in l. 5. D. de condic. & demon. & seruo filioq; parem pupillum facit: ait enim à pupillo etiam condicionem impleri posse sine tutoris auctoritate. Cuius sententiæ cùm sit manifesta ratio, nimirum quoniam eo facto nemo fraudatur, nec hereditas adquiritur, sed eò tantùm res adducitur, vt pura sit institutio: & cùm de pupillo ipsum hoc nominatim tradatur in l. si pupillus. D. de condic. instit. non vereor affirmare in l. sub condicione. (quæ ante illam l. si pupillus, posita est) superesse negationem: & ita
C Modestinum, quia scribere debuit, etiam scripsisse, *Sub condicione heres seruus institutus, sine iussu domini condicioni parere potest.* quod à me iampridem animaduersum & publicè sæpius demonstratum est.

Quid sit Commendare in l. & si quis. §. funeris. D. de religios. & sumptib. fun. CAP. XVII.

N actionem funerariam veniunt sumptus funeris causa facti, veluti
D ad pompam exequiarum, ad elationem corporis, ad locum sepulchri, ad perferendum corpus hominis peregrè mortui, ad custodiendum corpus. Additur in l. & si quis. §. funeris. D. de religios. & sumptib. fun. ad commendandum corpus. Quod nisi deprauatum est, referendum videtur ad nænias & præficarum laudationes. Sed his non corpus, id est, cadauer mortui, verùm vir antè iam defunctus commendatur. Deinde non aptè coniuncta est impensa commendationis, impensæ custodiæ. Quid igitur si legamus, pro *Commendandum, Communda*ndum? vt apud Columellam lib. 12. cap. 18. Aqua
E eluenda sunt & communda*n*da & in l. argumento. §. ornamentorum. D. de auro & arg. leg. Solebant enim corpora lauare, abluere, pollincere, ex quo pollinctorum quædam erat instituta negotiatio. l. 5. §. idem ait. D. de institor. act. & hæc nostra opinio si non improbatur, hic, ni fallor, sensus erit aptissimus: quod ad cadauer custodiendum, conseruandum, commundandum erogatum sit, ad funeris causam referri. Sed verius esse didici à viro ornatissimo & litteratissimo D. Gulielmo Pellicerio Monspessuli Episcopo commendare eo in loco nihil aliud esse quàm deponere, quoad iustæ sepulturæ tradatur: vt in veteri quodam libello dato Seuero Imp. Cum corpora eorum
F fictili Sarcophago commendauerim, &c. & sic in l. si quis eo. D. eod. ostenditur plerumque corpora temporis causa deponi.

De diebus vtilibus & continuis. CAP. XVIII.

IES vtiles, qui à Græcis interpretibus ὡφελημένοι dicuntur, hi sunt quibus experiundi iuris sui potestas est. l. 1. D. de diuers. temp. præscrip. l. miles. §. quædam. D. de adult. coërc. l. iure. C. eod. tit. His aduersi sunt
G dies continui. Sunt & sessionum dies, quibus Prætor pro tribunali sedet, qui continuis etiam aduersi sunt, non tamen semper sunt vtiles: nam sæpe fit vti die sessionum, experiundi quis potestatem non habeat. Contrà, dies vtiles plerumque sunt, quamuis sessionum non sint, vt puta, si talis sit res quæ de plano & feriato die possit expediri. De sessionum diebus agitur in l. 2. §. dies. D. quis ordo in bon. pos. seruc. & (vti iam dudum ex Ant. Goueano didici) in l. is cui. §.

cui. §. satisfactionis. D. vt in possess. legat. Ex his apparet quid inter annum vtilem & annum continuum intersit. Nam vtilis annus is est, qui constat ex diebus vtilibus. Cōtinuus, ex continuis CCCLXV. Ceterùm vtilem annum sustulit Iustinianus in causis restitutionum, & pro eo continuum quadriennium substituit. Quo fit, vti non possit quis hodie eam, cuius tutor vel curator fuerit, intra XXIX. annum vxorem ducere, cùm tamen olim non nisi intra XXVI. annum hæc prohibitio consisteret. l. qui pupillam. D. de adulter. coerc. l. non est. D. de ritu nupt. id est, intra XXV. annum ætatis & vtilem annum vnum. l. si patris. C. de interd. matrim. l. filius. §. si quis eo tempore. D. de liber. & post. Sublatus etiam antè in eis restitutionum causis fuerat vtilis annus à Constantino l. 2. C. Th. de int. rest. sed introducta locorum differentia, is pro eo Romæ quinquennium, in Italia quadriennium, in prouinciis triennium continuum substituerat. Quæ differentia locorum ab Iustiniano sublata, & omnibus in locis quadriennium continuum definitum est in l. vlt. C. de temp. in integ. restit. Sustulit etiam alia in re Iustinianus annum vtilem. Actiones personales in Italia præscriptione anni vtilis summouebantur. Hæc præscriptio à Iustiniano tollitur in l. 1. C. de anna. excep. in aliis rebus à Iustiniano, quod sciam, anni, dies, menses vtiles non sunt sublati: videntur tamen expuncti à posterioribus Imperatoribus, eo scilicet quòd valde difficilis & lubrica esset eorum computatio: & ideo XXX. dies repetendo reo præfiniti, qui vtiles dicuntur in l. 3. §. vlt. D. de accusat. l. aut priuatim. D. ad Turpillia. qui ab Augusto præfiniti & obseruati sunt, vt Suet. Tranq. indicat in Aug. cap. 32. Hi ab Constantino Græco interprete συναπταὶ ἡμέραι appellantur lib. 1. epitom. tit. 2. eodemq; nomine ab eodem lib. 6. epitom. tit. 7. appellatur annus, qui vtilis dicitur in l. in eum. C. de furt.

Explicatio l. 2. C. de rebus credit. & iureiur. CAP. XIX.

MALE, vt opinor, vsq; adhuc à Latinis interpretibus accepta est l. 2. C. de reb. cred. nam quod ait in initio, Iurisiurandi contempta religio satis Deum vltorem habet, non ad eum qui peierat per principem, sed ad eum, qui per Deum peierat, referendum esse puto. idque ita Constantinus lib. 1. epito. tradit, οὐδεὶς κατὰ τοῦ θεοῦ ὀμόσας κινδυνεύει· ἱκανὸς γὰρ ὁ ὅρκος ἔχειν τιμωρὸν τὸ θεῖον, εἰ κατὰ τοῦ θεοῦ γέγονεν. Quæ postea sequuntur in lege, eum etiam qui peierarit per principem, non puniri, ostendunt, si calore quodam peierarit: quod non ad calorem tantùm iracundiæ, sed ad inconsultum quemlibet animi motum referri oportet, vt in l. lex Iulia. D. ad leg. Iul. repet. l. nec in ea. D. de adulter. coër. l. 1. §. quæri. D. ad S. C. Turpil. l. locatio. D. de publican. & vectigal. Ceterùm si quis consultò peierarit per principem, lex ei esse à corpore periculum ex lege Iulia maiestatis etiam indicat. Igitur si per principem peieratum sit, princeps ipse vindex est: si per Deum, Deus: & ob id à Græcis Iuppiter ὅρκιος dictus est: & rectè Tiberius apud Corn. Tacitum, deorum iniurias diis curæ esse: vt hæc sit sententia l. 2. C. de reb. credit. Legibus non puniri eum qui per Deum peierarit: Non puniri etiam eum qui calore quodam per principem peierarit. Ex quo efficitur, eum qui consultò per principem peierarit, puniri, & in legem Iuliam maiestatis incidere. Quæritur hic fortasse an periurio alia pœna statuatur in l. vltim. D. de stellionat. crim. quod negatur quidem à me: nam & si non iurauerit quis esse sua pignora, æquè in stellionatus pœnam incidit, modò si dolo malo rem alienā pignori obligauerit. l. 2. C. de crim. stelliona. Non igitur periurio, sed stellionatui pœna statuitur in d. l. vlt.

Pro seruus *reponendum esse* seruitus *in l. sed & si quid. D. de euictio.* CAP. XX.

IS qui fundum simpliciter vendidit, neque dixit liberum esse vel opt. maximum, præstare hoc debet ne fundus, ne pars fundi euincatur, item ne vsusfructus euincatur: nam vsusfructus, & si pars fundi non sit, totius tamen fundi emolumentum continet: & hoc ait l. in vendendo. D. de contrahen.

A trahen.emp.Dubitatur cur non dixerit id etiam præstari,ne seruitus euincatur. Dubi-
tanti respondetur ex Q. Mucij sententia, ob euictionem seruitutis eum non teneri
qui fundum simpliciter vendidit. l. cùm venderes. D. eod. tit.l.penult.D.de euict.nisi
liberum,nisi opt.maximum esse dixerit:quo nomine fundum non seruire, non tamen
etiam fundo seruiri significatur.& hoc receptum inter nos est, licet huius appellatio-
nis pleniorem olim nonnulli esse significationem existimauerint,à quibus esse videtur
Siculus Flaccus in lib. de constit. limit. Sed hæc si venditor non dixerit, proculdubio
non tenetur ob euictionem seruitutis:nam qualis fundus est,talem vendidit. Non te-
B netur, inquam, ex empto in id quod interest. At æstimatoria tenetur, id est, quanto
minoris.l.quotiens.D.de ædil.edic.quod à Paulo propositum fuit in l.sed & si quid.D.
de euict. Nam cùm in superioribus proximis legibus egisset de venditione fundi, &
ostendisset euicta parte fundi, vel euicto vsufructu, pro bonitate partis aut fructuum
æstimationem in ex empto actione fieri, & illa restaret inspectio euictæ seruitutis, ita
scripsit, *Sed etsi seruitus euincatur, quanto minoris ob id prædium est, lis æstimanda est.*
vbi tamen vulgo malè pro *Seruitus*,legitur *Seruus*. Sed proxima vsusfructus mentio,
& harum inspectionum inter se connexa series, suadet vt *Seruitus* potius legamus,
C quàm *Seruus*. & ita mihi videtur.

De lege Glicia & origine actionis inofficiosi testamenti.
CAPVT XXI.

QVERELA inofficiosi testamenti quia iustum testamentum rescin-
dit, & patremfa.intestatum facit, nec Prætoris edicto introducta est,
lege aliqua inducta vt sit necesse est.sed à qua lege,dubitatur. an verò
D lege Glicia?Scripsit enim Caius librum singularem ad legem Gliciam,
ex quo vna tantùm nobis superest sententia in l. 4. D. de inoff. testa.
quæ rationem inducendę querelę seu ferendæ legis Gliciæ continet:
sic enim eius l.4.inscriptio edita est in P. Florétinis, quæ ex nomine quidem ipso Gli-
ciæ satis inusitato mihi suspecta fuit,vsque dum id esse nomen Romanum ex Corne-
lio Tacito deprehendi,qui lib. 15. meminit Glicij Galli,& ex epitome lib. 19. T. Li-
uij,& Suetonio in Tiberio cap. 2. vbi fit mentio Claudij Gliciæ dictatoris,à quo for-
E sitan lex Glicia nomen accepit, vti lex Hortensia,lex Cornelia, à dictatoribus Horté-
sio,Cornelio:&,vti testis est Carolus Sigonius Titi Liuij eruditissimus interpres, eius-
dem Gliciæ dictatura sic in Capitolinis lapidibus etiam notata est. Possit quoque vi-
deri suspecta ea legis inscriptio plerisque,quòd Iurisconsultorum indicis auctoritatem
non habeat: sed in eo indice multi libri desunt, Pauli μονόβιβλα, De concurrentibus
actionibus, De dotis repetitione, De articulis liberalis causæ, De formula testamenti,
De conceptione formularum, De cognitionibus, ad S. C. Turpillianum, De officio
adsessorum, Ad legem Fusiam Caniniam, De adsignatione libertorum: Caij, Pauli,
F Vlpiani libri ad edictum ædilium curulium:Vlpiani μονόβιβλα, De officio cõsularium,
Pandectarum,Excusationum:Caij μονόβιβλα,De tacitis fideicommissis,Ad S. C. Ter-
tyllianum,Ad S. C. Orfitianum.Desunt & alij Iurisconsultorum complures libri. Re-
cta igitur cùm sit inscriptio l.4.D.de inof.test.si quis dicat lege Glicia introductam in-
officiosi testamenti actionem,fortasse non aberrauerit.

Interpretatio l.si priuatus.D.qui & à quib.manum.lib.non fi.
CAP. XXII.

G CREDO non intellexisse interpretes cur Paulus dixerit in l.si priuatus.
D.qui & à quib.man. lib. non fiant.priuatum coactum à populo fru-
stra & inutiliter manumittere. Quod tamen de priuato dictum est
homine, quia de magistratu æquè id exploratum non fuit vsque ad
Orationem D.Marci,quæ & dominum & magistratũ tenet. Ea enim
caueri hoc traditur in l.3.C.qui manum. non poss.ne quis in specta-
culo

culo quod edatur, actorem, id est, histrionem manumittat (sic enim ea lex dispungenda est) siue seruus ille suus, siue alienus fuerit, vtputa si magistratus qui populo munus aliquod edit, ex acclamatione populi manumittat. Quod etiam D. Adriano placuisse videtur: namque is roganti populo, vt quendam ἁρματηλάτην manumitteret, per tabellam respondit, à se id peti non debere, vt alienum seruum liberaret, vel vti dominũ cogeret manumittere, idq; Dio scribit in Adriano. Sed huius tamen ita definiendę rei primus auctor D. Marcus extitit. Hæc ergo est Pauli sententia, Si priuatus coactus à populo manumittat, licet voluntatem adcommodauerit, seruus tamen liber non erit: nam & nominatim ex adclamatione populi quilibet, siue dominus fuerit, siue magistratus, prohibetur manumittere. Hunc verò legis vtriusque sensum Petrus Faber excogitauit, summo iudicio præditus adolescens; ego probaui. A B

Defensa Florentinarum Pandectarum lectio quibusdam in locis.

CAP. XXIII.

Escio cur malint nonnulli, & quidem hi melioris notæ iuris interpretes, in l. inuiti. D. de testib. ita legere, *Item is qui exercitui præbenda conduxerit.* An quòd ita Liuius, Plautus, Gellius locuti sint, sic Vlpianum etiam loqui oportuit? An non æquè Latina locutio est, *Item is qui quid exercitui præbendum conduxerit?* Et hic rectus sensus, Vt inuitus testimonium non dicat, qui vestimenta, frumentum, vinum, aut aliquid aliud exercitui præbendum certa pecunia conduxerit. Equidem non video quamobrem hæc verba in illa potius commutanda esse censuerint. Iidem falluntur cùm sic in l. produci. D. de testib. legi debere arbitrantur, *Produci testis non potest in reum qui antè in eum testimonium dixit.* Vetus lectio rectissima est, *Produci testis is non potest, qui antè in eum reum testimonium dixit.* quæ verba quidam sic interpretantur, vt aliquis idoneus testis in eius causa non sit, in quem crimine postulatum semel testimonium dixerit: verùm hi quoq; falluntur. Græcorum interpretum clarior est sententia, vt qui antè in aliquem reum testimonium dixit, rursus pro eodem testis produci non posit. Quemadmodum enim reprobare testem in alia causa semel probatum nequeo. l. si quis testibus. C. de testib. ita probare sine pudore non possum, quẽ semel excepero & refutauero. Interpretum verba hæc sunt, ὁ κατά τινος ἤδη μαρτυρήσας, οὐ μαρτυρεῖ πάλιν ὑπὲρ αὐτοῦ. quæ Accursij prima etiam fuit interpretatio. Sunt etiã qui in l. ideo. D. de compensat. legere malint Edilitatis, alij Edulitatis: vtroque verbo significantur edilia & opsonia. Itaq; non video vt sic aptè legatur, Edilitatis tempore: & omnino sequendos esse veteres libros arbitror, in quibus ita est Ædilitatis tempore, id est, cùm in ædilitate esset, vt in l. Æmilius. D. de administ. tut. Magistratus tempore. Accursius, vt sunt auctores libri scripti, & gl. l. non tantum. §. is qui. D. de exc. tut. cùm legisset Edilitatis, idque nomen ab edendi verbo deduxisset, inde sensim factum est, vt à quibusdam eo in loco scriberetur Edulitatis: nec ipse vmquam eos, aut Accursiũ, credo diphthongi notam animaduertisse. Verùm explicanda etiam nobis est sententia l. ideo. vt explicatio quoq; ipsa huic veteri lectioni lucem adferat. Equidem constituendam esse arbitror differentiam inter Ædilem & Curatorem rei frumentariæ vel annonariæ. Hic si ex curationis causa condemnetur, compensatione vti non potest. l. ob negotium. D. de compensat. l. 3. C. eod. l. aufertur. §. vt debitoribus. D. de iu. fisci. quia debitor est pecuniæ frumentariæ. At Ædilis, curator non est rei annonariæ, sed quam curator annonam redegerit, in ea præbenda ipse operam nauat. Hanc verò si compresserit atque arctiorem præbuerit, id est, si fraudauerit annonam, vt in l. vix. D. de iudic. & ideò condemnatus fuerit aduersus fiscum aut Rempub. vti compensatione potest: quia datæ arctioris annonæ, non acceptæ pecunię frumentariæ debitor est. Curatori pecunia datur: Ædili annona, non pecunia. C D E F G

Emendatus §. vltim. l. Lucius. D. ad municipalem.

CAP. XXIIII.

A IN l. Lucius. §. vlt. D. ad municip. horum verborum loco, *Idem respondit*, legendum puto, *Iidem rescripserunt.* Nam cùm Paulus in §. penult. Seueri & Antonini rescriptum ad Septimium Zenonem proposuerit, quod quidem extat in l. 1. C. de honor. & muner. non continu. int. pat. & fil. & nunc in §. vlt. proponat eorundem Imperatorum aliud rescriptum, quod vti ex vet. lib. apparet, ad Herculianum emissum extat in l. 1. C. de vend. reb. ciuit. quis est qui non malit, *Iidem rescripserunt*, legere, quàm *Idem respondit?* præsertim cùm non suis Paulus, sed ipsis omnino rescri-
B pti verbis vtatur. Eius verò rescripti hæc est sententia, Post addictionem factam, adiectionem & licitationem admitti intra certa tempora, quod etiam l. si tempora. C. de fide & iu. has. fiscal. indicat. Post addictionem factam à Republica, nisi ex priuilegio, adiectionem non admitti. Meliori condicione fiscum esse, quàm Rempublicam aut municipium. Sic fiscus hypothecam semper habet. l. aufertur. §. fiscus. D. de iu. fisci. Respublica non nisi ex priuilegio l. 2. C. de iure Reip. l. Antiochensium. D. de reb. auctor. iudic. possid. Fiscus πρωτοπραξίαν habet. l. quod quis. D. eod. Idem nunc etiam habet Respublica. l. bonis. D. eod. Olim certè non habuit nisi ex priuilegio, vt ex episto-
C lis Plinij ad Traianum constat, cap. de exactione pecuniarum.

Explicata quæstio §. si fundus & §. Aristo. l. is qui in puteum. D. quod vi aut clam. CAP. XXV.

QVAESTIONIS est, vtri competat interdictum Quod vi aut clam, venditori an emptori, cui ad diem fundus addictus est. Cassius interdictum dat venditori: credo quia condicionalem & imperfectam esse
D venditionem existimat: quod & Vlpiano non omnino displicuisse ostēdimus in l. 2. §. si in diem. D. pro empt. Iuliano est aliud iudicium: puram enim esse venditionem Iulianus ait, cui Paulus, Marcellus, & alij complures assentiuntur. ideoq; medio tempore vi aut clam opere facto, Iulianus emptori dat interdictum Quod vi aut clam: ita tamen, quemadmodum fructus medio tempore perceptos, sic vt & hoc interdictum, cedere venditori adiectione facta, vel meliore condicione allata, emptor compellatur. & hæc Iuliani sententia duobus in locis ab Vlpiano relata est. l. is qui in puteum. §. si fundus. D. quod vi aut clam. l. 4.
E §. idem Iulianus XLVIII. D. de in diem addict. quæ an sit omni casu perpetua, dubitari potest. Quid enim si in diem addictus penes emptorem & collocatus fundus, traditus non sit emptionis iure, sed precario vel ex conductionis causa? Si fundus ex causa emptionis traditus fuerit, emptori dari Iulianus interdictum aperrè profitetur. Ceterùm si precario aut cōductionis iure traditus fuerit fundus, an tunc locum obtineat Iuliani sententia dubitatur. Plerumque verò cùm hac lege, aut lege commissoria fundus vænit, interim precaria possessio emptori datur. l. 3. C. de pact. int. emp. & vend. l. Iulianus. §. possessionē. D. de actio. emp. l. ea quæ. D. de precar. vel etiā ab emptore in-
F terim certa mercede fundus conducitur. l. sicut. & l. prox. D. loca. l. serui emptor. D. de per. & com. rei vend. Et his quoq; casibus emptori Vlpianus interdictū Quod vi aut clam dedit in l. is qui in puteū. §. Arist. D. quod vi aut clam. Posteriore casu sine dubio, priore dubitanter, vt apparet ex hac nota *Videamus*, quæ diffidentis est, & in id tamē se magis inclinare demonstrantis. Ex quo apparet non tantùm possessori, sed etiā non possessori, cuius interest, hoc interdictum dari. atq; ideo, vt Aristo tradit, rectè nō possessori etiam eum qui opus facturus est denuntiare, vt se opus clàm non fecisse profiteri possit: nam si ei competit interdictum, & ei denuntiari quoq; oportet. Hac de re
G tractans Vlpianus primùm sic ait, *Ego, si post in diem addictionem factam, fundus precario traditus sit, putem emptorem interdictum Quod vi aut clam, habere.* Mox tamen addit, si precarij rogatio facta sit, venditori proculdubio interdictum dari: sed & emptorem quoq; forsitan hoc interdicto vti posse, quia ipsius interest qualiter qualiter in possessione sit. Quod additum est superuacuo, aut cùm antè sit propositum intrepidè, sub diffidentiæ nota inscitè mox repetitum est: nisi priorem ita sententiam emende-

mus, *Ego, si post in diem addictionem factam fundus non precario traditus sit* (id est, si A
traditus sit ex emptionis causa) *putem emptorem interdictum Quod vi aut clam, habere:* quibus verbis Vlpianus demonstrat sequi se Iuliani sententiam. Sic verò licet non habeant libri Florentini, attamen libri scripti complures habent: nec fuit ignota ea lectionis varietas Accursio, qui aliâs legi adnotauit, *Si precario traditus non sit.* sed malim legere, vt est in libris scriptis, *Si non precario traditus sit:* quamuis hoc, an illo modo legas, nihil magnopere intersit. Ergo hæc sit huius quæstionis conclusio, Emptori post in diem addictionem, quoquo iure sit fundus traditus, ante adiectionem interdictum Quod vi aut clam, dari: vtile, inquam, dari, non directum, propterea quòd pe- B
pendit ius emptionis ex cōdicione sub qua emptio resoluitur. Post adiectionem non dari: qua in re non certabat cum Iuliano Casius d.l. is qui in puteum. §. planè. Eadē faciliùs admitti Vlpianus ait, si res ita venierit, vt si emptori displiceat, si meliorem aliam rem inueniat, inempta fiat. l. is qui in puteum. §. pen. credo quia inter omnes constitit hanc puram emptionem esse. l. 3. D. de contr. emp. l. 2. §. si in diem. D. pro empt. Quod non similiter dici potest in commissoria venditione: nam hanc esse condicionalem Sabinus existimabat. d. l. 2. §. Sabinus. sed in ea quoque idem iuris est.

C

De Pauli tribus decretorum libris. CAP. XXVI.

DECRETA, sunt sententiæ prolatæ in causarū cognitionibus. Imperatoris Antonini & Seueri etiam patris eius (vt indicio est l. Seuerus. D. de decurion.) decreta sex libris Paulus cōplexus est, quę ipso Paulo & Papiniano & Mesio & Tryphonino, & aliis quibusdā Iurisconsultis asidentibus pronuntiata sunt, & plerumq; Paulo non approbante, vt in specie l. Æmilius. D. de minor. l. vlt. D. de iu. fisci. l. Paula. D
§. 1. D. de leg. lib. 3. l. vlt. D. quod cum eo. &c. l. Clodius. D. de adquir. here. ferè semper ex splendidisimi Papiniani sententia. Ex his verò sex libris, vsus est Iustinianus tribus dumtaxat prioribus: & ideo sic solet legibus inscribere, *Paulus imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarum, siue decretorum ex libris sex libro primo.* vt in l. vlt. D. de iu. patrona. quæ lex repetita est in l. quædam. D. fam. hercisc. non illo quidē, sed breuiore in hunc modum adscripto titulo, Paulus l. 1. Decretorū. sic in l. Ælianus. D. de manumiss. l. vlt. D. de condic. & dem. l. cùm quærebatur. D. de verb. signif. Quapropter existimo quòd ita inscriptū est l. vlt. D. de hered. instit. & l. vlt. D. ad S. C. Trebel. E
Paulus Imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarum ex libris sex lib. primo, seu Decretorum libro secundo, emendandum esse ita, vt pro *Secundo* adscribatur *Primo.* Iidem namq; sunt decretorum & Imperialium sententiarū in cognitionibus prolatarum libri: quinimmò decreta nihil sunt aliud quàm Imperiales sententiæ prolatæ in cognitionibus, quibus quidem prolatis à principe, si quid dubitationis superesset, plerumq; de eo principi vel à partibus vel à consiliariis suggerebatur quid sentiret, vt in l. vlt. D. de iu. fis. l. Osidius. D. de leg. lib. 3. & iam non pronūtiare tum aut decernere, sed suggestioni respondere princeps dicebatur. Nonnumquā in libris Decretorum ait F
Paulus rescripsisse principem. l. vlt. D. de condi. & dem. quod etiam non est decernere, sed ad libellum partis rescribere, vt in l. rescriptum. D. de distract. pign. l. vlt. D. de offic. procur. Cæsar. id est, ration. l. sed addes. §. pen. D. loca.

Decretum suggestioni respondere rescriptum

De sex Hermogeniani epitomarum libris, & de Rutilio.
CAP. XXVII.

QVI à nobis Hermogenianus, à Lampridio in Alexandro appellatur G
Hermogenes, & in Papiniani discipulorum numerum refertur: is epitomarum iuris sex libros scripsit, quos sine vllo auctore quidam Saluij Iuliani librorum epitomas esse comminiscūtur. Verùm enim licet Hermogenianus se professus fuerit secutum ordinem edicti perpetui, ordinati scilicet à Saluio Iuliano l. 2. D. de sta. hom. quod Iustinianus

A nianus etiam noster profitetur, non tamẽ inde rectè colligas eum Iuliani Digestorum
epitomas confecisse. Scripsit etiam Hermogenianus fideicommissorum libros, nisi
mendosa est inscriptio l.nam quod. D. ad Trebellia. quod facilè adducor vt credam:
nam possint quidem hæc legis verba, *Nam quod ad ius publicum attinet, non sequitur*
ius potestatis, Hermogeniani esse aliquo ex ἐπιτομῶν libro. At quæ sequuntur, Vlpiani
sunt ex libro 4. fideicommissorum, ex quo & præcedentes & sequentes leges com-
plures desumptæ sunt. atque ita eam legem in duas esse diuidendam & scimus & affir-
mamus. Rutilius Maximus librum singularẽ, id est, μονόβιβλον scripsit ad legem Falci-
B diã, ex quo tantùm superest nobis l.si heres. D. de leg. lib. 1. Est autẽ is Rutilius ex Iuris-
cõsultis nouis. Is qui citatur in l.si habitatio.§.vtrum. de vsu & habit. & l. 1. de arb. cæd.
& l. 3. §. ligna. de penu leg. est ex veteribus, nẽpe P. Rutilius Rufus P. Mucij discipulus,
qui Romæ consul fuit cum M. Manilio, & Asiæ proconsul, vt est in l. 2. D. de orig. iur.
vel si Asconio credimus in Diuin. Asiæ proconsulis quæstor, aut legatus, vt scribit Li-
uius lib. 70. Hic etiam Rutilius rerum Romanarum historiam scripsit, auctore Athe-
næo in lib. 6. δειπνοσοφιστῶν, cap. vlt. & Velleo Paterculo in lib. 2. Scripsit & de vita sua li-
bros aliquot, quorum sæpe auctoritate Charisius vtitur, & orationes complures.

C

De locatoris & conductoris nominum differentia.

CAPVT XXVIII.

SVNT qui Locatorem eum esse definiant, qui mercedem accipit,
Conductorem qui dat: & idcirco dominũ ædium, Locatorem esse,
inquilinum, Conductorem: huic ex conducto, illi ex locato actio-
nem dari. Sed hæc definitio non est perpetua: nam plerumque Lo-
D cator is dicitur, qui dat mercedem, Conductor qui accipit. Vt ecce,
qui domum faciendam dat, locat, & hic tamen mercedem dat: &
retrò, qui faciendam suscipit, Conductor est, merces tamen ei datur: & vt illi ex loca-
to, ita huic ex conducto competit actio. Similique modo is, qui pecus pascendum,
qui sarciendum aut poliendum aliquid, qui puerum docendum, qui onus ferendum
accipit, quamuis mercedem accipiat, conductor est. In quærenda igitur Locatoris
& Conductoris definitione, à quo detur vel accipiatur merces, spectandum non est:
nam est Locator, non is qui accipit, sed etiam qui dat mercedem: Conductor, non is
E qui dat, sed etiam qui accipit mercedem. At generaliter, Locator est, qui dat vtẽdum
vel faciendum aliquid: qui accipit, Conductor. Verùm hæc definitio cuiusmodi sit, ap-
positis exemplis demonstrare necesse est. Is qui dat suam domum vtendam, aut opus
faciendum, Locator est, cùm tamen hic det, ille accipiat mercedem. Qui verò do-
mum vtendam, vel opus faciendum accipit, Conductor est: & hic tamen mercedem
accipit, ille dat. Inde qui custodiendis vestimentis nostris operam suam exhibet, Lo-
cator est, nos Conductores sumus: at is qui vestimenta custodienda suscipit, Condu-
ctor est, nos Locatores. Et iuris professor, si ad docendum suas operas exhibeat, ac de
F mercede paciscatur, Locator est, discipuli sunt Conductores. Quòd si Iuris professor
complures in eius disciplinam se dantes edocendos suscipiat, Conductor est, discipu-
li sunt Locatores. Eadem ratione, si rem vendendam certa mercede tibi do, ego sum
Locator, tu Conductor: sed si tu me rem vendendam rogas, & vltrò mihi tuam ope-
ram defers, tu Locator es, ego Conductor. Deniq; nauis magister, si nauem det vten-
dam, Locator est: idem si accipiat merces vehendas, Conductor est: vtroq; tamen ca-
su mercedem accipit. Dominus vero mercium priore casu Conductor, posteriore Lo-
cator est: & vtroque casu tamen ipse dat mercedem nauis magistro. Quid autem fiet,
G si, vtrum dominus mercium nauem conduxerit, an merces locauerit vehendas, igno-
retur, & ideo incertum sit vtra ei competat actio ex locato an ex conducto? Et pro-
ditum est præscriptis verbis actionem dari dubitationis tollendæ causa. Idemque
in superioribus casibus dici potest, si quemadmodum inter contrahẽtes inita res fue-
rit, ignoretur. Ex his autem apparet perpetuam esse hanc inter Locare atque Condu-

cere differentiam, vt nihil sit aliud Locare, quàm vtendum vel faciendum aliquid dare: Conducere, accipere. Quod à me cùm esset aliquanto nudius propositum in lib. 3. Institut. iustum visum est, vt hoc in capite latius explicaretur. Non attuli tamen capita legum, ex quibus exempla hæc prompsimus, quoniam satis omnibus patent in tit. Locati, & De lege Rhod. & de æstim. ac. & de præscr. verb. Posim etiam ex aliis auctoribus asimilia exempla promere compluria, sed cùm tot propria habeamus, quid alienis indigemus? A

Explicatio l. eum qui probabilem. C. de episcop. & cler. CAP. XXIX. B

ECTE, vt mihi quidẽ videtur, in capite tertio concilij Nicæni συνεισάκτους Rufinus Aquileiensis interpretatur Extraneas mulieres: nam & in l. eum qui probabilem. C. de episc. & cler. sacerdotibus & clericis, dum inhibentur consortia extranearum mulierum, proculdubio συνεισάκτων consortia inhibẽtur. Alij tamen συνεισάκτους malunt subintroductas, vel intromissas, vel adsciticias interpretari in c. nullus & C c. interdixit, 32. dist. & in No. CXXIII. §. 1. & §. presbyteris. & in Aquisgran. concilij cap. 39. & Arelatẽsis 2. cap. 4. & in Eusebij histo. lib. 7. cap. 30. vbi Beatus Rhenanus, ex Chrysostomi quodam sermone, quales eæ mulieres fuerint, diligenter interpretatus est. Sed extranearum appellatio cùm Græco verbo conueniat, & sit ab Imperatoribus vsurpata in l. eum qui. & ab Greg. lib. 11. epist. cap. 40. & 41. mihi probatur magis. Quod tamen in ea lege de sororia appellatione traditur, obscurum forsitan esse videbitur, nisi adnotauero συνεισάκτους, à clericis & sacerdotibus, qui earum consuetudine delectabantur, sorores aut matres aut filias appellatas, vt propudia sua sub his vide- D licet pietatis nominibus obtegerent: id quod Hieronymus indicat in lib. ad Rusticum monachum de viuendi forma, & in lib. de vitando suspecto contubernio, & in eodem Sermone Io. Chrysostomus. Sensus igitur legis hic est, vt ne quis sacerdos aut clericus tales domi sorores habeat, & generaliter ne extraneas, id est, συνεισάκτους habeat, nec vllas omnino mulieres, prẹter matrem, filiam, germanam, & eam quæ vxor ante sacerdotium fuerit. Additur in concilio Nicæno θεία, & quælibet huiusmodi necesitudine coniuncta mulier, vt procul absit omnis ab ea suspicio. Est autem eadem l. eum qui probabilem. translata in leges Baiunariorum tit. 1. cap. de presbyt. & diac. vt minimè E habitent cum mulieribus.

De stipulationibus emptæ & venditæ hereditatis. CAP. XXX.

STIPVLATIO emptæ & venditæ hereditatis ex emptoris parte ita interponitur, QVANTA PECVNIA AD TE EX HEREDITATE ILLA PERVENERIT, DOLO'VE MALO TVO FACTVM EST ERIT'VE QVOMINVS PERVENIAT, TAN- F TAM PRAESTARI. l. 50. de verb. oblig. D. Ex parte venditoris vt concepta fuerit stipulatio non habemus: constat tamen id inter cetera potisimum ab emptore caueri consueuisse, Quantam pecuniam venditor hereditario nomine dederit, soluerit, præstiterit, tantam se venditori præstiturum. l. si ex pluribus. D. de hered. vel act. vend. Videntur & illa verba fuisse recepta, QVANTA PECVNIA AD EVM PERVENISSET. l. liber. §. 1. D. de stip. ser. atq; ita vtrinq; interponi stipulationes indicat §. ergo si quidem, de fideic. hered. Ad eas verò pertinet, ni fallor, tota l. 2. D. eodẽ tit. quod vt planius intelligatur, eam ipse legem & stipulatio- G num formulas retexere subtiliter in hoc capite constitui. Primum omnium hoc in lege proponitur, venditorem hereditatis de suo facto satisdare: quo in loco Satisdare significat Repromittere, quod frequens esse ostendimus in tit. quib. mod. tol. oblig. Repromisionis verba illa sunt, QVANTA PECVNIA EX HEREDITATE &c. Dubitari potest, an etiam satisdare de euictione debeat. Quod negatur in ea lege, vbi quoque

A quoq; Satisdare est Cauere,nõ fideiussores dare:nam neq; alius quilibet venditor de euictione dat fideiussores.Venditor igitur, etsi præstare debeat hereditatẽ esse, & se heredẽ esse,si quid tamen ex corporibus hereditariis euincatur, vt eo nomine cauere non debet,ita nec eo nomine tenetur,quoniam hoc agitur,vt id ex ea vẽditione tantum emptor habeat,quantũ habiturus foret venditor. Proinde si res euicta nõ sit hereditaria,ideo de euictione non agitur,quia id actũ non fuit, vt res nõ hereditaria væniret:quòd si res euicta sit hereditaria, iniuria iudicis non obligat venditorẽ.l.5.D. de euict.Non potest igitur dari casus,quo vẽditor de euictione teneatur. Eademq; ratio-
B ne dicendũ idem est in venditione peculij:nam vtrumq; iuris nomẽ est. Attamẽ venditor hereditatis cauere,ita vti diximus,debet,QVANTA PECVNIA &c.vbi primũ illa occurrit quæstio,quid pecuniæ verbo cõtineatur. Eadẽ ferè sunt verba cautionis, quæ ex lege Iulia præstatur vxori à marito manumittente seruos dotales vxoris voluntate.Pecuniæ autẽ in ea propriè verbũ accipitur pro ęstimatione,pretio,numis.l.si verò.D.solu.matrim. At certè in hac stipulatione,pecunię verbũ etiam corpora hereditaria cõprehendit,idq; explicatur in l.quisquis.D.de leg.3.& lege pecuniæ verbũ.& l. cùm stipulamur.D.de verb.signifi. nam & l.pecuniæ verbũ,ad stipulationes emptæ &
C venditæ hereditatis propriè pertinere,& cũ l.2.D.de her.vend.coniungendã esse, inscriptio vtriusq; , nec non Hereditatis verbũ in ea lege explicatũ,apertè demonstrat. Sed rursus quæritur,verbũ QVANTA, vtrũ ad mortis tẽpus referatur,an aditionis,an vẽditionis.Et d.l.2.§.1.venditionis tẽpus ait spectari,non mortis,non aditionis. Sententia hæc est,In venditionẽ hereditatis venire non ea tantùm quæ fuerũt mortis vel aditionis tẽpore,sed etiam ea quæ post mortẽ aut post aditionẽ accesserunt:hereditas enim,licet nomẽ sit iuris,accesſionẽ tamen & decesſionẽ recipit. Si quid igitur accesserit post aditionẽ aut mortem,hoc in venditionẽ hereditatis venit:si quid tamen he-
D redis facto decesserit,vtputa si ante venditionẽ hereditatis rem hereditariã vendiderit aut donauerit,pretiũ eius præstare debet.Item si post venditionẽ rem aliquam nactus sit,eam rem præstare debet.d.l.2.§.sed etsi rerũ.§.sed & rerũ.l.venditor ex hereditate. eod.tit.Apparet autẽ ex his in exquirẽda quantitate venditæ hereditatis,ita venditionis tẽpus spectari,vt accesſiones hereditatẽ augeant,decesſiones heredis facto cõtingentes non deminuãt:quod in ponẽda ratione legis Falcidiæ nõ obseruatur.hic enim tẽpus mortis inspicitur, nec vel accesſionibus augetur, vel decesſionibus deminuitur hereditas.Ideoq; si creditor filij patrem heredẽ scripserit,lege Falcidia interueniẽte in
E hereditate computabitur quod heres defuncto debuit pro ratione peculij , quod fuit mortis tẽpore.l.eo tẽpore.§.si creditor.D.de pecul.cui opponi solet l.si creditor.D.ad leg.Falc.Earum verò inter se cõciliatio eruẽda est ex l.cum quo.D.eod.tit.At si creditor filij patrẽ heredẽ scripserit,& is porrò hereditatẽ vẽdiderit,emptori de peculio tenebitur,quod fuit venditionis tẽpore. & ita est accipiẽda l.si creditor.D.de pec.l.2.§. illud quæsitũ.D.de hered.vend.Tempus quidẽ mortis hoc etiã casu,vel saltẽ aditionis spectari cõueniebat,vt in lege Falcidia:sed ideo venditionis tẽpus inspicitur,quia plerumq; id inter vendentẽ & ementẽ agi videtur.d.l.2.§.1.Sequitur in stipulationis for-
F mula, EX HEREDITATE: plenior esset vberiorq; stipulatio,si diceret EX TESTAMENTO.Cùm verò dicat EX HEREDITATE, nec hereditas pupillaris,nec prælegata emptori præstãda sunt.d.l.2.§.illud potest quæri.Nõ præstantur etiã ea quæ nõ ex hereditate,sed propter hereditatẽ percipiũtur,vt in specie l.itẽ veniũt.§.cũ prędiximus.D.de petit.hered.& d.l.2.§.solet.Verbũ autẽ PERVENERIT vti accipiendũ sit in eadẽ lege,explicatur §.peruenisse.& vt in cautione legis Iuliæ,sic in hac stipulatione videtur peruenisse,siue iam exegit,siue exigere potest:& ideo cedere actiones vẽditor debet,non tãtùm principales,sed etiã accessorias, eas quoq; quas ipse vẽditor
G postea nactus est.d.l.2.§.non solũ.Ex cesſione,emptori directę cõpetunt,Sine cesſione,vtiles.Additur in stipulatione, Dolóve malo tuo factũ est erit've quominus perueniat.Quæ verba sic explicantur in eadẽ lege.§.sed & si quid. vt dolum cõprehendant & latam culpã.Ideoq; venditor ex empto tenetur siue dolo siue lata culpa id egerit,ne quid ad se perueniret. De leui culpa non tenetur, nisi cùm in ea re custodienda quæ iam ad ipsum peruenerit negligẽs est.l.3.D.de hered. vend. Hæc de stipulatione em-

ptoris. Ad stipulationem venditoris, & ea quæ oportet emptorem præstare venditori A
pertinent à §. Sicuti lucrum.cetera omnia vsque ad finem legis. Et, vt breue faciam, ad emptorem lex ait pertinere damna, onera, impensas hereditarias, æs alienum defuncti, etiam quod heredi defunctus debuit: quia etsi id videatur aditione confusum esse, tamen empta hereditate restituitur heredi & conseruatur. Sed & siquid in rem hereditariam, quam venditor sibi recepit, ante venditionem impensum sit, id quoque venditori præstandum est. d. l. 2. §. si venditor. & hæc ita sibi rectè dari venditor stipulatur, emptor promittit. Ad venditorem creditores hereditarij veniunt. Ad emptorẽ inuitũ non veniunt. l. 2. C. de pact. l. 2. C. de hered. vend. præterquã si à fisco vendita B
hereditas fuerit. l. 1. C. eod. & ideo venditori, si quid hereditario nomine præstiterit, hac stipulatione caueri solet. Sed & si non fuerint interpositæ stipulationes emptæ & venditæ hereditatis, ad ea quæ his stipulationibus comprehendi solent, ex empto & vendito actiones dari, nemo est qui ambigat.

Explicatio l. 1. C. de obligat. & act. & l. nulla. C. de procurat.

CAP. XXXI. C

VLGO iactatur mandatum re integra finiri morte domini: quod in mãdato venditarũ, donatarum, aut in solutum datarum actionũ non obtinet, nisi si dominus sine herede decesserit: mortuo enim domino sine herede, vtilis actio mandatario competit, ex cessione directa nõ competit. & hæc, ni fallor, est sententia l. 1. C. de oblig. & act. à nemine, quòd sciam, adhuc explicata. Proponam speciem legis, vt melius possit eius cognosci sententia. Valeria mulier (cui, si se obliget, non si pro alio pecuniã soluat, S. C. Velleianum opitulatur) creditori pro debitore pecuniam numerauit, nõ D
tam solutionis nomine, quàm quasi pretij loco: & ideo actionem quoq; suam creditor mulieri mandauit. Porro is decessit re integra, id est, nondum lite cõtestata. Quæstionis est, an mandatum sit finitum. Et quidem si heredẽ creditor habeat, mãdatum non finitur, propterea quòd fidem venditionis ab herede impleri oportet. Itaque mulieri non tantùm vtilis actio proprio nomine, sed etiam directa ex cessione cõpetit. Quòd si heredem non habeat, finitur mandatum: & ideo Valeriæ vtilis quidem actio datur, quæ cuilibet emptori actionis proprio nomine competit, directa ex mãdato non datur. Vt ergo eius morte qui nomen emit, mandatum non finitur. l. illam. C. de donat. E
ita morte domini mandatũ non aliter finietur, quàm si is re integra sine herede decesserit. Et hæc quidem obtinent in procuratore in rem suam, puta in mandato venditarum vel donatarum actionum, sicut initio diximus. nam si in rem meam ad agendum vel defendendum, procuratorem constituero: me re integra mortuo, mandatum finiri, nemo est qui nesciat. Verùm dubitari potest vtrum isto casu rem integram esse definiamus, eam quæ nondũ sententia iudicis definita est, an, vt superiore casu, eam quæ in iudicium deducta & contestata nondum est: quod ratio facere videtur. & ita Iuliano placet in l. nulla. C. de procurat. Igitur si dominus post litis contestationem deces- F
serit, mandatum non finitur. Ratio Iuliani hæc est, quia litis contestatione procurator dominus litis fit: vsque adeo vt & alium ipse procuratorem facere possit. Memini hanc Iuliani constitutionem ab Symmacho laudari lib. 1. epistol. his verbis, Successit aliud, vt obitu Marcianæ clarissimæ feminę mandatum diceretur extinctum, sed contrà venerabilis Iuliani sanctio stare procuratorum iussit officia, causarum dominis viuentibus inchoata.

Emendata & explicata l. vlt. D. de leg. lib. 3. CAP. XXXII. G

DICAM primùm quid emendandum putem in l. vlt. D. de legat. lib. 3. deinde quid me moueat, & quæ sit legis totius sententia, breuiter exponam. Puto sic initium legis emendandum esse, *Si pater exheredato filio instituit heredem extraneum.* Itaque pro *Substituit*, repono *Instituit*: vt sit hæc

species,

A ſpecies, Pater filium impuberem exheredauit, extraneum heredem inſtituit, & alium quemdam filio exheredato in ſecundum caſum ſubſtituit: deinde ille extraneus hunc filium heredem inſtituit, isq; aditione factus heres, atque adeò paternam hereditatem nactus, ex beneficio heredis paterni, non ex iudicio patris, intra pubertatem deceſsit, eique ſubſtitutus è ſubſtitutione pupillari heres extitit. Quæritur, an ea legata, quæ à ſubſtituto exheredati filij pater reliquerat, debeantur. Et quidem ſi heredi extraneo filius exheredatus fuiſſet ſubſtitutus, & primùm hereditas ad eum ex ſubſtitutione, deinde ad exheredati ſubſtitutum perueniſſet, à ſubſtituto exheredati relicta procul-
B dubio legata deberentur. At cùm in ſpecie propoſita non ex ſubſtitutione, patrisq; iudicio, ſed ex heredis extranei teſtamento ad exheredatum hereditas peruenerit, magis eſt vt legata ſubſtitutus non debeat: nam & hoc caſu ab ipſo exheredato legari non potuit, illo potuit: non eſt autem æquum vt plus teſtator iuris habeat circa perſonam ſubſtituti, quàm in eo cui eum ſubſtituit. l. qui fundum. §. qui filios. D. ad leg. Fal. Atque ita in initio legis de qua agitur, ſpeciem ponendam eſſe indicant quæ ſequuntur: quibus illo amplius adiicitur, idem dicendum eſſe, ſi frater inſtitutus fratrem exheredatum inſtituerit, & is deinde adita hereditate fraterna intra pubertatem deceſ-
C ſerit: nam etſi quod per fratrem accipit, propius ex patre ipſo eſſe videatur (cui per patriam poteſtatem ambo ita deuincti ſunt, vt vnam familiam vnamq; perſonam quodammodo conſtituant) quàm id quod per extraneum heredem exheredatus filius accipit: ſi tamen verum amamus, vtroque caſu dicendum eſt, non directò, id eſt principaliter, ſed per ſucceſsionem bona patris ad filium exheredatum peruenire, denique ſubſtitutum exheredati legata non debere. Idemq; eſt ſi frater exheredatus inſtituto fratri ab inteſtato heres extiterit. Cùm verò vt ſpecies ponitur in fratre, ita quoque in extraneo ponenda ſit, quis non videt pro *Subſtituit*, neceſſario legendum eſſe
D *Inſtituit?* Nam ſi legamus, *Subſtituit*, & ita ponamus pupillo ſubſtitutum heredem extraneum pupillo herede relicto deceſsiſſe, nullus profectò ſubſtitutus pupillo ſuperfuerit. Quod enim affingit Accurſius duos ei ſubſtitutos patrem dediſſe, heredem extraneum & Sempronium, omnino commenticium eſt: nec ſanè fuit cur auctor legis duorum ſubſtitutorum exemplum apponeret. Placet etiam in illo legis loco, *Quia non principaliter, ſed per ſucceſsionem bona fratris ad eum peruenerunt*, pro *Fratris*, reponere *Patris*: nam patris dumtaxat hereditas, vti ad filium peruenerit, inſpicitur. Sic paulò antè *Quia non directò*, inquit, *ſed per ſucceſsionem ad filium hereditas pa-*
E *tris peruenit.* Et cum vno in loco dicat *Directò*, in altero *Principaliter*: ex eo etiam colligendum eſt, Directò nihil eſſe aliud quàm Principaliter: idq; memini me adnotaſſe in §. vlt. quod cum eo &c. Imperatores dixêre nomine principali in l. 8. C. Th. de his qui ſup. relig. conten. Iulianus ſuo nomine in edicto nouo.

Explicatio l. 1. C. de quæſtion. CAP. XXXIII.

F VETERE S. C. cauetur quæſtionem de ſeruis contra dominos haberi non poſſe. Ab hac ſententia Impp. Seuerus & Antoninus in l. 1. C. de quæſt. tres excipiunt cauſas, adulterij, fraudati cenſus, maieſtatis. At quæri poteſt, an vt in adulterij, ſic & in ſtupri vel inceſtus cauſa, in domini caput ſerui torqueantur. Et reſpondetur non torqueri in l. de inceſtu. l. extraneo. D. de quæſt. quod & Ammianus Marcellinus tradit lib. 28. Mancipia, inquit, ſqualore diuturno marcentia in domini caput ad vſque vltimum lacerabat exitium, quod in ſtupri quæſtione fieri vetuêre clementiſsi-
G mæ leges. Sed ſi per adulterium inceſtum committatur, domino inceſti poſtulato rectè Papin. reſpondit de ſeruis quæſtionem haberi. l. vim. §. vlt. D. de adult. coërc. l. ſi quis viduam. D. de quæſtio. nec enim inceſti crimine adulterij crimen obliteratur. Ceterùm non primi Seuerus & Anton. à S. C. adulterij crimen exceperunt: namque hoc, vt Papin. oſtendit in l. extraneo. M. Antoninus philoſophus primùm, deinde Maximus princeps ſecutus eſt. Vbi nemo eſt qui nō ſit quæſiturus, quem Papin. Maximum principem vocet. Is autem eſt Seuerus Imperator. l. in honoribus. D. de vacat. mun. l. qui

solidum. §. 1. de legat. lib. 2. Eidem Papiniano etiam Optimi & Maximi sunt principes Seuerus & Antoninus in l. Iurisperitos. de exc. tut. l. cum secundis. §. 1. de his quib. vt indig. Et hi etiam fraudati census crimen exceperunt. Crimine hoc tenentur, qui non omnia quæ habent, ex fide bona in censum deferunt. Est & fraudati vectigalis crimen. l. fraudati. D. de publican. sed hoc ipse crimen exceptum fuisse nō inuenio. Iidem Imperatores perduellionis crimen excipiunt. Tum adiiciunt, In ceteris criminibus, si dominus aliis probationibus fuerit conuictus, inanem esse præscriptionem hanc, quòd serui quoque in domini caput interrogati fuerint. Vnde consequens est, deficientibus aliis probationibus, vtilem esse præscriptionem. Credo huius rescripti partem quamdam referri in l. 1. §. item Seuerus Spicio Antigono. D. de quæstio. de seruorum indiciis contra dominos non admittendis. nam etsi in inscriptione rescripti siue l. 1. C. de quęstio. vulgò legatur *Antianæ*, tamen quia veteres libri habent *Antigone*, credo legendum esse *Antigono*, vt in §. item Seuerus. Id verò ad extremum additur in eo rescripto, In ciuilibus causis ex inopia probationum seruos interrogari. Placet enim Haloandri lectio, tum quia hæc rescripti pars ita refertur in l. Diuus. D. de quæst. tum etiã quia rationi summopere id congruit: nec enim in domini caput interrogantur qui ciuilibus in causis interrogantur. Ideoq; licet in criminalibus nec inopia probationum audiantur, in ciuilibus tamen vel inopia probationum audiendi sunt. Quamobrem non *Nec inopia*, sed *Ex inopia* legendum est. In lege illa etiam error est in Coss. & pro *Fusco & Dextro*, legendum *Dextro & Prisco*.

Explicatio l. dotalem. & l. hæc actio. D. solut. matrim.
CAPVT XXXIIII.

MARITVS aut vxore donante, aut negotio cõtracto, aut inuita vxore manumittit seruũ dotalem. Si donante vxore, nihil vxori præstat. l. si constante. §. si vir. l. quod si vir. D. solut. matr. Si negotio gesto, ea vir vxori præstat, quæ à liberto ad eum quasi ad patronum peruenerunt. Cetera quæ alio iure ad eum peruenerunt, nō præstat. Illa verò præstari ex lege Iulia & Papia Vlpianus indicat in l. si verò. D. eod. tit. & inde ipse colligo ex lege Iulia vxori actionem dari, vt vel res ei vel cautio præstetur. Cùm enim obligatio noua lege introducitur, neque cauetur quo genere actionis experiendum sit, ex lege agendum est. l. 1. D. de condic. ex lege. atque hoc etiam confirmat l. filius. §. vlt. D. ad leg. Cornel. de fals. Quæsitum est, inquit, quid mulier ex lege Iulia consequi posit, id est, quid condictione ex lege Iulia consequi posit. Hæc verò est illa diu perquisita necdum ab interpretibus inuenta actio, de qua agitur in l. hæc actio. D. solut. matrim. Hæc actio, inquit, etiam constante matrimonio, mulieri competit. Hæc actio, id est, condictio ex lege Iulia, non actio de dote (nam hæc matrimonio constante nō competit excepto casu l. si constante in princ. solu. matr. & l. 1. C. de repud. ad quos si cum Azone sententiam legis Hæc actio, coangustaueris, profectò fueris ridiculus.) non actio ex stipulatu (quandoquidem hac ipsa actione stipulatio extorquetur, officio enim iudicis præstatur. l. si constante. §. si vir solut. matr. & hic vtiq; iudex, cuius officio præstatur cautio, cùm sine actione iudex esse non posit, additur actioni ex lege Iulia.) non est etiam illa vel mandati vel negotiorum gestorum actio: nam etsi muliere inuita seruos dotales manumiserit maritus, hæc de qua loquimur actio competit: & huc pertinet l. dotalem. D. solut. matr. cuius, ni fallor, hæc est sententia, Si seruos dotales inuita vxore maritus manumiserit, omnia vxori præstat, sed nō eodem omnia iudicio: nam ea quidem quæ iure patronatus consecutus est, etiam constante matrimonio restituit condictione ex lege Iulia, cetera autem dotis iudicio, soluto matrimonio. Quia verò lex Dotalem, in initio ambiguo verbo vsa est, *Inuita*, vel teste Seneca in lib. 6. de benefic. cap. 7. ideo in fine additum est, *Si modò vxor manumittenti refragatur:* vt intelligeremus inuitam esse, non quæ non consentit, sed quæ contradicit.

Quo

A

Quo causa momenti & proprietatis ordine agatur. CAP. XXXV.

VID sit momentum, exposui libro primo. Nunc ostendam hoc capite, momenti causa quo ordine quibusq; legibus agatur atque decidatur. Et alia quidem est principalis, alia momenti causa: In hac, de erepta possesione agitur, In illa, de proprietate: vtraque autem ab vno eodemq; iudice definienda est, vt est constitutum in l.nulli.C.de iudic. & Gregorius rectè his verbis exponit libr. 7. Epist. cap. 100.
B Legali prouisione decretum est tam momenti quàm proprietatis causam in vno eodemq; iudicio debere cognosci. Ceterùm prius de momento, quàm de proprietate cognoscendum est.l.si de vi. D.de iudic.& hinc an eæ duæ quæstiones à iudice simul disceptari & definiri posint,ab interpretibus nostris variè disputatur.Ego inueni apud Symmachum lib. 1.Epist.iampridem hoc fuisse ab Imperatoribus ita definitum, non vt cogantur, sed vti posint iudices, si velint, quotiens de possesione iudicant, continuò etiam, si casus tulerit, de proprietate cognoscere. Sed libet referre totam hanc momenti quæstionem, quæ apud Symmachum agitata, & ab ipso deinde per episto-
C lam Imperatoribus relata est,vt intelligatur quæ tunc fuerit mouendi & exercēdi momenti ratio.Cęsariana massa communis erat inter Scirtium ac Theseum ex æquis partibus pro indiuiso:nam ex mandato Facianæ clarisimæ feminæ Scirtius Theseo massam communicauerat. Massam, possesionem siue coloniam vocat, Massarium, colonum: quibus verbis Casiodorus & Gregorius vtuntur sæpisimè in epistolis, & Rotharius rex Langobardorum in edicto suo. Porrò Theseus cùm decesisset in minore ætate liberis heredibus relictis, Scirtio vi erepta est pars dimidia Cæsarianæ massæ. Scirtius momenti beneficium impetrauit, ac per executorem, cùm ei possesio redin-
D graretur, huic rei se obiecerunt heredes Thesei, & Artemisius Olibrij procurator. Ibi tum Symmachus præfectus vrbi, à quo Scirtius momenti beneficium impetrauerat, vt statum possesionis omnem pernosceret, officialibus negotium dedit vt colonos prædiorum euocarent, iisq; quorundam interuentu exemptis, cùm iusisset rursus ad hanc rem instruendam necessarios euocari,exhibitus est vnus Thesei libertus, adfuerunt heredes etiam Thesei, procurator Olibrij non adfuit. Interrogatus libertus quis prædiorum colonos abduxisset, nonnullos delituisse, alios verò ad villam Olibrj perductos fuisse respondit: atque ita qui non fuisset in patronum interrogatus.l.liberto-
E rum.C.de testib.in liberos patroni iure interrogatus fuit. sed iis tamen, quæ ab eo dicta sunt,non magnam fidem habuisse Symmachus videtur:ac deinde fuit etiam à Valentiniano constitutum, vt liberti ne in patronorum filios vel nepotes interrogarentur. in Nou.de libert. & suc.eo. Porrò audito Thesei liberto, euocati sunt & exhibiti Prænestini confines Cæsarianæ massæ,ac tum Olibrij procurator etiam emersit,& defensor minorum, id est, heredum Thesei, sine quo iudicium cum eis consistere non poterat, & agitari de possesione cœptum est: ac pro sua quisque parte, cùm sibi pos-
F sesionem defendisset,interrogati tandem sunt Prænestini curiales hoc ordine,Nomina primùm ac singulorum dignitates præfectus vrbi sciscitatus est,tum quis esset locorum, de quibus agebatur, iustus possessor, deinde quis tributa & indictiones, quæ quidem sunt possessorum onera,exoluisset. Responsum est possedisse Scirtium cum Theseo,eosq; onera semper tributorum & indictorum sustinuisse. Rursus interrogati quis è possesione Scirtium deiecisset,huius rei culpam in actores Olibrij contulerunt,eaq; omnia denuo auditis reis intimata partibus cùm fuissent, ibi tum Olibrij procurator dixit, massæ partem dimidiam Olibrio Thesei morte quæsitam esse: Contrà Scirtius, fateri se morte Thesei,cum quo massam communem habuit,massę partem dimidiam
G ad alios translatam esse, eamq; se consentiente Thesei heredes retinere, nec impedire se quin eam Olibrius quoque, si posit, sibi retineat: ceterùm ad se massæ alteram dimidiam partem pertinere. Defensor autem minorum dixit massam in solidum ad minores pertinere, quòd partem Theseo ex Facianæ mandato Scirtius tradidisset, partem in liberos Thesei spontanea largitate contulisset. Cui sic respondit Scirtius, se Theseo petente,eandem partem quam ex mandato Facianæ tradidit,in eum vel eius liberos

liberos veluti ex donatione contulisse,sicut sæpe aliàs fit,vt quod ex transactionis causa traditur,veluti ex emptione tradatur. l.cum ea quæ. C.de transact.vt id quod agitur maiorem vim obtineat. Ea verò se mente fuisse Scirtius ex eo demonstrabat, quòd posteriore donatione se partem pro indiuiso donare conscripsisset: nec enim, si partem ipse sibi nullam retinuisset, additurus fuit Pro indiuiso. Hæc omnia quæ ex vtraq; parte adferebantur, cùm Symmachus dixisset non ad momenti, sed ad proprietatis quæstionem pertinere, ac ipsi etiam defensores de iure simul cognosci desiderarent, proferrentq; illam constitutionem quæ iudici tribuit potestatem de possessione simul & proprietate cognoscendi, & cùm de proprietate illi non tantùm cum Scirtio, sed etiam inter se certarent: visum est Symmacho pronuntiandum prius esse de possessione, dilata proprietatis causa.Ita igitur ex Scirtij documentis & curialiũ testimonio, pronuntiauit pro Scirtio.Defensores prouocarunt ad principem:nam à præfecto vrbi prouocatur princeps.l. Æmilius.D.de minor. Non fuit recipienda prouocatio.l.1.C. si de momen.pos.Symmachus tamen eam recepit,vt in examen,inquit,Imperatorum & inuasionis indignitas & modus iudicij perueniret.

Explicata l.penult.D.de trit.vino & ol.lega. CAP. XXXVI.

DOLIA esse in vasis vinariis apertè demonstrat l.vinaria. D. de verb. signific. modò si in eis vinum sit. Huic sententiæ quidam opponunt l.penult. D.de trit.vino & ol.lega. Quam ipse nunc si fideliter exposuero, non esse cur eam illi aduersam faciant, nisi me fallo, & statim persuasero. Vino legato aut vendito debentur amphoræ & cadi: vtres aut cullei non debentur,quia non condendo,sed deferendo vino parati sunt, nec sunt vasa vinaria. Dolia quoque non debentur, quoniam ad perpetuum vsum in cella defodiuntur & deprimuntur, nec vt cadi & amphoræ ideo habentur vt exportentur: idemq; plerumque cupparum vsus est,& ideo eæ quoque non debentur. Quamobrem is qui doliare vinum vendidit, nisi in tempore vinum tollatur,id potest effundere: atque vt sciatur, vino ad mensuram vendito, quantum emptori perierit,qui pro eo quod admensum fuerit, pretiũ debet,mensuram,vt Iurisconsulti veteres tradiderunt, facere per corbem potest. l.1. §.vlt. D.de peric.& com.rei vend. quod facetè à veteribus dictum videtur, ac si per cribrum dixissent, vt sic quod ex dolio diffunditur quasi in vas aliquod effluat statim & effundatur. Vix enim est vt corbis liquorem contineat, cùm fiat ex viminibus, vt Varro lib. 1. de re rust. scribit, cap.22. & proptiè cogendis fructibus comparata sit.l.in instrumento. D.de instr. vel instrum.lega. Et vt maximè ita possit corbis consertè contexteq; fieri vt vinum contineat (nam & ex viminibus ita naues fieri Cæsar,Plinius,Lucanus auctores sunt) corbis tamen mensuræ genus non est. At sicut vino doliari vendito, non ita vino legato, potest vinum heres effundere, licet per exceptionem quanti sua interest habuisse dolia inania sibi seruare possit: idq; ostendit l.si heres.D.de trit.vi.& ol.lega.vbi ratio diuersitatis ab Accursio rectè notata est,multo certè felicius quàm ab eodem fuerit in superiore quæstione statuta differentia inter legata & venditiones in l.in testamentis. D.de diuers.reg.iu.nec enim ea in re quidquam à venditionibus legata distant, sed, vt superius dictum est,tam vendito quàm legato vino cadi & amphoræ debentur: dolia, cuppæ prædio inhærentes,vtres,cullei non debentur. Hinc existit quæstio, Si quis vina cum vasis legauerit, an & vina doliaria debeantur. Nam etsi re vera dolia sint vasa vinaria,vulgus tamen in vasorum numerum ea propriè reputat quæ exportantur,quæ non hærent prædio, quæ ad perpetuum vsum non reseruantur, vtputa cados & amphoras.Ideoq; Trebatius dicebat ex defuncti sententia non deberi vina doliaria,quòd ea tantùm legasse videretur quæ in vasis,id est,amphoris & cadis essent:vinum autem quod est in doliis, vulgus in vasis esse non putat. Ex verbis tamen Trebatius ait vina etiam doliaria deberi. *Ceterùm,*inquit,*dolia in vasis vinarijs non essent:* vbi *Ceterùm* significat absurdum, & sumitur pro Alioquin. At à Proculo Trebatius meritò reprehenditur in d.l.penult.Sententia Proculi hæc est, Demus,concedamus hoc,dolia non esse

A esse in vasis vinariis, atque ita rem falsam admittamus, maioris contentionis euitandæ causa, non tamen legato vino cum vasis, id quod in vasis non est, id est, quod est in doliis, ideo minus debebitur. Tam ergo doliare, quàm vasarium debebitur, sicut seruis cum peculio legatis, tam non peculiati serui debentur, quàm peculiati. l. 6. de trit. vi. & ol. lega. Hæc si diligenter expendantur & conferantur cum illa l. pen. eius, vt opinor, sensus vnicuiq; liquidò cõstabit. Illud adiiciendũ est, in ea lege corruptè legi *Probetur*, existimare me, cuius verbi loco lubenter sanè reposuero *Prometur*.

B *Variasse Papinianum, reiq; huius quædam in Iustiniani Pandectis adhuc extare vestigia.* CAP. XXXVII.

VARIASSE Papinianum, & mutasse aliquando sententiam scribit Iustinianus in l. vlt. §. sed cum. C. de furt. sed hoc idem ipse Papinianus de se ipso profitetur in l. si venditor. §. vlt. D. de ser. expor. quod vti frustrà cum eo §. eiusdem tituli l. seruus ea lege. interpretes nostri adducere in concordiam conẽtur, manifestò indicabit, si totam eam quæ- C stionem, in qua variauit Papinianus, diligenter exposuero. Igitur si seruus hac lege væierit vt exportetur ex Italia, vel vt ne exportetur, & si contra legem factum esset, si venditor pœnam stipulatus sit, actio ex stipulatu omnimodo competit, siue vindictæ vel affectionis, siue pecuniæ nomine venditoris intersit. Quæsitum est, an eadem sit vis actionis ex vendito, quæ quidem lege non seruata, non tantùm si pactus sit pœnam ab emptore præstari, sed etiam si nihil ea de re conuenerit, venditori competit. Et quidem si pecuniæ siue rei familiaris nomine venditoris intersit, vtputa quòd ipse ob legem non seruatam in pœnam inciderit, nemo dubitat ex vendito actionem D esse. Æquè bonæ affectionis ratione, etiam si nihil ob eam rem venditori absit, vtputa si seruus contra legem exportatus fuerit, venditori actio competit: quoniam hominem beneficio affici, hominis interest propter naturalem hominum cognationem inter se. l. vt vim. D. de iust. & iur. At solius vindictæ ratione, id est, quòd animo sæuientis non sit satisfactum, Papiniano aliquando placebat ne ex pacto quidem in continenti apposito actionem esse: atq; ita sæpe fit aliâs vt stipulationi plus quàm pacto ex cõtinenti apposito tribuatur. l. quod si locus. D. de religios. l. auia. C. de iu. dot. Id autem Papiniano placuit lib. 10. quæstionum, id est, in l. seruus ea lege. quòd crudele nimium sit & E indignum, si res familiaris nullum damnum patiatur ob pœnam vel contumeliam homini non irrogatam, hominem experiri. Sed idem Papin. lib. 27. mutauit sententiam, & à Sabino testatus est se in contrarium trahi, quòd semper intersit venditoris, propterea quòd vt lex seruaretur, ideo viliore pretio seruum vendidisse videatur: & hoc continetur in l. si venditor. §. vlt. Vtinam qui hoc tempore ius nostrum interpretantur, Papinianum imitati, quæ vel falsò vel ineptè aliquando & senserint & scripserint, ingenuè retractent, nec in eis contra quàm postea resciuerint, tam obstinato tamq; obfir- F mato animo, vti faciunt, perseuerent.

An tutor pupillum adrogare possit. CAP. XXXVIII.

ADROGARI antea nõ poterat nisi iam vesticeps, id est pubes, ne in potestate tutorũ esset, liberũ caput alienæ ditioni subiicere: atq; hoc Aulus Gell. scribit lib. 5. Nunc ex constitutione Antonini Pij etiã inuesticeps, causa cognita, adrogari potest: quod etsi nominatim in Pãdectis relatũ nõ sit, Vlpianus tamẽ ita scribit in fragm. & in Pandectis G etiã sæpe fit mẽtio quartæ Antonianæ pupillo adrogato debitæ. Illud verò hîc inspici quæriq; dignum est, an pupillus à tutore ipso adrogari possit: qua in re pugnare videtur l. nec ei permittitur. D. de adopt. cũ l. nõnumquam. eod. tit. nam l. nec ei. adrogationem ait non esse permittendam, ne ratio reddendæ tutelæ cohibeatur: l. nonnumquã. omnimodo esse permittendam. Imperator, inquit, Titus Antoninus rescripsit priuignum suũ tutori adoptare permittendum. Idem igitur qui adrogationem pupilli

pupilli permisit causa cognita,& eam tutori nominatim permisit. Sed verius est tutori A
vitrico pupilli adrogationem permitti:quod etiam Accursio nostro suboluit,quoniam eum est verisimile affectione sancta moueri ad priuignum eundemq; pupillum suum adrogandum. idq; confirmat l.vlt. C.de confir.tut. Plinius ad Traianum lib. 10. Voconij Romani eximia pietas hanc ipsam matris liberalitatem, & statim patris hereditatem & adoptionem à vitrico meruit. Enimuerò si pubes factus priuignus non expedire sibi adrogationem vitrici probauerit, pristinum ius recipiet.l. & si pubes. D.de adopt. Et quidem hæc eò maximè sic explicanda esse censui,quòd non desint qui pro B
Priuignum in l.nonnumquam.sibi persuaserint legendum esse *Pupillum*.

Explicata quæstio l. Stichum qui meus erit. D.de legat.lib. 1. & emendata l.scribit.§.vlt.D.de auro & arg.leg. CAP. XXXIX.

MVLTVM à demonstratione cōdicio distat: Demonstratio in præsens, Condicio in futurum tempus confertur. Hæc omnimodo existat necesse est,vt legatum debeatur. Illa etiam si vera nō sit,attamen debetur. Et ideo non frustrà quæritur in l.6. D.de legat.lib. 1.vtrum C
hæc verba *Stichum qui meus erit cùm moriar*, demonstrationem an condicionem faciant. Labeo autem ea pro demonstratione accipit l.5.§.1.D.eod.tit. l.nuper.§.vlt.de legat.lib.3. Trebatius contrà, pro condicione, nec putat quicquam interesse, ita legetur *Qui meus erit*, an *Si meus erit*. Ideoq; si tempore mortis in totum aut pro parte seruus alienus fuerit, ex sententia Labeonis totus debetur,ex sententia Trebatii non debetur,nisi quatenus eo tempore defuncti fuerit. Trebatius præceptor fuit Labeonis: sed Labeo, auctore Pomponio & Gellio, in his quæ à præceptoribus accepisset, non perseuerabat: ideoq; non mirum si Labeo hac D
in re à Trebatio dissideat. Obtinuit autem sententia Trebatij,vt in illa l.5.& l.nuper. traditur. Proinde in l.6.dum Iulianus ait magis condicionem legato iniecisse, quàm demonstrare voluisse patremfam. eo in loco articulus *Magis*, non vt sentit Accurs. συγκειτικῶς verùm θετικῶς accipiendus est, vt & in §.is quoque. quib. mod.re contra. obliga.dum Iustin.ait soluentem magis velle negotium distrahere, quàm contrahere, apud Paulum in l. 1.D.commu.diuid.dum ait actionem pro socio magis ad personales præstationes,quàm ad communium rerum diuisionem pertinere.Sumitur tamen alibi συγκειτικῶς, vt in l.iubere.D.de iurisdic.vtramq; verò huius articuli significationem sic E
eleganter Diogenes Laërtius expressit in Pyrrhone Heliensi. αὐτὸ δὲ τὸ μᾶλλον ἢ συγκειτικῶς ἐκφέρεται, ὡς ὅταν φῶμεν μᾶλλον τὸ μέλι γλυκὺ ἢ τὴν σταφίδα· ποτὲ δὲ θετικῶς ἐκφέρεται, ὡς ὅταν φῶμεν μᾶλλον ἡ ἀρετὴ ὠφελεῖ ἢ βλάπτει· σημαίνομεν γὰρ ὅτι ἡ ἀρετὴ ὠφελεῖ, βλάπτει δ' οὔ. Mouetur tamen Accursius l.scribit. §.vlt. D.de auro & arg.lega.vbi hæc verba *Quod paratum erit*, Q.Mucius ait habere in se & demonstrationem legati & argumentum.Sed mouetur loco admodum corrupto atq; deprauato: nam cùm dixerit Q.Mucius hanc scripturam *Quod paratum est*, in se demonstrationem habere: quid hæc ab illa distabit,si demonstrationem illa quoque in se contineat? deinde,quid F
sibi vult eo in loco Argumētum? Ego ducta coniectura ex quibusdam libris in quibus legitur Augmentum,sic emendaui, *Rectißimè scribit Q. Mucius, vt hæc scriptura habeat in se & deminutionem legati & augmentum.* Hæc est igitur ex Mucij sententia inter duas illas legatorum formulas differentia, quòd quæ in futurum cōcipitur,deminutionem in se atq; augmentum legati contineat: illa verò quæ in præsens concipitur non item.Simili penè loquendi figura Vlpianus ait in l.item veniunt.D.de pet.hered. hereditatem & augmentum recipere & deminutionem. Non dubito quin doctissimus quisque hanc emendationem nostram approbaturus sit. G

Addita quædam his quæ in primo libro sunt tradita. CAP. XL.

ADDATVR lib. 1.cap.9.Caium etiam Fufidij auctoritate vti in l.vlt.D.de manum.vind.Et quia capitis 31.emendatio cœpit iam à quibusdam reiici & repudiari, addatur quod Varro lib. 2. de analog. scribit, Cubiculum si fenestram non habeat, cæcum dici. Audio etiam non probari emendationem

A nem cap. 13. vbi in l. Fulcinius. ex quib. cauſ. in poſs. ea. pro *Stationes*, audere me *Statuas* reponere conſcripſi: Stationes enim tabernas eſſe, tabernasq; circa forum complures extitiſſe: igitur non fuiſſe cur eo in loco veterem commutaremus lectionem. Ego verò cùm id ſcriberem, tabernas in foro Romano fuiſſe iam inde à Tarquinio Rege, qui circa forum priuatis ædificanda loca diuiſit, auctore Liuio, non ignorabam: eas verò tabernas appellari Stationes non exiſtimabam, neque verò nunc etiam arbitror. Ceterùm qui hoc adſtruere conantur, proferunt l. item apud Labeonem. §. conuicium. D. de iniur. vbi tamen diſertè Statio, tamquam diuerſa, ſeparatur à taberna.
B Adhæc perſæpe ita Stationis nomen in Plinij epiſtolis accipi notant: qua in re facere non poſſum, quin ab eis candorem animi requiram: nam Stationem quidem militum Plinius libro 10. dixit, & in vno libri primi atque altero libri ſecundi loco Stationes apertiſsimè pro locis in quibus homines adeſſe frequentes & conuenire ſolent vel audiendi vel confabulādi vel reficiendi animi cauſa, vt & Iuuenalis Sat. 11. & Aul. Gellius lib. 13. quæ Græci συστάσεις & κύκλους, Latini etiam circulos vocant. eodemq; modo ſæpe Stationes Tertullianus dixit, loca demonſtrans in quibus Chriſtiani ſtantes die Dominico Dominum orabant (nec enim eo tempore Deum, vti
C tum loquebantur, de geniculis adorabant) idq; nomen idem ipſe ait eſſe ab exemplo militari tranſlatum in libro de Oratione. & ita quoque Marcellinus accepit in fine libri 28. Putem eadem forma in l. ne quis. C. de dignitat. deformis miniſterij (ſic enim lego ex veteribus libris, & ex Alberico) Stationarios appellari eos qui mercium viliſsimarum apothecas ſecum deferentes certis in locis aliquamdiu conſiſtunt, emptorem opperientes: qui & ob eam rem apothecarij dicuntur in l. ſi cohortalis. C. de cohortal. Eodem rurſus modo Stationes tabellionum dicuntur in Nou. de tabellio. & Stationes fiſci non tantùm in l. 1. C. de compenſat. ſed etiam in l. 1. C. ne fiſc. rem quam
D vend. euin. Portus etiam ſtatio dicitur l. portus. D. de verb. ſignific. coton item & caula. At vt ad Plinium redeam, tantum abeſt vt Plinius perſæpe in epiſtolis acceperit Stationes pro tabernis & officinis, vt neque Plinium, nec alium quemquam auctorem ipſe profiteri auſim vllo in loco in ea ſignificatione id nominis vſurpaſſe. Quod ipſe non ignorans, & loco Sidonij Apollinaris non adeò contemnendo, & columnarum cum ſtatuis, quàm cum ſtationibus proximiori coniunctione adductus, & eorum nominum inter ſe commutationem facilem eſſe intelligens, in l. Fulcinius. non longè mihi videor à vero aberraſſe, dum pro *Stationes*
E repoſui *Statuas*. Quod ſi quis tamen alius ratione meliori coarguat, facilè me vinci patiar: nec enim, quod plerique faciunt, ſic traditiones meas quaſi τεμένων ἱερὰ obſeruari velim.

BARTHOLOMAEO FAYO
V. C. SENATORI PARISIENSI
IACOBVS CVIACIVS S.

*

SVPERIORVM *librorum editio, Bartholomæe Fay vir clarißime, iniquis forsitan alienæ industriæ existimatoribus improbata, æquis certè atq; intelligentibus comprobata, tantùm abest vt hanc mihi de iure ciuili scribendi voluntatem imminuerit, vt tertium hunc ad te Obseruationum & emendationum librum, secundo vix è manibus egresso, etiam extorserit: adeò cùm data operi nostro initia excipi benignè intelligimus, solet ea res nobis omnibus vires & spiritus ad reliqua persequẽda commouere. Quinimmò eo factum est, vt deinceps quantum mihi à publicis traditionibus fuerit subsiciui temporis, id neq; inaniter præterlabi sinere, nec eo ipse alia in re vti, in animum induxerim. Quamobrem volo te, cui iam inde ab initio nostra hæc dicauimus, ita sperare, cultu me atque accuratione mea effecturum, vt ex studijs nostris, quorum patrocinium suscepisti, veluti ex agro tuo, noui quotannis tibi fructus constantis mei erga te officij perpetuæq; obseruantiæ testes exhibeantur. Interea verò etiam, affectas ac propè iam confectas à me annotationes ad tres postremos Codicis Dn. Iustiniani libros elimabimus, quas sub nomine illustrißimæ & doctißimæ principis Margaritæ Biturigũ ducis, cuius beneficio in hac schola ius ciuile profitemur, in publicum dabimus: nec moram vllam interponemus, quin hoc libro edito, illæ maturè prodeant: qua in re Iuris publici & antiquitatis studiosis nonnihil, vt spero, profuturi sumus. Vale Biturigis,*

VI. *Id. Februar.*

1557.

IACOBI CVIACII I. C.
OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM
LIBER III,
AD
BARTHOLOMÆVM FAYVM V. C,
SENATOREM PARISIENSEM.

Indicatur locus difficilis in l.ex conducto.§.item cùm quidam.D.locati.
CAPVT. I.

A SI NAVTAE, qui onus transuehendum conduxit, vectura prorogata fuerit, naufragio facto, ab eo repeti vecturam in persona procuratoris Cæsaris Antoninus rescripsit, quia trãsuehendi munere nauta perfunctus non est: quod & in aliis personis onus vehendum locantibus obtinere locum Vlpianus tradit in l.ex conducto. §.item cùm quidam.D.loca.cui, vt rectè Irnerius animaduertit, nihil obstat l.penult.§.vlt.D. eod.tit. in qua onus publicè retentum est culpa domini. An
B verò in §.item cùm quidam.error est in illis verbis, *Pro inuecto?* An *præ manu*, legendum, vt vecturam nautæ prorogatam & repræsentatam intelligamus: quomodo apud Terentium in Adelphis, Huic aliquid paululum præ manu dederis vnde vtatur: vel, quod magis probarim, eodem sensu, Vecturam quam *in promptu* acceperat. Nàm & Harmenopûlus in fine lib.2.Epitom. illa verba sic interpretatur γὼ προχειρία. Sed hac in re, vt & in ceteris omnibus, suum vnicuiq; liberum & integrũ iudicium relinquo, libentiusq; nunc Petri Pithei adolescentis eruditissimi & acutissimi iudicio adquiesco, qui recte Flor.legi, *Pro mutua*, & quasi mutuũ dari quod-
C cumq; prorogatur, atque ita vecturam prorogatam præcipi pro mutua, & non transuecto onere in credito remanere mihi dicebat. His vero testibus vtebatur.l.nomen. §.vlt. D.de leg.3. Cæsare III. de bel.Ciuil. Insequentis anni vectigal pro mutuo. Est certe in d.l.penult.§.vlt.pro *Exigere nauis*, legendum *Exigere nauta*.

V. Cuiac. l. 2. tit. 24. de frum. urb. Const. C. lib. 11. pag. 141.

Explicatio l.2.in princip.& l.vlt.D.de lege Rodia. CAP. II.

D EXPOSVIMVS libro secundo satis, vt arbitror, diligenter definitionem locatoris & conductoris: quod etsi non minimum lucis adferat l.2.& l.vlt.D.de lege Rod.tamen quia nonnihil, immò multum in eis adhuc difficultatis superest, libet pauca iamdiu à me in eas leges adnotata depromere. Apponam autẽ ipsas adnotationes breuitatis causa. Ait l.vlt. *Si vehenda.* Hîc nauta conduxit, vector vectorúmve dominus locauit. *Si ea condicione.* Hîc nauta locauit, vector conduxit. *Cùm id sciret te fieri nolle.* Inuito vectore: atque ideo nauta tenetur ex conducto. *Ex conducto locato.* Vna est actio ex conducto, quæ dicitur etiam ex conducto locato, vt in l.multum.D.
E de hered.ven.& l.etsi vno.D.de act.empt.actio ex empto vendito:& apud Varronem lib.2.de Re rust.cap.2. *Ex conducto locato.* Immò ex locato conducto. l.item quæritur. §.1.D.loca.verùm aliter in ea lege inita est locatio: nam vector onus vehendum dedit, hîc autem nauem vtendam accepit: atque adeò conductor hoc casu est, illo locator. *Priore nauta.* qui priorem nauem locauerat. *Immò contrà.* Superiori senten-

 tiæ

tiæ Labeonis Paulus varias exceptiones adnectit, puta si vtraque nauis perierit, si cum priore nauigare nō potuerit, quòd vel publicè retineretur, vel morbo impediretur, vel quod nauis ipsa prior vitium fecisset. namque his casibus nauta ex conducto non tenetur, vel ex locato, etiam si posterior nauis perierit. *Idem iuris cum ea condicione.* Hic nauta cōduxit, vector locauit, vt in legis initio. *Locasset.* Sic Flor. sed legendum omnino est *Locasses.* *Quominus remissa sibi ea pœna spectaret.* Sic Flor. malim tamen, *Remissam sibi eam pœnam:* hoc sensu, quominus munere vehendi perfungeretur. atque ita ea se pœna exolutum spectaret. *Cognitionis.* Sic malim potius legere, quàm *Cogitationis.* *Nautam.* priorem. *Nauis.* prior. *Pretium.* Pretium pro mercede. *Si auersione.* Auersioni opponitur numerus. Si auersione nauis conducta sit, merces de qua conuenerit, integra debebitur, etiam si parum aut nihil in nauem conductor immiserit. Originem verbi exposuimus lib. 3. Instit. Nunc sequitur vt legis 2. annotationes apponamus. Quæstio legis hæc est, Qua actione is qui iacturam fecit, eliciendæ contributionis causa, cum nauta experiatur. Hac verò vti distinctione lex videtur, Aut vector qui iacturam fecit merces vehendas locauit, aut nauem conduxit. De eo primùm qui locauit, deinde in vers. At si non, de eo qui conduxit lex tractat. Et ita ostendit vectori modò ex locato, modò ex conducto actionē dari. *Ex locato.* Agit cum magistro nauis ex locato, vt is ex cōducto cum ceteris vectoribus agat, quorū vehenda smerces suscepit. sic in l. cùm in plures. §. messem. D. loca. l. Iulianus. §. pen. de act. empt. l. si tibi. §. vlt. de opt. legat. *Seruius.* Seruius ait ex locato agi, nō vt vltrò agat ex conducto, sed vt retineat merces: quod sanè cōmodius est. *Immò etsi retineat merces, vltrò.* Malè addi à quibusdam negationē indicat articulus ille *Vltrò.* Vltro autē, id est, prior: vt in l. 1. §. interdictum. D. vti posſidet. Actio, inquit, numquam vltrò possessori datur: id est, possessor numquam prior agit. Prius enim expectare debet vt secum agatur, quàm ipse de iure suo experiatur. Liuius lib. 1. Latrones captū regi Amulio tradidisse, vltrò accusantes. vltrò, id est, priores, cùm ipsi potius latrones accusandi essent. quod & in illo Terētij loco, Sed his vltrò arrideo, Donatus adnotauit. Ait igitur Paulus fieri posse, vt nauta merces retineat, & vltrò tamen agat, id est, eo nō expectato dum vectores suas merces reposcant. finge enim alios sarcinas in nauem immisisse, alios non immisisse. Sarcinæ sunt quæ onerant nauem. Gemmæ, margaritæ, anuli, vestimenta, sarcinæ non sunt: earum tamen rerum iactus beneficio seruatarum nomine vectores cōtribuunt. §. cùm in eadem. infr. Et hoc quidem casu nautam commodius est sarcinas retinere, nec vltrò cum his qui sarcinas intulerunt ex conducto experiri. Ceterùm cū aliis qui nullas habent sarcinas, etiam si sarcinas aliorum retineat, vltrò ex locato acturus est vti conferant. Ideo ex locato agit cum vectoribus sarcinas nullas habentibus, quòd ab eis sarcinas vehendas nō conduxerit, sed nauem dumtaxat eis, aut loca quædam in naui vtenda locauerit. Vnde satis apparet ex conducto cū eis non esse actionē. *At si non totam.* Rectè Flor. *At si non totam nauem,* &c. quod ab eis qui excudendis Pādectis Florentinis operam dederunt, deprauatum est, addito sicilico, & particula, &, quam tamen ideo parenthesi prudenter circumscripserunt, vt intelligeremus nouissimè additā esse, integro, vti tum eis videbatur, sensui reddēdo. at verò addita sensum perturbat potiùs. Puto ego, cùm superiùs dictum sit de dominis iactarum mercium, qui merces vehendas locassent, in hac parte Paulum dicere de his qui nauem cōduxissent. Et quidem hi aut nauem totam conduxerunt, aut loca in naue. Si totam nauem conduxerint, quæstioni huius legis locus esse non potest: quandoquidē cum nullo alio magister contraxit, vt posſit cum eo agere, vel eius merces retinere. At si loca in naue cōduxerint, huic quæstioni locus est: & tunc dicemus vectoribus qui iacturam fecerunt ex conducto actionē in magistrum dari, vt is vel vltro cum ceteris ex locato experiatur, vel vt merces ceterorum retineat. & hoc est quod ait, *At si non totam nauem conduxerint, ex conducto agent, sicut vectores qui loca in naue conduxerunt,* & qui scilicet iacturam fecerunt. Flor. malè legitur, *Conduxerit, ex conducto aget.* Summa igitur hæc est, Pro modo gesti negotij obtinendæ contributionis causa, dominos iactarum merciū cum magistro nauis vel ex locato vel ex cōducto agere. Quòd si incertum sit quemadmodum gestum fuerit negotium, in promptu est actio præscriptis verbis l. 1. D. de præscript. verb.

A verb. Exposui legem longè difficillimam.

De testamento conscripto notis, & explicata Nou. Iustiniani CVII. CAPVT III.

NEc ciuili nec prætorio iure testamentum pagani valet, quod conscriptum est notis: necesse enim est testamentum conscribi litteris. Notæ autem non sunt litteræ. l. Lucius. D. de mil. testa. l. sed cum patrono. §. vlt. D. de bon. posses. sed sunt compendia quædam dictionum, siue, vt
B Plutarchi verbis vtar in Catone, σημεῖα γὰρ μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα: quas suo tempore σιγλὰς vocatas fuisse scribit Iustinianus in Græca Pandectarum auctoritate, vnde forsitan Galli dixêre Sifras. Porrò militis testamentum conscriptum notis valet. d. l. Lucius. & ideo licet edicto non promittat Prætor nisi bonor. possessionē secundùm tabulas litteris perscriptas, tamen, vt etiam decreto datur bon. possessio secundùm nuncupationem. l. vlt. C. de codicil. l. 2. C. de bon. pos. sec. tab. & secūdùm volūtatem intestati ex imperfecto testamēto. l. si duobus. §. si prius. D. de bon. pos. con. tab. &, heredis nomine post consumma-
C tionem testamenti ante mortem testatoris incautè deleto, secundum voluntatē, vt alio me loco apertissimè demonstraturum spero: necnon secundùm municipalia gesta, videlicet si gestis municipalibus iudicium supremum aliquis cōposuerit: ita militis testamento per notas conscripto bonor. possessionem rectè dicam secundùm notariam decerni. Notariam voco breuem quamlibet atque compendiariam scriptionem: quo nomine vtitur sæpe D. Augustinus in collationibus operis breuiculi, & Apuleius lib. 7. de asino aureo. licet nostri auctores multitudinis numero dixerint Notoria, vt ostendi lib. 1. cap. 33. Augustinus modò Notariam, modò Notoriā indiscriminatim. At secū-
D dū pagani notariā non dabitur bon. possessio, nisi inter liberos facta sit, ex cōstitutione Constantini l. 1. C. Th. fam. ercisc. l. vlt. C. eod. nec enim inter suos vel emancipatos liberos Constantinus litteras exigit: quod ex No. Theodosij porrectū est etiā ad liberos qui sui futuri non erant in l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam. sed hoc puto Iustinianum emendasse in No. CVII. nam etsi euidenter id tantùm exigat, vt vnciarum modus διὰ ὅλων γραμμάτων οὐ τοῖς συμβόλοις τῶν ἀριθμῶν describatur, tamen paulò pòst subiicit vt τοῖς αὐτοῦ γράμμασι omnia designentur. Ergo inter liberos testationis nostræ necesse est etiam vti sit ὁλογράμματος ex No. Iustiniani. Ceterùm in ea-
E dem No. superesse hæc verba videntur, ἢ καὶ ε. quæ etsi Harmenopulus agnouerit, vetus tamen interpres & Iulianus antecessor non agnouit: & sanè pugnant, vt videtur, cū his quæ sequuntur: siquidem apertè Iustinianus definit, vt ne testamentū imperfectum ita factum, vt ipse constituit, inter liberos rumpatur alio testamento imperfecto, siue ex scripto id fiat, siue ex non scripto: quod summè notandum est. nam non æquè testamentum imperfectum iure militari factum dicimus nō rumpi testamento imperfecto intra missionis annum. l. eius. §. vlt. D. de milit. testa. faciliùs namq; rumpitur testamentum iure militari factum, posteaquàm testator miles esse desiit, quod & post missionis
F annum ipso iure infirmatur. Igitur septem in ea Nouella testes omnimodo exiguntur, nec soli quinque sufficiunt, nisi ea verba, ἢ καὶ ε, ad eū casum referamus, quo & quinque testibus testamentum perfici constitutum est in l. vlt. C. de testam.

De notatione verbi Postumus. CAP. IIII.

POSTHVMI verbum interpretes nostri iunctum esse putant, vt sit in eo, & Post, & Humatus. quos & ipse aliâs secutus sum: at quia in Pan-
G dectis Florentinis id semper absq; aspiratione verbum scribitur, & in aliorum quoque auctorum libris, vt nuperrimè in T. Liuio ex veteribus libris lapidibusque Sigonius emendauit, & quia Græci etiam πόστουμον scribunt, non πόσθουμον, dicere forsitan tuendæ huius scripturæ gratia quis possit nihil in eo verbo notandum esse, nisi Post: & Vmus productionem esse verbi, vt in Postliminio Liminium, ex sententia Seruij relata in Topi-

cis à Marco Tullio , quæ tamen ab aliis damnatur. §. ſi ab hoſtibus. quibus modis ius A
poteſtat.ſoluit.atque ita poſtumus non dicitur,quòd natus ſit poſt humatum patrem, ſed quòd pòſt natus ſit. Vmus enim nihil omnino ſignificat, ſed eum tamen propriè poſtumum dici non inficior, qui poſt mortem parentis natus eſt, auctore præſertim Plutarcho,qui πόστουμον appellari, ἐὰν τεθνηκότος πατρὸς γένηται), diſertè ait in Coriolano & in Sylla.idemq; Vlpianus,Caius,Sext.Pompeius, Varro tradunt: & hic eſt,qui à Græcis interpretibus appellatur ἐγκυοφορούμενος, quòd moriente parente in vtero fuerit. At poſtumus etiam dicitur in legis Velleæ capite primo, qui poſt teſtamentum viuo parente naſcitur: & ex eiuſdem legis capite ſecundo, poſtumorum loco ſunt qui ante B
teſtamentum nati ſunt, ſi poſtea viuo parente in ſui heredis locum ſuccedant. & hinc verò etiam apparet aptari nomẽ poſtumi,non his tantummodo,qui poſt mortem parentis nati ſunt,ſed etiam his qui poſteriores parenti editi ſunt. Proinde in illo Virgilij loco, *tua poſtuma proles*, non erit Ceſellij Vindicis reiicienda interpretatio ab Aulo Gellio relata: nam & eodem ſenſu Tertullianus Poſtumum, Poſtumatum, & Poſtumare dixit, in libro de reſurrectione carnis. Omnis, inquit,conſummatio atque perfectio, etſi ordine poſtumat, effectu anticipat. In libro aduerſus Valentinia. Sunt qui nec principatum Bythio defendant,ſed poſtumatum.In lib.contra Gnoſt.Quæ cauda C
erit quodcumq; de poſtumo corporis propagatur. Apuleius in Apol. I. Quamquã eſt iam præcipiti æuo,& occidua ſenectute,tamen & ſi videtur,ſuſcipiat doctrinam ſeram planè,& poſtumam: vbi vulgò malè legitur,ſeram planè & poſt vinum.Atq; adeo ipſe nunc omnibus ſuadeo vt Poſtumum poſthac ſine aſpiratione ſcribant, & hanc potius verbi notationem probẽt,vt Poſtumus dicatur quaſi poſterior. Certè poſtumos in l. 3. §.ex his. D.de iniuſto rup.teſta. Vlpianus poſteriores appellat. Ex his, inquit, apparet aliam eſſe cauſam filiorum ſuperſtitum,aliam poſteriorum:ſic enim Flor.legitur.& libri quoque Labeonis poſt mortem eius editi, Poſteriores dicti ſunt, quaſi poſtumi: vt ex D
Gellio in comment.de vſurp.& vſuc.oſtendi.

De nuptijs iniuſſu parentum contractis, & explicata l. 3. §. ſi emancipatus. D.de bon. poſſeſ.contr.tab. & aliæ complures. CAP. V.

LIBERI aut in poteſtate aut emancipati ſunt. Qui ſunt in poteſtate, iure ciuili eius iniuſſu, in cuius poteſtate ſunt, nuptias non poſſunt contrahere. Alioquin iniuſtæ ſunt nuptiæ, iniuſti liberi. Apul.lib.6. E
Impares,inquit,nuptiæ,& præterea in villa, & patre non conſciente factæ, legitimæ non poſſunt videri, ac per hoc ſpurius iſte naſcetur. Iuſſum exigimus, nec ſufficit rati habitio. non tamen exigimus, vt parens dicat ſe velle: ſatis namque eſt non nolle,& taciturnitas iuſſum imitatur. At cùm manifeſtò Paulus lib. 2. ſent.tit. 20. propter publicam vtilitatem nuptiarum, eas quæ iniuſſu parentum contractæ ſunt,non diſſolui tradat,imperfecta illa lex ciuilis eſt, quæ vetat nuptias iniuſſu parentis contrahi. Cenſet enim vxorem iniuſtam eſſe, iniuſtos liberos,iniuſtas nuptias,nec eas tamen diſſoluit.& hoc,meo quidem iudicio, pro- F
prium exemplum eſt iniuſtæ vxoris, de qua in l.ſi vxor.D.ad leg.Iul.de adult. quæ iure viri adulterij accuſari poteſt: nec enim concubinæ,aut eius,quæ vxor eſſe non poteſt, exemplum rectè dabitur,quandoquidem eæ iure viri accuſari non poſſunt.Liberi autem emancipati,vt vulgò traditur,parentum iniuſſu nuptias contrahere non vetantur. qua tamen in re ſeparandi ſunt mares à feminis. Filius, etiam ſi minor ſit annis XXV. iniuſſu patris nuptias poteſt contrahere: filia non item.Quinimmò ſi morte patris filia minor annis XXV. ſui iuris effecta ſit,matris conſenſum & propinquorum exigimus, propter ſexus imbecillitatem. & hoc quidem obtinuit primùm in pupillis l. I.C.de G
nupt.tum in viduis.l.viduæ.C.eod.deinde in virginibus puberibus.l.in coniunctione. C.eod.ex qua cùm,vt è C.Theod.apparet,in l.viduæ ſcriptum eſſet,*Vt in pupillarum*, Tribonianus adſcripſit, *Vt in virginum*. ex eadem quoq; puto in l.viduę.§. I.pro *Patris*,legẽdum eſſe *Matris*,mutata ſpecie,eoq; poſito patrem vita functum eſſe.At magna hinc exiſtit quæſtio inter iuris profeſſores, an ob id ſolùm exheredari filius filiáve

poſſit,

A posſit,quòd iniuſſu patris nuptias contraxerit:quod ipſe quidem ſine vlla diſtinctione ſemper negaui, & apud Gentianum Heruetum virum optimum & eruditiſsimum relata Theodori Balſamonis patriarchæ Antiocheni ſententia id apertè confirmat. Siue igitur ſui,ſeu emancipati liberi nuptias iniuſſu patris contrahant,licet illo caſu iniuſtæ ſint nuptiæ, non tamen à parente iuſtè ob id exheredantur liberi. At vtroq; caſu, ſi ſe ad turpem & infamem perſonam nuptiis contractis applicauerint liberi,iuſta exheredationis cauſa erit:pertinet enim ea res ad infamiam ac dedecus familiæ,& à Iuſtiniano quoque in No. c x v. nonnihil attacta eſt. Tum verò multùm confirmatur à l. 3. §.
B ſi emancipatus.D.de bon.poſ. con. tab. cuius & ſententiam & ſpeciem hîc ſubiiciam lubens. Si filius emancipatus,vxore ducta iniuſſu patris,nepotem procreauerit viuo filio, nepos non admittitur ad bon. poſſeſsionem Vnde liberi,vel contra tabulas aui, quia filius eum præcedit. Mortuo filio admittitur nepos,licet in poteſtate aui numquã fuerit.d.l.3.in princi.l.ſi emancipatus.§.1.l.ſi retentus.l.vlt.eod.titul.l.5.§.1.D. ſi tab. teſtam.nul.extab. quia ex iuſtis nuptiis cùm ſit procreatus, auo ſuus heres eo caſu futurus erat, ſi filius emancipatus non fuiſſet. Et quamuis emancipationem reſcindat bon.poſſeſsio contra tabulas.l.ſed cum patrono.D.de bon.poſſeſsio.l.ſi aliquis.C.Th.
C de bon. proſcrip.non perinde tamen hoc caſu omnia eſſe ſtatuimus, atque ſi numquam emancipatio interceſsiſſet, ne alioquin & iniuſtæ nuptiæ, & iniuſti efficiantur liberi,atque ita reciſsio illa capitis deminutionis adimat potius, quàm tribuat ius ſucceſsionis: quæ tamen quo magis, non quo minus nepos admittatur interuenit. Et idem ferè de ademptione legatorum dicitur in l.legata inutiliter. D.de adimen.legat. At in bonorum poſſeſsione contra tabulas hoc imputatur teſtatori, cur liberos non inſtituerit.d.l.3.§. liberi. Vel ſi hoc meritò facere potuit, cur non exheredauerit: in querela hoc tantùm, cur non inſtituerit.l.poſtumus.D.de inofficioſo teſtamento. An
D igitur, illo nepote præterito, id imputatur auo cur non inſtituerit, vel exheredauerit nepotem? Et alterutrum imputari placet, vel ſi ex honeſta nuru ſit editus, cur non inſtituerit: vel ſi ex turpi & ignominioſa, vtputa ex mima, vel meretrice, cur non exheredauerit. Potuit enim hoc caſu non ipſe filius tantùm,ſed etiam nepos,quamuis omni quidem ipſe culpa careat, meritò exheredari, nec quaſi inofficioſi teſtamenti querelam iure inſtituiſſet: quandoquidem iudex qui de inofficioſo teſtamento iudicat, non minus perpendiſſet filij delicta, qui ſe ad feminam turpem, & velut ὑπώπιον quoddam ſuæ familiæ applicauit, quàm nepotis merita. Ergo etſi bene ſit meritus de
E auo nepos,eum tamen ideo exheredatum eſſe meritò iudicaſſet,quòd ex ignominioſa nuru ac turpi, & ex matrimonio ad familiæ totius infamiam dedecusq; pertinente procreatus fuerit. & hoc ſentit Vlpianus in eo §.ſi emancipatus. quamuis inuerſa ratione ſcripſerit non minus ſpectari merita nepotis,quàm patris eius delicta. ſed hæ loquendi formæ frequenter occurrunt,& ita,vti diximus,vel reſtituendæ vel potiùs explicandæ ſunt,vt in l.3.§.Labeo ſcribit.D.de incen.rui.& naufra.l.iuriſgentium.§. pactorum.D.de pact.§.iniuria.Inſtit.de lege Aq.l.22.C.Th.de ſuſceptor. De ſententia eius §.ſcripſit Andreas Alciatus, & quid in eo ſibi vellet verbum Reſciſsionis expoſuit
F rectè,cetera non rectè in παρέργων, & in παραδόξων libris: iamq; ea in re ſatis à Viglio reprehenſus eſt in comment.ad tit.de inoff.teſta.

Valde Marcelli notam eſſe deprauatam in l.ita tamen.§.quotiens.D.ad S. C. Trebellia. CAP. VI.

G CVM ſcripſiſſet Iulianus eum,qui rogatus eſt, filio emancipato præterito hereditatem reſtituere,admiſſa bon.poſſeſsione contra tabulas à filio,non compelli adire ac reſtituere: viſum eſt Marcello notam apponere huiuſmodi in l.ita tamen. §.quotiens.D.ad S. C. Trebellian. *Planè non eſt compellendus adire, ſi iam filius bonorum poſſeſsionem: ne intercidat fideicommiſſum mortuo herede inſtituto, & omiſſa à filio bonorum poſſeſsione.* Sic habent Pandectæ Florentinæ, ſic libri manu ſcripti. Accurſius legit, *adire ſuam filius bonorum poſſeſsionem*: ſed quotus quiſque eſt, qui non videat

deat locum esse valde inquinatum atque corruptum? Atque vti de Accursij lectione A
primùm loquamur, quis illam loquendi rationem admittat, Adire suam bon.possessionem? Dicimus quidem Adire bona, pro Adire hereditatem in l. 1. C. de testam. mil. quod etiam Subire dicimus rectè. l. si nemo. D. de diuer. reg. iur. l. 1. C. Th. vnde lib. vt Græci προσιέναι καὶ ὑφίστασθαι, προσελθεῖν καὶ ὑπεισελθεῖν τῇ κληρονομίᾳ: numquam verò Adire bon.possessionem. & licet interpres in l. Pannonius. D. de adquir. her. aditionis verbum ad bon. possessionem referat, ipse tamen ad hereditatem referre malim, cùm & intra c. dies hereditatem adiri debuisse non ignorem, vt & formula cretionis, & complures alij iuris nostri loci demonstrant. Adhæc speciem Acc. alienam à mente, ver- B
bisq; auctoris comminiscitur: nec enim auctor heredem ait rogatum fuisse post mortem suam restituere, nec alij quàm filio fideicommissum relictum fuisse sentit. Et ex ea etiam specie ineptam quæstionem ducit, an filius cogatur petere bon. possessionem con. tab. cùm tamen, si sententia Iuliani eò pertineat, an cogatur scriptus adire, Marcelli quoque notam eodem spectare oporteat. Rursus ita speciem confingit Acc. quasi vereatur, ne is, qui petierit contra tab. possessionem, eam omittat postea: quod absurdum est. quæ enim est petita bon. possessio, & adquisita est: ergo iam omitti non po
test. Nunc si Florētinam scripturam inspicias, mutila & imperfecta videbitur: ita enim C
se habet, *Planè non est compellendus adire, si iam filius bon. possessionem: ne intercidat fideicommissum*, &c. Quid hoc est, *Si iam filius bon. possessionem?* Rursus quid est quod ait, *Ne intercidat fideicommissum mortuo herede instituto, eum non esse compellendum diare?* Quinimmò dicere debuit, compellendum eum adire, ne intercidat fideicommissum, vt in l. ille à quo. §. 1. D. eod. tit. Dicendum, inquit, erit compellēdum eum adire, ne prius heres decedens fideicommissarium decipiat: & eodem sensu in l. cogi. §. 1. D. eod. tit. ne fideicommissum intercidat, verba testatoris ait de successione accipi, & heredem cogi adire. Equidem existimo, id quod Petro Fabro nostro, cùm D
de huius loci restitutione inter nos ageremus, visum est, in proxima verba negatione translata, sic legendum esse, *Planè est compellendus adire, si non iam filius bon. possessionem*: vt subintelligatur verbum *Accepit*, vel etiam suppleatur, vt est in quibusdam libris impressis. Ea igitur erit Marcelli notæ sententia, quæ & §. qui rogatus. d. l. ita tamen, vt quemadmodum substitutus, aut legitimus heres potest heredem scriptum cogere vt adeat & restituat. l. recusare. §. Titius. D. eod. tit. ita & præteritus, si nō iam bon. possessionem cōtra tabulas acceperit, eò maximè quòd, nisi adierit scriptus, futurum est vt, eo interim decedente, ac fideicommissario delatam bon. possessionem E
omittente, fideicommissum intercidat..

Quid sit diem præferre & referre. CAP. VII.

MODESTINVS scribit in l. si à debitore. D. ad leg. Cornel. de fals. falsi crimine eum creditorem teneri, qui prætulit diem obligationis pignoris: quod nemo intelliget, nisi qui sciuerit Præferre diem Latinos dixisse pro Anteuertere, siue anticipare, vt vetustior esse obligatio vi- F
deatur. Sic Liuius lib. 39. Triumphare mense Ianuario statuerat, sed prætulit triumphi diem. Triumphauit ante diem x. Kal. Ianuar. & in l. 1. §. editiones. D. de edendo, editiones instrumentorum Vlpianus ait sine die & consule fieri debere, ne quid excogitetur è die & consule, & prælato die fiat: id est, ne præferendi diei, & generaliter ne falsi committendi ansa inde falsariis præbeatur: quod & de tabularum testamenti editione traditur in l. 2. §. diem. D. quemad. testam. aper. posit enim aduersarius quoque die cognito & consule, vt Constantinus exprimit lib.
1. Epitom. tit. 4. μεταγενέστερον ἔγγραφον ἀνατρεπτικὸν conficere, quo scilicet quasi po- G
steriore prius rumperetur. At verbi Præferre vim qui nescierunt, vtroque in loco legerunt corruptè *Prolato*, non *Prælato*. Ego sequendam esse hoc in loco Florentinam scripturam reor: idemq; verbo Referre significari existimo in l. arbiter ita sumptus. D. de recep. & qui arbit. recep. vbi arbitrum ita sumptum vt & diem proferre posit, hoc quidē facere posse Papinianus ait: referre, id est, anteuertere siue anteferre diem

non

A non posse.atq; ita Sextus quoq; Pompeius ex Veranio referri diem proditam, id est, anteferri esse religiosum scribit.

A qua lege sit quadrans, qui excludit querelam inofficiosi testamenti.

CAPVT VIII.

QVERELAM inofficiosi testamenti, quæ, vt probabiliter dici posse
ostendimus lib. 2. lege Glicia inducta est, excludi relicto debitæ ab in-
B testato portionis quadrante, nemo est qui nesciat. verùm dubitari po
test, hæc eadem lex Glicia, an quæ alia quadrantem ita taxauerit
omnimodo liberis ad excludendam querelam relinquendum esse.
Aliqua enim lege vt hic definitus fuerit quadrãs necesse est, vti nunc
in locum eius qui successit, triens vel semis lege Iustiniani definitus est, & vt ceteri
omnes quadrantes, de quibus in iure ciuili fit mentio, ex lege aliqua vel S. C. vel con-
stitutione originem ducunt, vtputa Falcidianus, Sabinianus, Pegasianus, Antonianus:
& verò vestigiis omnibus à plerisque illius etiam quadrãtis origo indagatur. Ego eam
C ad D. Marcum philosophum referendam esse didici ex Nicephoro lib. 3. Eccles. hist.
cap. 31. vbi duas Nicephorus D. Marci leges laudat. Vnam, vt matribus liberi ab inte-
stato succedant, & hoc est quod S. C. Orfitianum appellamus, siue orationem D.
Marci: Latinus tamen interpres ita vertit, vt parentibus liberi ab intestato succedant:
quod rectum non est: nam id in matribus tantummodo D. Marcum constituisse cer-
tum est. Altera verò lex est, vt liberis ἀμνημονεύτοις ἢ ἀχαριστημένοις, id est, præteritis, &
nihil è iudicio parentum accipientibus quadrans hereditatis debeatur: quam, nisi me
fefellit Latinus interpres, malè ab ipso etiam Nicephoro expositam puto: idq́; accidit
D sæpe alienis à professione nostra hominibus, dum scilicet ad ciuile ius pertinens ali-
quid referunt. nam & iuris nominibus abutuntur, & in iure ipso referendo facilè la-
buntur & peccant. Ego hanc fuisse credo D. Marci legem, vt liberis præteritis vel ex-
heredatis parentes omnimodo quartam legitimæ portionis relinquant. Quod si fece-
rint, rescindi testamentum querela inofficiosi non potest: quippe cùm eo pacto libe-
ris parenteis χάριν ἔχειν dixerit Iustin. in No. 18. atq; adeò nec sint liberi ἀχαριστούμενοι,
nec ingrata vel inofficiosa testamenta. cùm enim liberi præteriti vel exheredati à pa-
rentibus debitam non retulisse gratiam dicantur, & quæ inofficiosa testamenta nomi-
E namus, ingrata quoq; appellare possumus, vt Sueton. in Caligula, Testamenta, inquit,
primipilarium vt ingrata rescidit. Et generaliter ingrata sunt ea testamenta in quibus
de nobis benè meritis nihil relinquimus, siue liberi sint, siue extranei. Non tamen o-
mnibus de ingrato testamento queri licet.

Purgatus §. vlt. l. vlt. D. de legat. lib. 3. CAP. IX.

NON est in libris nostris locus adeò maculatus, vt §. vltim. l. vltim. D.
F de lega. lib. 3. in quo illud perquàm absurdè proponitur, substitutum
impuberi ex vncia instituto, & commisso per alium edicto admittẽti
bon. possessionem contra tabulas, legata ab instituto relicta præstare
ex semisse, sed ex vncia, omnibus: ex reliquis, exceptis tantùm per-
sonis: cùm tamen certissima ratione constet, sicut ea institutus ipse
non præstaret nisi exceptis personis ex semisse, ita & substitutum eius (qui ea solet
præstare quasi æs alienum defuncti. l. seruo alieno. §. si quis à primo. D. de legat. lib. 1. l.
in ratione. §. quod vulgò. D. ad leg. Falcid.) ea non præstare nisi exceptis personis pro
G semisse. l. 5. D. de legat. præst. Sed præstat ipsa §. verba proponere, & vti restituenda pu
tem, statim indicare. Ait igitur, *Si filius ex vncia heres institutus sit, & ab eo legata da-
ta sint, habeat & substitutum.* Hæc verba credo non esse ordine suo collocata, & ita
legendum, *Si filius ex vncia heres institutus sit, habeat & substitutum, & ab eo le-
gata data sint.* Moueor tractandarum rerum ordine: nam cùm initio l. vlt. actum fue-
rit de legatis à substituto exheredati relictis, quod legis initium exposuimus lib. 2. con-
sequens

sequens est vt nunc tractetur de legatis relictis à substituto instituti, qui, alio edictum A
committente, petiit bon. possessionem contra tabulas: qui ordo etiam obseruatur in l. ab exheredati. D. de leg. lib. 1. atque ita eadem erit eius §. species, quæ & l. 5. §. quòd si impubes. D. de legat. præst. vbi apertè de legatis à substituto relictis quæstio proponitur. Meritò autem de his magis dubitatur, quàm de legatis ab instituto relictis, an ea substitutus debeat pro semisse. quis enim heredem eodem iure esse nesciat, quo & defunctus fuit? At pupillus à se relicta legata pro semisse debuit: ergo eadem quoque substitutum eius pro semisse præstaturum in aperto est. Sequitur, *Deinde commisso edicto per alium filium, accepit partis dimidiæ bonorum possessionem: substitutus eius* B
vtrum ex vncia legata (scilicet relicta à se, non à pupillo) *præstat, an verò ex semisse? & verius est ex semisse.* Lex quinta de legat. præst. ait, *& magis est vsque ad semissem.* Hæc autem quæ sequuntur in illo §. vlt. *Sed ex vncia omnibus: ex reliquis, liberis & parentibus*, sunt ignari & inepti cuiusdam interpretis. Itaque vt expungantur censeo: nam siue legata relicta sint à substituto, vti nos speciem ponimus, omnibus profectò ex semisse præstanda sunt: siue ab instituto, ne ex vncia quidem nisi exceptis personis debentur. Etenim tabulæ primæ rescinduntur, tabulæ autem secundæ non rescinduntur petita bon. possessione contra tabulas. Adhæc quid attinebat ea verba C
subdere, cùm non de personis quibus præstantur legata, sed de portione, pro qua præstantur, proposita fuisset quæstio? aut cur etiam contrariæ speciei, quæ mox consequitur, subdita par admonitio non fuit? Et in contraria quidem specie, id est, si pupillus institutus ex dodrante cõmisso edicto ad semissem redactus fuerit, hic bellus interpres censeret ab instituto relicta pro semisse præstanda esse omnibus, Iurisperitus exceptis tantùm personis. l. etsi contra. D. de vulga. subst. Sed cùm quæratur de legatis à substituto relictis, deminuta portione instituti, ea quoque deminui, & omnibus æquè præstari, atque si aucta fuisset portio, fatebimur. & hoc verissimum puto. Malim quoq; in D
illo loco, *Semissem acceperit bon. possessionem*, legere *semissis*, vt in priori specie, *Partis dimidiæ.*

Explicatus & emendatus §. si quis rogatus fuerit filijs. l. ex facto. D. ad S. C. Trebel. CAP. X.

INSIDET, meo quidem iudicio, aliud mendum in l. ex facto. §. si quis rogatus fuerit filiis. D. ad S. C. Trebel. vbi ex Papiniani lib. 8. E
respons. id est, ex l. cùm pater. §. hereditatem. 1. D. de legat. lib. 2. Vlpianus refert heredem rogatum filiis suis, vel cui ex his voluerit, cùm moreretur, hereditatem restituere, ius eligendi deportatione non amittere, cui liber factus fideicõmissum restitui velit. Et puto legendum, *Cui liberorum fideicommissum restitui velit:* errore orto ex duabus notis, vti mox subiiciam, & explanatione posterioris, quæ tamen vel ipsa, vel saltem explanatio eius omnino expungenda erat: hoc modo, *Cui lib. F. C. fideicommissum restitui velit.* Nam deportatus seruus non fit, vt liber deinde fieri possit. Solus Callistratus deportatũ scri- F
psit seruũ fieri in l. 5. D. de extr. cogn. dissentiens à ceteris omnibus: quod interpretes Græci referunt inter γνωντιοφωνῖ, & inexplicatũ relinquunt: ego exposui in tit. de cap. demin. lib. 1. Instit. Tum verò deportatus, etiam si necdum pœna liberatus sit, ius eligendi habet vsque ad vitæ supremum exitum. d. §. hereditatem. Frustra ergo ait, Cui liber factus: idq; Accursius etiam notauit. Ex eo autem Papiniani responso apparet, per omnia deportatum non haberi pro mortuo: nec enim, si pro mortuo haberetur, ius eligendi ei competeret, sed omnibus liberis ex æquo fideicommissi persecutio da- G
retur. Et ita quoque alibi traditum est, deportatione mariti donationem non confirmari, quia scilicet deportatio non omnino similis est morti. l. sed si mors. D. de donat. int. vir. & vxo. cui tamen legi manum adhibuit suam Tribonianus, vt manifestò stylus indicat, Vlpiani verbis adtexens quædam alia ex sententia l. res vxoris. C. eod. titul. quam se probasse Iustinianus testatur in No. 22. Rursus cohibendorum caducorum causa, quibus numquam Iurisconsultorum fauit interpretatio, traditum est etiam pro

mort

A mortuo deportatum non haberi.l.intercidit.D.de condic.&demonſtr.Cognationem
tamen deportatus amittit, & ideo neque contra tab. parentum bon. poſſeſsionem
habet, nec legata ei conſeruantur petita bon. poſſeſsione contra tabulas, & maximè
quidem eatenus deceſsiſſe fingitur. Ceterùm ſeruus pœnæ in omni iure verè ac ſem-
per ſimilis eſt mortuo, & ideo in propoſita quoq; ſpecie ſeruus pœnæ factus eligendi
ius amittet.nec enim vt deportatus, quia liber eſt, arbitriũ habet,ita & ſeruus. quam-
obrem ſtatim liberi eius, ſi quos habeat, ſimul admittentur ad fideicommiſſum, nec
expectabunt quoad is naturaliter decedat:ſi verò tunc liberos non habeat,poſtea ſuſ-
B cepti nullo modo admittentur: quia ſemel defecit fideicommiſsi condicio, redactaq;
in fiſcum eſt hereditas.

Vti explicandum ſit ἐναντιοφανὲς, quod eſt inter l.legatum. D.de legat.lib. 1.& l.Titia.§.Lucia.D.de leg.lib.2. CAP. XI.

PVGNARE videtur l. legatum. D. de leg.lib. 1.cum l. Titia.§. Lucia.
D. de legat. lib. 2. nam legatum ſeruo delatum repudiare dominum
C poſſe ait l. legatum. idque veriſsimum eſt, cùm & bon. poſſeſsio-
nem ſeruo delatam dominus repudiare poſsit. At illud tamen per-
negatur in §. Lucia. vbi Accurſius noſter, quem ego & Latinis &
Græcis omnibus interpretibus iuris facilè antepono, huius rei ex-
plicandæ gratia tres opiniones adfert, ex quibus poſtremam ipſe veriſsimam eſſe
iudico: verùm explicatione indiget. Multùm intereſt inter delatum, & adquiſi-
tum legatum: neque his nominibus vmquam iuris noſtri auctores abutuntur. De-
latum legatum nondum adquiſitum eſt. Defertur ipſo iure adita hereditate. Adqui-
D ritur autem agnitione.l.ei qui ita.D.de condic.inſtit.l.cum verò.in fi. D. de fideic. li-
bert.non ipſo iure poſt aditam hereditatem, licet agnitionem retrò agi non inficier
ad diem aditæ hereditatis.l.ſeruum filij §. 1. l.ſi tibi homo.§.cùm ſeruus.D.de leg.lib.
1.Delatum legatum repudiari poteſt. Adquiſitum repudiari non poteſt.l.1.§. decre-
talis.D.de ſucceſſo.ed. De delato loquitur l.legatum. De adquiſito,§. Lucia.namq; in
eo §.quæritur, an dominus propterea quòd interfuit diuiſioni, adquiſitam fideicom-
miſsi perſecutionem amiſerit,id eſt, adquiſitum fideicommiſſum: nec enim, ſi fidei-
commiſſum non adquiſiero,id eſt,non agnouero, fideicommiſsi perſecutionem ad-
E quiſiero:& ideo licet de perſecutione quæſitũ ſit, reſpondet tamen eo caſu fideicom-
miſſum nec ipſo iure, nec per exceptionem amitti, niſi probetur eius amittendi ani-
mo interfuiſſe diuiſioni dominum. Adquiſita igitur amittere poſſumus, repudiare nõ
poſſumus:idque naturalem intellectum habet.nam quod iam ipſe nactus ſum,aliena-
re poſſum,& variis modis amittere: cùm tamen iam id ipſe habeam, quomodo repu-
diare,repellere,auertere id à me poſſum?

Quid ſit ius antiquum in l. 1.C. Vnde vir & vxor.notato Thalelæi
F *errore.* CAP. XII.

IN l.1.C.Vnde vir & vxor, in qua non niſi deficiente omni ſangui-
nis linea Impp.Theodoſius &Valentinianus declarant coniuges in-
ter ſe ab inteſtato in ſolidum pro antiquo iure ſuccedere,Thalelæus
Græcus interpres putat ius antiquum dici reſpectu legis Papiæ deci-
mariæ lib.45. βασιλικῶν, tit. 5. ſed fallitur, nam lex Papia decimaria
ad teſtati dumtaxat ſucceſsionem pertinet.l.2.C.de infirm.pœn.cœ
G lib.l.7.C.Th.de nauicular.& ex ea vir & vxor, nullis ex eo matrimonio extantibus li-
beris, non niſi decimam ex teſtamento matrimonii nomine capere poſſunt, & ſi ex-
tent liberi ex alio matrimonio, pro vnoquoq; ex liberis aliam decimam, & pro com-
muni filio poſt nonum diem amiſſo aliam: pro duobus poſt nonũ diem amiſsis,duas:
idq; Vlpianus explicat rectè in fragm.tit. x v. & x v i. ad quod etiam Tertullianus al-
ludit lib. 1.ad vxorem,his verbis,Tu modò vt ſolidum capere poſsis hoc meæ admo-
nitionis

nitionis fideicommissum Deus faciat. Lex autem Papia, nullo existente ex qualibet sanguinis linea, coniuges ab intestato nec excludit, nec vlla bonorum parte multat. Et certè verius est ius antiquum in ea lege dici habita ratione constitutionis eorundem Imperatorum nouæ cuius ipsi meminêre in l.vlt.C.Th.de legit.hered.& quæ nō liberis quidem, sed parentibus aut propinquis extantibus, coniuges ad certam partem: nullis autem extantibus, in solidum ab intestato inuitabat. Est verò eius pars vna in d. l. 1.C.Vnde vir & vxor. Altera pars ab eisdem Imperatoribus abrogatur in d.l.vlt.quæ lex post illam legem primā Vnde vir & vx.statim sequenti anno edita fuit, vt non tantùm subscripti eis consules indicant, sed etiam illa legis vltimæ pars, qua cauetur vt si quid hoc medio breuiq; tempore, id est, medio illo anno coniugibus eo iure obuenerit, id deponant. Vtramq; verò legem antecessit ea qua tollitur lex Papia decimaria, dato coniugibus solidi capiendi & liberorum iure l.2.C.de infirm. pœn. cœlib.l.1.C. de iu.liber.atq; ideo eius fit mentio in d.l.vlt. de legit. hered. Ad extremum, illud adnotabo erutas esse l.extraneum.2.C. de hered. instit.& l.in extraneos.C.de donat.ex his eiusdem l.vlt.verbis, vt desiderio suo quisquam subuenire differat, quod interdum ita sensu leuiore concipitur, vt antiqui nec quod extraneis, ac sæpe ignotis in donationibus successionibusq; tribuatur, coniugibus concesserint, & reprimendum inter hos potius, vt in loco ancipiti, quàm incitandum fauorem mutuum arbitrati fuerint. sic enim legendum est.

A B C (margin letters)

Emendatur locus è libri tertij Institutionum titulo VII.

CAP. XIII.

ETSI summam in purgandis & emendandis Institutionum libris anno superiore diligentiam adhibuerim, fortaßis tamen adhuc supersunt, & ab eruditis porrò indicabuntur maculosa quædam ac deprauata, quæ nos neq; perspeximus neq; restituimus. cuiusmodi vnum hoc est, quod in hoc capite explicabitur, & à me fuit his diebus deprehensum, cùm ea quæ ad iura patronatus pertinent reuoluerem. D
Iustinianus in §.postea. de successio. libert. tractans de virili portione pro numero filiorum lege Papia patrono data testato vel intestato centenario liberto, cùm vnum filium filiámve libertus heredem reliquit, perinde partem dimidiam patrono deberi ait, ac si is sine vllo filio filiáve intestatus decessisset. Hic locus, nisi fallor, vitio laborat: nam si intestatus libertus decesserit sine liberis, patrono non dimidia, sed tota hereditas debetur iure legitimo.l.intestato D.de suis & legit.hered.& ideo, cùm Vlpianus de hoc legis Papiæ capite tractaret lib.10. ad leges, rectè Virilis appellationem interdum totam hereditatem admittere notauit, quod dubio procul tunc fit, cùm intestatò decedit libertus sine liberis.l.virilis.D.de verb.signif. Quare constat ita non rectè apud Iustinianum legi, *Vt perinde patrono dimidia pars debeatur, atq; si sine vllo filio filiáve intestatus decesßisset.* Opinor autem legi debere, *Ac si is sine vllo filio filiáve testatus decesßisset:* nam testamento facto, siue filius sit institutus siue extraneus nullis existentibus liberis, patrono non debetur nisi pars dimidia ex Prætoris edicto. Et opinio hæc mea nullis quidem quos legerim, libris scriptis vel antiquis adiuuatur, iuris tamen ratio ipsa per se sufficit, cui & Græca Theophili παράφρασις assentitur.

De Vindicibus, Canonicarijs, Defensoribus ciuitatum, Loci seruatoribus.

CAP. XIIII.

SCIO in l.1.C.Th.si quacum. prædit. potest. ciuitatum defensores siue ἐκδίκους ciuitatum vindices appellari. At vindices illi, quorum Iustinianus in No. περὶ τῶν δημοσίων αὐύσεως, & in No. περὶ τοποτηρητῶν meminit, an sint ciuitatum defensores addubito: nam hi potius vindices à Iustiniano appellari videntur, qui exigendis tributis, quorum ad curiales antea exactio pertinebat, ab Anastasio Imperatore in singulis G

A gulis ciuitatibus constituti sunt, vti auctor est Nicephorus lib. 16. cap. 44. è quibus verisimile est Iustiniani tempore adhuc in quibusdam ciuitatibus nonnullos superfuisse. Defensores autem ciuitatum siue locorum antiquiores longè sunt, & similes Tribunis plebis, atq; ideo defensores plebis appellantur in l. 1. C. de offi. iurid. Alex. Rursus ab eis diuersi sunt ἐποπτευγηταί, vt ex No. περὶ ἐποπτευγητῶν facilè intelligi potest, qui mittuntur à præfectis prætorio vel comitibus vel præsidibus iuris dicēdi causa, & à Paulo monacho loci seruatores appellantur lib. 6. hist. Langbard. & in l. 77. de furt. in legibus Langbard. & loci iudices in l. 2. C. de exhib. reis. à Iuliano antecessore, Vicarij. Memi-
B nit Anna in Alexiade 3. Adamateni ἐποπτευγητοῦ Heracleæ & Paphlagoniæ circa Pontum. Sudas ἐποπτευγητὴς εἶδος ἀξιώματος. Ceterùm vindicibus Anastasianis pares sunt qui Canonicarij dicuntur in No. περὶ τῶν δημοσίων ἀνύσεως, & No. περὶ ἀνθυπάτου Καππαδοκίας, & in libris Variarum Cassiodori sæpissimè. Hi ab exigendis canonibus, Canonicarij: illi, quòd ab Anastasio decurionum iniquis exactionibus oppositi fuerint, appellati sunt vindices.

v. Cuiac. l. ult. C. de exactionib. trib. pag. 34.

Duo digestorum loci perspicuè corriguntur. CAP. XV.

C

NVNC indicabo duos Digestorum locos pusillo quidem, non tamen prorsus contemnendo vitio laborantes: omnibus enim mederi par est. Vnus est in l. Lucius. D. de act. emp. alter in l. pen. §. erit ergo vænale. D. de bon. po. con. tab. in l. Lucius, sic vulgò legitur, *Ita vt si non integras præstiterit*: Florentiæ autem propiùs veritatem, *Ita vt si non integras repræstauerit*: constat verò legendum *Repræsentauerit*. nam & alibi in P. Flor. eodem errore scriptum est *Repræstandum*, pro *Repræsentandum*. l.
D mulier. §. 1. D. ad Trebellia. Repræsentare, est exhibere, vel præmaturè dare. & ideo in l. Lucius, paulo pòst superiora verba: *neque*, inquit, *heres eius reliquam materiam exhibuerit*. Grauius est mendum l. pen. §. erit ergo, in illo loco, *Si autem omiserit hereditatem, in portionem bonorum exheredatum effectum admittet, iure factum solum suum heredem.* sic habent omnes libri, sed malè, vt opinor: nec enim Latinè dicimus exheredatum effectum, sed factum. Ego pro *Effectum* censeo legendum *Effectu*, vt iuri effectus opponatur hoc sensu, Repudiante scripto, exheredatus filius suus ipso iure heres est solus ab intestato, effectu autem, id est, re ipsa & naturaliter concurren-
E te fratre emancipato præterito, qui contra tabulas bonorum possessionem admisit, non nisi in portionem bonorum admittitur. namque Prætor emancipatum in partem dimidiam tuetur. Sic in l. is qui. D. de legat. præstand. Quia effectu, inquit, fratris aufert partem dimidiam. & in l. 5. §. 1. D. quod cum eo, &c. Effectu enim, inquit, quodammodo heres est. Sic & in l. 5. §. vlt. D. commoda. l. si habitatio. D. de vsu & habita. l. 1. §. qui minorem. D. vt legat. no. cauea.

Explicatur edictum de alterutro, & emendatur §. *si pater. l. si cum*
F *dotem. D. solu. matri.* CAP. XVI.

EDICTI De alterutro fit duobus tantùm in locis mentio. l. 1. §. sciendum. C. de rei vxor. act. l. vnica. C. Th. de testa. Hoc edicto cauetur, vt si quid maritus vxori aut hereditatis, aut legati, aut fideicommissi titulo reliquerit, alterutro contenta sit mulier, relicto vel dote, actione ex testamento vel actione rei vxoriæ: nam non pertinet hoc edictum nisi ad actionē rei vxoriæ, quæ plus iuris in dote marito tribuit, quàm
G actio ex stipulatu. Proinde electa rei vxoriæ actione, relictum non debetur: & contrà, electo eo quod relictū est, rei vxorię actio non datur, nisi pro modo excurrentis quantitatis. Quare deterior in eo est mulieris, quàm aliorū creditorum condicio: nam creditori meo si aliquid legauero, & is legatū acceperit, non ideo ius crediti amittit. eodemq; modo licet mulier scripta heres & rogata hereditatē restituere, in ponenda ratione legis Falcidiæ si tantū habeat in Falcidiana quarta, quantū in dote, dotē non de-

ducat,alius tamen creditor ſcriptus heres, etiam ſi credito quarta reſpondeat, creditum deducit: nec verò ei mulier ſimilis eſt, niſi cùm nominatim vtrumq; conſequitur ex mariti iudicio, vtputa cùm & heres ex parte inſtituitur, & ei dos prælegatur. quo caſu dotis partem pro portione ſua, ex qua prælegatum non valet, veluti æs alienum deducit,neq; compenſat cum Falcidia. & hoc cùm tradatur in l. cùm heres deductis. D.ad Trebellia.dote nominatim vxori inſtitutæ non prælegata,rectè inde colligemus alterutrum dumtaxat præſtari.Sed hoc,vti diximus, in rei vxoriæ actione obtinet. Ad actionem ex ſtipulatu edictum De alterutro non pertinebat. d.§. ſciendum, & §. igitur. C. de rei vxor.act. & ideo ſublata cùm ſit hodie actio rei vxoriæ, vigeatque actio ex ſtipulatu, conſequens eſt etiam edictum De alterutro penitus eſſe ſublatum. Et hæc dicimus cùm ſimpliciter aliquid vxori relictum eſt,illo non addito,Pro dote.Hęc enim adiectio proculdubio facit vt non poſsit mulier & ex teſtamento & ex ſtipulatu agere.l.ſi filia.§.penul.D.fam.erciſc.l.6.D.quando dies lega. ced. idemque dici poteſt eo non adiecto modo,ſi eo animo relictum doceatur.l.2.§.1.D. de dote præleg. Sed explicandum nunc id eſt,patre aliquid filiæ relinquente,alterutrum filia,an vtrumque conſequatur:nam edictum De alterutro ad ea dumtaxat pertinere quæ maritus vxori relinquit, indicant illi duo loci à me in huius capitis initio annotati. Fac igitur ita eſſe, Pater dotem profecticiam ſoluto matrimonio exegit inuita vel ignorante filia, nec de rato cauit,tum filiæ in teſtamento aliquid legauit: ſi dotis nomine legauit,dubium non eſt quin filiam alterutro contentam eſſe oporteat, videlicet ſi tantum ſit in legato quantum in dote:ſin plus in dote ſit, quàm in legato,vel electa dote,carebit legato,vel agnito legato, id tantùm quod amplius eſt in dote petet à marito, maritus porrò ſoceri heredibus condicet.l.qui hominem.§. ſi gener.D. de ſolut. Quòd ſi plus in legato ſit, vel electa dote,id ſolum ex teſtamento conſequetur quod dotem excedit:vt traditur in l.Titia. §.qui inuita.D.de legat.lib.2. vel accepto legato id etiam lucrabitur quod dotem excedit.& hoc traditum fuiſſe opinor in l.ſi cùm dotem.§.ſi pater.D.ſolu.matrimo. & ideo horum verborum loco, *Lucroq; eius cedit ſi tantùm ab eo conſecuta ſit, quantum:* hæc repono ex §. qui inuita. *Lucroq; eius cedit ſi amplius ab eo conſecuta ſit,quàm ei.* Nec enim quicquam filia lucratur ſi tantundem conſecuta ſit, neque rurſus,eiſdem verbis ad patrem relatis, quicquam patrem lucrari poſsis dicere, quippe cùm dotem à ſe profectam receperit,& filiæ tantũdem reliquerit. Ergo ſi plus in relicto ſit quàm in dote principali, vel electa dote, reliqui tantum petitio ex teſtamento ſupereſt,vel electo relicto id etiam lucro filiæ cedit quod dotem exuperat:cõcurrentem enim ſummam compenſari placet. De patre verò qui non illud adiecerit ſe dotis nomine legare,nunc videndum eſt:& putem vtrumque tunc filiam conſequi poſſe,ſicut à patre pro filia dote promiſſa, & filiæ relicto legato traditum eſt in l. ſi pater. D. de collat. dot. nec enim edictum De alterutro ad hunc caſum pertinebat quo alius legat,alius dotem debet.

Verum eſſe quod Dorotheus notauit,ſemper doli exceptionem oppoſitam bonæ fidei iudicium facere. CAP. XVII.

D OROTHEVS ἐν τῷ πλάτει legis Seia.D.de donat. cau. mor.notat, Semper doli exceptionem oppoſitam bonę fidei iudicium facere:ſed reprehenditur ab alio interprete Græco lib. 47. βασιλικῶν, titulo 3. quod ego ferre non poſſum: nam Papinianus cùm dixiſſet vindicationi ſingularum rerum non inutiliter opponi exceptionem doli in l. Seia. ſtatim ſubiiciens, Bonæ fidei autem iudicio conſtituto: nonne apertè indicat per exceptionem doli iudicium arbitrarium,id eſt,vindicationem euaſiſſe bonæ fidei? Etenim ita quoq; Imperator in l. 3. C. de except. replicationem doli oppoſitam iudicium bonæ fidei facere ait: cuius me loci,cùm hæc tractarem atq; diſcuterem,P.Faber opportunè admonuit.ibi tamẽ cùm inſtituta fuerit actio tutelæ,quę bonæ fidei eſt,dubitari poſſet quorſum Imperator doli replicatione dixerit iudiciũ bonæ fidei cõſtitui:quod ego ſic diluendum eſſe cenſeo:Actionem tutelæ per ſe bonæ fidei

A dei eſſe,exceptionem ei & replicationem doli ineſſe.l.ſed etſi ideo.D.ſolu.matrimo.l.
ſi is cui.D.de furt.l.huiuſmodi.§.qui ſeruum.D.de legatis lib. 1.exiſtente actione bonę
fidei non eſſe neceſſariam exceptionem vel replicationem doli. At profectò ſi excep-
ptio vel replicatio doli opponatur, iam actio ipſa non tam per ſe quàm per exceptio-
nem vel replicationē bonæ fidei conſtituitur. Ceterùm non me latet quoſdam illa Pa-
piniani verba, Bonę fidei autem iudicio conſtituto, referre ad petitionem hereditatis.
ſed hanc primus bonæ fidei eſſe Iuſtinianus definiuit l.vlt. C.de petit. heredítat.cùm
antea nihil quicquam de ea certi prudentes inter ſe conſtituiſſent. Tum verò ſi de pe-
B titione hereditatis Papinianus intellexiſſet, non dixiſſet Conſtituto, ſed Inſtituto, vel
Propoſito,& eam ipſam quoq; nominare actionem ei graue non fuiſſet. Alij tradunt
legatorum,fideicommiſſorū,mortis cauſa donationum actiones eſſe bonæ fidei:quod
mihi certè multo minus placet,neq; verò id probare vlla ipſi ratione poſſent. Præter-
ea de vindicatione Papinianus,non de illis actionibus tractat. Aſſentiamur itaq; Do-
rotheo , & cùm conſtituta fuerit actio bonæ fidei poſita exceptione doli, hoc deinde
ideo quæri à Papiniano dicamus an poſsit exigi cautio , quòd in actionibus bonæ fi-
dei cautio ante tempus exigi ſoleat.l.in omnibus.D.de iudic. Reſpondet autem non
C præſtari cautionem inuita Seia,quia & prior donatio, quæ nō directa & abſoluta fuit,
ſed mortis cauſa,Titij morte ſoluta eſt,& ſequens nondum initium accepit in perſo-
na liberorum , & ideo nulla ſubeſt extorquendæ cautionis ratio , quæ tunc dumtaxat
ante diem extorquetur,cùm aliqua cauſa vel obligatio ſubeſt. At ſi ſua ſpōte cauit Seia
liberis Titij, quia ſic eis mortis cauſa videtur donaſſe, rectè ait eos ex perſona ſua te-
neri contributioni,Falcidia interueniente:nam ex conſtitutione D.Seueri etiam do-
nationum cauſa mortis reciſionem facit lex Falcidia, quod tamē ab inteſtato non ad-
mitterem,quia mortis cauſa donationes non ſunt ab inteſtato ſimiles legatis.l.ſi filius.
D D.de legat.præſt.Ceterùm illam cautionem Seia ſi non expoſuiſſet,cōtributioni pro-
culdubio ex Titij perſona non tenerentur liberi.

De matronæ & matrisfamilias appellationibus.

CAP. XVIII.

IN eo libro qui ſub nomine Clementis nuper eſt editus de actis diui
Petri, τῶν εὐγενῶν γυναικῶν τὰς περιφανεστέρας Latino ſermone matro-
E nas appellari ſcriptum eſt : quam ego propriam eſſe matronarum ſi-
gnificationem facilè adducor vt credam. ſed augetur tamen hæc ſi-
gnificatio ab auctoribus noſtris : nam nomine matrisfamiliâs quam-
libet mulierem honeſtam accipiunt.l.3.in fi.D.de liber. exhib.l. pro-
nuntiatum. de verbor.ſignific.l.probrum.de ritu nupt.l.quæ adulterium.C.ad leg.Iul.
de adulter.idque generaliter tradunt honeſtatem, non aut nuptias, aut natales facere
matremfamiliâs : viduam,non etiam virginem eſſe matremfamiliâs : eam quæ obſcu-
riore loco nata eſt,ſi honeſtè viuat,eſſe matremfamiliâs. Concubina autem materfa.
F non eſt , niſi patroni concubina ſit.d.l. probrum.l.item legato.§.parui.D.de legat. lib.
3.Meretrix quoq; materfam. non eſt, licet vxor ſit, & adulterij accuſari poſsit, exem-
plo Viſtiliæ vxoris Titidij Labeonis , de qua Cornel. Tacitus lib. 2. l. ſi vxor. §.ſed
& in ea.D. ad leg. Iul. de adulter. Nihil autem differt à matrona materfamiliâs.l.1.§.
omnem l.item apud.§.ſi quis virgines.D.de iniur.l.1.§. & notandum.D.de inſp. ven.
quæ materfamil.in l.probrum , dicitur matrona in d.l.ſi vxor. vt meritò iam à pleriſ-
que reiecta ſit ea quæ inter matronam & matremfamiliâs à Gellio & Nonio propoſi-
ta differentia eſt. Porrò matronæ dicuntur etiam dominæ. non reſpectu maritorum
G dumtaxat , quomodo ipſi quoque mariti ab vxoribus domini appellantur , ſed etiam
per ſe,vt in l.pater.§.Iulius.D.de legat.lib.3.Iuliam domnam : niſi dicas Domnam ſu-
pereſſe ex l.Lucius Titius. eod.tit.

Notati quidam loci de Baſiliſci, & quorundam aliorum tyrannide.

CAP. XIX.

FVIT Basiliscus tyrannus sub Zenone Imperatore: fuit & Odoacer. A
Hic Occidentis, ille Orientis imperium inuasit. De Basilisco, non de Odoacre accipienda est l. decernimus. C. de sacros. eccles. nam pertinet ea lex ad Orientis imperium, & Zenonis est, data XVI. Kal. Ian. Armatio claræ memoriæ Consule. Basiliscus autem absente Zenone, ac deinde in Isauriam etiam profugiente, occupatum Orientis imperium ferè biennio tenuit, & in eo Chalcedonense concilium, ac Leonis tomum cõdemnauit, missis ad vniuersos episcopos litteris, quas συλλαβὰς ἐγκυκλίους Euagrius B
& Nicephorus vocãt. Adhæc, Acacio Patriarchæ atque archiepiscopo Constantinopolitano complures ademit prouincias, in quibus antistites constituendi ius ei antè competierat, & pulsis optimis episcopis, alios ipse apud Antiochiam, Alexandriam, Ephesum, Tarsum, Chalcedonem, Hierapolim, Constantinã, Theodosiopolim, Mopsuestiam instituit, parumq; abfuit quin Acacium quoq; ipsum expelleret: sic enim Sudas de eo scribit γὰρ τῷ βασιλίσκῳ, καὶ Ἀκάκιον τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον μικροῦ δεῖν ἀπώσασθαι, εἰ μὴ τῷ πλήθει τῶν λεγομένων μοναχῶν ἀπεκρούσθη. Postea verò, vti Nicephorus, Euagrius Scholasticus, Theodorus Anagnostes, Zonaras monachus, Procopius, Iordanus scribunt, ope atq; auxilio Armatij, expulso Basilisco, Zeno imperiũ recepit, & C
continuò legem Decernimus promulgauit, qua infirmantur ea quæ διὰ τοῖς ἐγκυκλίοις Basiliscus constituerat, & Acacio, ceterisq; episcopis suæ sedes ac dignitates restituuntur. Quod igitur ait in ea lege Imperator, Ante profectionem nostræ mansuetudinis, profectionẽ suam siue profugium in Isauriam intelligit. Quamuis autem eo tempore, quo simul & recepit imperium Zeno, & illam constitutionem edidit, consul Basiliscus fuerit cũ Armatio: attamen Basilisci nomen in Constitutionũ eodem tempore editarum subscriptionibus ideo præteritur, quòd eius memoriã Zeno damnauerit. Quod accidit etiam Eutropio sub Arcadio & Honorio l. 17. C. Th. de pœnis, & Heracliano D
sub Honorio & Theodosio l. 13. C. Th. de infirm. his quæ sub tyran. gest. sunt. l. 21. C. Th. de pœnis. At cùm iam satis dixisse videamur de sententia legis Decernimus, non alienum deinceps fuerit, si qui adhuc in libris nostris supersint superioribus consimiles loci, quos ex tyrannorum historia explicari oporteat, eos indicare. Est verò de tyrannide Odenati vnus, alter de Cassij tyrannide. Sub M. Antonino Auidius Cassius fuit. sub Galieno & Valeriano fuit Odenatus Palmyrenorũ rex, vt Trebellius Pollio scribit vel decurio, vt Sex. Rufus ait. De Odenato autem & Zenobia eius vxore, quam deuicit Aurelianus Imperator, accipiendam esse arbitror l. 4. C. de ingen. manum. Vt sit le- E
gis hæc sententia, Ingenuum, qui ex Odenati vel Zenobiæ tyrãnide redemptus fuerit retineri quidem veluti iure pignoris, non tamen rectè distrahi velut captiuum, camq; distractionem ingenuitati nihil præiudicare. De Auidio Cassio manifestè loquitur ea Pauli sententia quæ subdita est constitutioni Græcæ in tit. ad leg. Iul. maiest. lib. 9. Codicis, vbi tamẽ bona Drunciani (qui gener Cassij fuit) Paulus post ipsius mortem fisco vindicata fuisse ait: contrà, Capitolinus, & Vulcatius Gallicanus D. Marcum Drunciano pepercisse. Equidem super ea re consului veteres libros, vt soleo semper, nec in vllo Drunciani nomen agnoui, sed in aliis Depitiani, in aliis Epigrani. quamobrem censeo F
non esse legendum eo loco Drunciani.

Vti conciliãda sit l. quia autem. §. pen. cum l. si filius. D. si quis om. cau. testam. CAP. XX.

QVOD Vlpianus tradit in l. quia autem. §. pen. D. Si quis om. cau. testam. discrepare videtur ab eo quod idem auctor in eodem titulo tradit l. si filius. idq; Accursius noster explicat contortè & malè. Sed si iu- G
ra possessionis contra tabulas intelligamus, res profectò difficilis non est. Si filius emancipatus præteritus omiserit bon. possessionem contra tabulas, & deserto, vt plerumque fit, destitutoque testamento ab herede scripto bonorum possessionem Vnde liberi ab intestato acceperit, perinde præstat legata exceptis personis, atq; si contra tabulas bonorum possessionem accepisset

A accepiſſet.Ita debet accipi.§.pen. l.quia autem : hæc enim illius §. verba , *& ab in-*
teſtato poßideat hereditatem , verba edicti ſunt , & ad bon. poſſeſsionem Vnde liberi
optimè referuntur.l.1.§. non quærimus.D. eod. tit.quam etſi agnita bon.poſſeſsione
cõtra tab.nõ poſsit agnoſcere. l.1.§.quia autẽ. D.ſi tab.teſt.nul.extab.illa tamẽ omiſſa
non repellitur:nec tamẽ idem dicemus in ſuo præterito. Nam ſuus præteritus ſiue pe-
tat ſiue omittat bon.poſſeſsionẽ contra tab.nulli præſtat legata.l.is qui in poteſtate.D.
de leg.præſt. At ſuus inſtitutus,& commiſſo edicto admittens contra tab. poſſeſsionẽ,
præſtat legata exceptis perſonis:miſcẽs autẽ ſe, omnibus,ex Vlpiani & Africani ſentẽ-
B tia.l.ſi duobus.2.D.de bon.poſ.con.tab. l.ſi duo.D.de leg.præſt.maximè ſi plena frua-
tur voluntate.imminuta enim portione eius,æquior eſt Pauli ſententia.d.l.is qui.§.ſed
ſi ſcriptus.Quod cùm ita ſit,dubitari poteſt an ſuus inſtitutus,& omiſſa inſtitutione ac
bon.poſſeſsione contra tab.accipiẽs ab inteſtato bon.poſſeſsionem obligetur legatis,
& quibus perſonis obligetur,omnibus'ne, perinde ac ſi miſcuiſſet ſe, an exceptis tan-
tùm perſonis,ac ſi contrà tab.bon.poſſeſsionem accepiſſet,quod cõmodiſsimè quæri
etiam de emancipato herede inſtituto poteſt : nam nihil penitus hac in re inſtitutus
emancipatus à ſuo inſtituto diſtat. Et verius eſt obſtringi eos omnibus legatorum no-
C mine,quia veluti ſcripti hereditatem obtinere cenſentur.& hęc eſt ſententia l.ſi filius.
Intelligatur ergo l.quia autem,de emancipato præterito ,nec porrigatur ad ſuum præ-
teritum.Lex autem Si filius,de ſuo inſtituto,& porrigatur etiam audacter ad emanci-
patum inſtitutum.Et ita bellè diluetur omnis hæc dubitatio.

Explicatio l. ventre.D.de adq. hered. & l.ſi filius heres.D. de liber. & poſtumis. CAP. XXI.

D MAGNA eſt quæſtio inter iuris interpretes,vtrùm in ſpecie ab Africa-
no tractata in l.ſi filius heres.D.de liber.& poſtu.venter fuerit vacuus
an plenus.& alij quidem vacuum fuiſſe tradunt,alij plenum,ſed abor-
tum feciſſe comminiſcuntur. Neſcio an adhuc id, quod mihi veriſsi-
mum videtur,quiſquam animaduerterit, & plenum vterum, & in lu-
cem editum poſtumum fuiſſe. Priorum ſententia nititur his Africani
verbis,Poſtumo non nato:quæ tamen,meo iudicio,ex prioribus verbis nexa cùm ſint,
rectè ab his,qui P.Florentinas ediderunt,ita diſpuncta ſunt, *Si interim moriatur filius*
E *poſtumo non nato*. itaq; articulum *Interim*, his verbis *Poſtumo non nato*, explicari ar-
bitror. At porrò natum poſtumum fuiſſe aſſeuero : alioquin filium non ab inteſtato,
vt eſt in l.ſi filius.§.1.ſed ex teſtamento heredem fuiſſe dicerem.l.ventre.D.de adqui.
here.eadem loquendi forma in l.ſub condicione.D.de adſigna. lib. Interim, ait, pen-
dente die vel condicione.& in l.5.D.de bo.dam.Interim conſtante matrimonio.Sed
hoc vt præclarè intelligatur , vniuerſam legis & ſpeciem & quæſtionem pertractabo.
Filius ſuus inſtitutus eſt , poſtumus præteritus,filio nepos ex eo ſuſceptus vulgari mo-
do ſubſtitutus eſt:filius interim nõdum nato poſtumo deceſsit, porrò natus eſt poſtu-
F mus. Nepos ex ſubſtitutione nõ admittitur,quia ruptum eſt poſtumi agnatione teſta-
mentum,& ea quoq; ratione filius ex teſtamento heres fuiſſe non videtur,ſed neq; ab
inteſtato heres fuiſſe intelligitur:quia eo tempore deceſsit filius,quo nondũ auus erat
inteſtatus,& ſubſtitutus ei datus teſtamentũ ſuſtinebat,quod etiam ſuſtinuiſſet cohe-
res ei datus. At poſtea inteſtatus auus factus eſt,filius quoq; inteſtatus deceſsit.Filio igi
tur ab inteſtato nepos erit ſuus heres.An & auo ? Et placet nepotem quoq; auo ſimul
cum patruo,id eſt,poſtumo ſuum heredẽ futurum,quia quo tẽpore inteſtatus fit auus,
id eſt,poſtumi agnationis tempore,filius eum non præcedit.& conſtat nepotẽ ſui iure
G cum patruo ex XII.tab.ſuccedere.Nepos ergo ſuus heres & patri & auo erit:patri ſo-
lus,auo cũ poſtumo.& hæc,vt opinor,eſt ſentẽtia primæ partis l.ſi filius.Sequitur alte-
ra.Filius ſuus inſtitutus eſt ſolus ſine coherede,ſine ſubſtituto:poſtumus præteritus. fi-
lius interim deceſsit poſtumo nõ nato,tum natus eſt poſtumus. Quæritur,an patri fi-
lius heres extitiſſe videatur,& conſequenter an hereditatẽ tranſmittat.Et ex teſtamẽ-
to quidem non videtur heres extitiſſe,quia ruptũ eſt. Africanus ait eum tamen ab in-

testato heredem extitisse videri, quia nemo fuit vel coheres vel substitutus à quo testamentum eo tempore, quo ipse filius vita functus est, sustineretur, certumque erat agnatione postumi ruptum iri testamentum. atque ita, etiam si filius institutus fuerit sub condicione potestatiua eiusmodi vt impleri à moriente non possit nullo coherede, aut substituto dato, moriens videbitur patri ab intestato heres extitisse.l.vltim. D. de condic.institut. Ceterùm in hoc posteriori exemplo delata fuit morienti hereditas ab intestato: in superiore nondũ verè fuit ab intestato delata, propterea quòd nondum natus erat postumus. Itaque magis est, vt, etsi hoc Africanus omiserit, in illa specie decretum dari tutius esse dicamus ex l.ventre.D.de adquir.hered. vel ipsi filio, vel heredibus filij. Atque ita omnia rectè inter se conuenient. Ipsi filio decretum dabitur adquirendæ hereditatis, vt scilicet interim hereditatem agnoscat. nam &, si non moriatur, omnimodo, siue nascatur postumus, siue non nascatur: patri heres futurus est: ex testamento, si non nascatur: ab intestato, si nascatur. Eodem modo succurrendum est filio emancipato heredi instituto, quoniam & hic omnimodo rem habiturus est vel ex testamento, si non nascatur postumus: vel ab intestato ex capite Vnde liberi, si nascatur. Similiter si non postulato decreto decesserit, heredibus eius est succurrendũ l.4.& 5.D. de bo.posse.con.tab. Extero instituto heredi non succurritur, & ideo si interim decedat, heredi suo ex ea causa nihil relinquit. & hæc est sententia l.ventre: cui proxima sunt ea quæ traduntur in d.l.4.& 5.de decretali bon. possesione. Est enim lex Ventre, de decretali hereditate, siue de decreto, non possessionis, sed hereditatis interim adquirendæ. Reliquum est vt exponamus, si filius præteritus fuerit, & interim non admissa bon. possessione contra tab. decesserit, an heredi suo aliquid relinquat. Nihil verò est quod tam facilè possim expedire, licet aliis hac in re aqua, vt dicitur, hæreat. Si fuerit suus, transmittit, quia heres ab intestato fuisse intelligitur: est enim ipso iure nullum testamentum. Si emancipatus, non transmittit, nisi bon.possessionem admiserit.l. 2. in princi. D. de bonor. possess. secund. tabulas. nec decretum dabitur heredibus: nam eorum dumtaxat heredibus opitulatur Prætor, qui cùm essent instituti, propter iustum impedimentum heredes aut bonorum possessores non extiterunt.

Explicatur notio verbi huius Insuperhabere, & lex XLIII. *D. de religios. & sumpt. funer.*

CAP. XXII.

VAMVIS inuito fructuario proprietarius, vel inuito socio socius locum religiosum facere non possit, si tamen vel proprietarius, vel socius mortuum inferre prohibeatur, interdictum ei De mortuo inferendo dari Papinianus ait in l.sunt personæ.D. de relig.& sumpt.fune. idq; ratione publicæ vtilitatis defendit, ne cadauera insepulta iaceãt, contra strictam rationem iuris: ratio enim publicæ vtilitatis, siue religionis, summa & potissima ratio est. Verba Papiniani hæc sunt, *Nam propter publicam vtilitatem ne insepulta cadauera iacerent, strictam rationem insuperhabemus, quæ nonnumquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet: nam summam esse rationem quæ pro religione facit.* Quæ verba ideo interpretes non intelligunt, quia ignorant quid sit insuperhabere. Est autem omittere, aut susq; deq; habere. Idem Papin. in l.heredem.D.de his quæ vt indig. *Heredem,* inquit, *qui sciens defuncti vindictam insuperhabuit, fructus omnes restituere cogendum existimaui.* Apuleius lib.4.de asino aureo, Quòd si pergas vlterius, iam faxo lacrymis istis, quas paruipendere latrones consueuère insuperhabitis, viua exurère. Quos ego locos Petro Fabro studiosissimo meo cùm, vt soleo, communicassem, is, vti fit, pariter nobis eum, quem initio interpretati sumus, Papiniani locum attulit. Addatur l.2. C. si omiss. sit caus.test. in qua sic legendum est, *Quòd si cùm neq; adiri ex testamento hereditas, neque bonorum possessio peti posset, iudicium defuncti non insuperhabitum, sed ad irritum iuris ratione vocatum est.*

De Pilei impositione, & Orcinis libertis.

CAP. XXIII.

LIBERTVS

A IBERTVS Orcinus siue Charonita, is est, qui directò in testamento manumittitur, quasi Orci siue Charontis libertus, vt in Notis ad Vlpianum demonstraui tit. 3. nullius namq; viuentis est libertus. l. 4. D. de bon. libert. Verùm ita demum libertus Orcinus constituitur, si adita fuerit hereditas, nec sola impositio pilei Orcinum facit, quod ideo ait l. directis. C. de testam. manumiss. quia directò manumissi in testamento pileum statim sumere ac funus præcedere solebant, vt Appianus indicat in Mithridatico, dum Prusiam Bithyniæ regem gestasse pileum refert, ὃ πρόσω τινὲς
B περιτιθέασι τῶν ἐν ταῖς διαθήκαις ἐλευθερωθέντων. & Iustinianus in l. 1. C. de Lat. libert. tol. dum loquitur de seruis pileatis qui funus antecedunt, vel qui in ipso lectulo stant, & cadauer ventilant: præferebantur enim lecti in funere. C. Cornelius Tacitus lib. 16. Tres, inquit, modò lectulos ad suprema retineri iubet. M. Tullius 2. de legib. Ne lecti plures inferrentur lege sanctum est. Dionysius Alicarnasseus lib. 4. ἔγωγ᾽ οὖν ἐπίσταμαί τινας ἅπασι τοῖς δούλοις συγκεχωρηκότας εἶναι ἐλευθέροις μετὰ τὰς ἑαυτῶν τελευτάς, ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροί, καὶ πολλοὶ ταῖς κλίναις αὐτῶν ἐκκομιζομέναις παρακολουθῶσι τοὺς πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες. quæ verba illum Iustiniani locum valde illustrant. At ibi Tha-
C lelæus albam quoque vestem manumissos sumpsisse innuere videtur. quod Tertull. in lib. de resur. car. apertè indicat, Si, inquit, famulum tuum libertate mutaueris & vestis albæ nitore. Ceterùm de Orcinis id etiam notandum est, eos appellari libertos familiæ in l. si socius. D. de manum. testa. vbi datur species in qua est aliquis Orci atq; etiam superstitis cuiusdam domini libertus. Appellatur autẽ Orcinus familiæ libertus, quod etsi alium quàm Orcum siue Charonta patronum non agnoscat, ad familiam tamen defuncti pertinet. l. 3. §. planè. D. de legit. tuto. l. 1. §. sin autem fuerit adimpleta. C. de Lati. libert. tol. Igitur hæ sunt appellationes liberti verbis ciuilibus in testamento ma-
D numissi, vel etiam eius qui pro eo habetur ac si directò in testamẽto manumissus esset, Orcinus, Charonianus, siue Charonita, nullius libertus, familiæ libertus.

Emendatur locus valde deprauatus in l. 4. C. de offic. iud. milit.

CAPVT XXIIII.

VRPIS macula nobis delenda est è l. 4. C. de officio iudic. militar.
E Prior legis pars satis aperta est, vt duces militum, & maximè qui proximi sunt gentibus, vtputa Sophanenæ, Balabitenæ, & aliis de quibus in l. vlt. C. de offic. mag. milit. in ipsis limitibus commorentur, vt imminente magistro militum ad suum numerum milites redigant, vt circa arma diurnis eorum exercitationibus inhæreant. Tum sequuntur hec verba, *Castrorum quinetiam refectionis lustrationisq; curam habeant.* vbi quid valeat Lustrationis verbum non video. Consului scriptos libros complures, multi habent. *Luxuriarumq;*, quidam *Lustriarumq;*, nulli *Lustrationisq;*. Qui habent *Luxuriarumq;*, excitauêre me ad emendandum *Clusuriarumq;*. vt enim in l. si fortuitu.
F D. de incend. rui. & naufra. Haloander perperàm scripsit *Lusoria*, pro *Luxoria*, sic errore contrario in d. l. 4. statim cogitaui librarium omissa prima littera scripsisse *Luxuriarumq;* pro *Clusuriarumq;*. & hoc confirmat l. curæ. C. de offic. mag. offic. eo magis quòd pars est dictæ l. 4. etenim scripta est vtraque ad Nonium magistrum officiorum, & eandem vtraq; subscriptionem habet. Vna iniungit ducibus curam castrorum clusuriarumq;: altera Nonio iniungit, vt quemadmodum castrorum & clusuriarum cura procedat, quotannis significet. Scio in libris excusis legi *Clausurarum* in d. l. curæ. quod rectum est. l. 2. §. in Sardinia. C. de offic. præf. præto. Afr. Sed omnes ferè libri scripti
G habent Clusuriarum, quidam habent Clisuriarum: quod etiam non est reiiciendum: nam Sudas scribit Romanos κλεισούρας appellare τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων. Procopius quoque lib. 3. περὶ τῶν Ἰουστινιανοῦ κτισμάτων, ποταμοὺς ἀπεργάζονται δύο, ἄγχιστά πη ἀλλήλοιν ὄντα, οὓς τῆς νενομίκασι κλεισούρας καλεῖν, & Anna Imperatoris Alexij lib. 10. τὰ γὰρ τέμπη ἅπερ κλεισούρας εἶπεν ὡς ἔφημεν. & paulò pòst, εἰς φυλακὴν τῶν περὶ τὸ ζυγὸν διακλειομένων κλεισουρῶν ἐκπέπομφεν. Dixerunt etiam Clusuras Theodericus apud Cas-

 A

siodorum lib. 2. Variar. ad Faustum præfect. prætorio scribens, Præcipimus, inquit, LX. militibus in Augustanis clusuris iugiter constitutis annonas præstare. Iam verò nemo est, qui non videat quanta emendationis nostræ ratio constet. sed non est illud omittendum, quæ dicũtur castra in d. l. 4. & l. curæ burgos appellari in d. §. in Sardinia, quæ vox deducta est à Græca πύργος. Vegetius lib. 4. Castellum paruum burgum vocant. Paulus in Valentin. Crebra per limitem habitacula constituta burgos vulgò vocant l. penult. C. de fund. rei priua. Sunt igitur & burgi siue castra, & clusuriæ in limitibus.

B

In extremo legis, qui seruum. D. de obligat. & act. duobus in locis negationem superesse. CAP. XXV.

SI commodatarius rem deteriorem fecerit, non tantùm commodati, sed etiam ex lege Aquilia tenetur: vna tamen earum si actum sit, altera tollitur. l. in rebus. §. siue autem. D. cõmoda. idq; si ex lege Aquilia actum sit prius, explorati iuris est: & ideo commodati actio denegabitur. Enimuerò si prius actum sit commodati, non omnimodo legis Aquiliæ actio tollitur. ita namq; tunc danda est Aquilia, vt subducatur id quod actor commodati iudicio consecutus est. l. vnde quæritur. D. eod. tit. atque adeò pleniorem legis Aquiliæ actionem commodati actio delibat, non absumit. & hoc etiam ostenditur in l. qui seruum. §. vlt. D. de obligat. & act. si quidem absq; negatione auctoribus Florentinis ita legamus, *Sed verius est remanere.* intelligit autem postea quàm commodati actum est, legis Aquiliæ actionem remanere. Ratio eiusmodi subiicitur, *Quia simplo accedit, & simplo subducto locum non habet:* quæ ratio nisi & ex ea demendam esse negationem dicamus, cum assertione ipsa ex diametro pugnabit. Sed tollatur negatio, hic erit sensus integerrimus, Remanere actionem legis Aquiliæ, quia extorto simplo commodati actione, accedit adiungiturq; legis Aquiliæ actio, & deducto simplo, quod commodati iudicio actor consecutus est, Aquilia in id quod amplius in ea est locum habet: vt iam non idem bis, sed aliud quiddam actione Aquilia peti videatur. Dixit autem Subducto, pro deducto siue computato. l. 1. D. arbor. furt. cæsa. Sic igitur censeo, aut priore loco in P. Florentinis addendam esse negationem, aut ex hoc etiam loco tolli oportere, idque ratio iuris euincit. Est in eadem quæstione De concurrentibus actionibus aliud mendum, nisi fallor, in extremo l. quotiens. D. de oblig. & act. Ait lex eodem ex facto duabus competẽtibus actionibus, vna si actum sit, & plus sit in reliqua actione, id actorem ferre: quod verissimum est. At si tantumdem sit vel minus in reliqua actione, id actorem consequi ait. Immò verò nihil consequitur: nam actio reliqua omnimodo consumpta est. Itaque perspicuum esse puto ibidem pro *Id* legendum *Nihil:* vt si plus sit in reliqua actione, id actorem consequi: si tantumdem vel minus, nihil actorem consequi lex dicat.

F

An de auditione testimonium dicatur, & quo verbo testes olim in testimonijs, iudices in sententijs vti solerent. CAP. XXVI.

IN quæstione l. si arbiter. D. de probat. de auditione testimonium admitti constat & generaliter περὶ ὅρων ζητήσεως καὶ καινοτομίας κτισμάτων ex auditione testimoniũ recipi Constant. Harmenop. scribit 1. Epit. sed dubitari potest, an in aliis quæstionibus admittatur. Ego non vsquequaque reiiciendum esse opinor: nam & apud antiquos testimonium de auditione fuisse receptum Asconius Pædianus scribit in 3. Act. contra Verrem. At rectè tamen Seneca l. 4. naturalium quæstion. secundæ notæ testes eos esse dicit, qui vidisse quidem se negant, sed audiisse. Hinc id etiã quæri potest, an testes admittendi sint qui se credere vel arbitrari dicant. nec omisit hanc quæstionem Accursius in l. 2. §. idem Labeo. D. de aqua & aquæ plu. arcen. Ego verò etiam eos non omnino statim esse respuendos puto. Et, vt vetera hoc quoque loco repetantur, Marcus Tullius auctor est lib. 4. Academ. & pro M. Fonteio maiores voluisse, vt

A vt,qui teſtimon iũ diceret, arbitrari ſe diceret etiam quod ipſe vidiſſet. Hoc enim verbo & in re vera ἠθικῶς vtimur : vt & Vlpianus Domoſthenis interpres νομίζειν, & δοκεῖν Græcos dixiſſe notat οὐ πάντως τῶν ἀμφιβόλων, ἀλλὰ πολλάκις ἐπὶ τῶν τοῦ ἀληθεύειν. Eamdem verò in cognitionibus modeſtiam iudices conſeruaſſe idem eodem loco his verbis ſcribit, Quæ iurati iudices cognouiſſent, vt ea non vt eſſe facta, ſed vt videri pronunciarentur. cuius moris exempla ex l.Diui.§.rectè.& §.quòd ſi ex ſeruitute. D.de libera.cau. l.quid tamen. §.ſi arbiter. 1. D.de recept.& qui arbit.recep.& ex aliis auctoribus quamplurima deſumi poſſunt. Apuleius in 1. Apolog. Cùm Lollius teſtamentum
B verum videri de conſilio conſularium virorum pronuntiaſſet. Seneca lib. 1. natural. quæſt. Auguſtus non pronuntiauit iure cæſum videri. Plinius lib. 14. cap. 13. Iudex pronuntiauit mulierem videri plus vini bibiſſe quàm valetudinis cauſa. & in decretis Senatus idem quoque verbum non infrequenter vſurpatum eſt, atque inde Senatuſcõſulta dogmata Græci dicũt, cùm nihil aliud ſit videri quàm δοκεῖν. Cornificius lib. 1. Senatus decreuit, ſi eam legem ad populum ferat, aduerſus Rempublicam videri eum facere. In legibus etiã & plebiſcitis eodem verbo veteres vſi ſunt. Titus Liuius lib. 25. Plebes ſciuit videri eum in exilio eſſe. Atque hac de re ante me vir quidam eruditus
C ad l.ob hæc.D.de his qui not.inf.& l.proximè.D. de his quæ in teſta.del.nonnihil adductis quibuſdam aliis locis adnotauit. Illud verò Sexti Pompeij verbũ ſollemne in capitis condemnatione, vt ipſe ait, Parum cauiſſe videri, credo cõdemnationum omniũ fuiſſe commune : nam id verbum cùm ſit iuris, & eo promiſcuè vtantur Iuriſconſulti cùm iuſtam non eſſe aduerſarij cauſam ſignificãt. l.ſi mercedem. §. 1.& §.vlt. D.de act. emp. eo pariter iudices promiſcuè vti conſueſſe veriſimile eſt.

Explicatur quæſtio §.qui Semproniam.l.codicillis.D.de vſu & vſufr. lega. & in ea ex his duabus dictionibus, Curator ei, vnam faciendam eſſe oſtenditur. CAP. XXVII.

A Tvtore inſtituti pupilli relicta fideicommiſſa perinde deberi, atq; ſi à pupillo nominatim relicta eſſent, apertè declaratur in l.etiã. C.de fideic. quæ lex pars eſt legis quintæ. C.de reb.credit. Hinc exiſtit quæſtio, an etſi tutor non iure datus ſit, fideicommiſſa veluti
E ab ipſo pupillo relicta debeantur.& receptum eſt fideicommiſſa deberi pupilli iure. l.peto. §.mater. D.de legat.lib. 2. vtputa ſi datus ſit à matre, patrono, educatore, extraneo, vel ſi à patre in codicillis non confirmatis, aut teſtamento non iuſto, ſed vim habente codicillorum, quod & generaliter in curatore locum obtinet, quandoquidem curator teſtamento vel codicillis iure non datur, & hoc ita in curatore Scæuola tractat in l.codicillis.§.qui Semproniam.D.de vſu & vſufr. lega. Ponit educatorẽ inſtituiſſe nutrices duas, & alumnum ex certis partibus, alumno curatorem dediſſe, & curatoris fidei commiſiſſe ne pateretur fundum quemdam væ-
F nire, ſed cum nutricibus ſuis frueretur reditu eius. Adiecit quoque in ima parte teſtamenti, Omnem volvntatem meam fidei heredvm meorvm committo. In hac ſpecie curator non iure datus eſt:& hæc proximior eſt ratio, quia teſtamento curator non datur. alteram adducit Accurſius, quia extraneo curator datus eſt, ſed remotiorem. Sunt verò, cùm dicti alicuius ratio exigitur, proximiores adducendæ rationes, vt cùm definitio quæritur, proximiora genera. Ideo igitur alumno curator iure datus non eſt, quia teſtamento datus eſt. Illud non nego alumnum educatori extraneum eſſe. nam etſi alumnum ex familia & nomine educatoris eſſe meri-
G tò quis poſſit contendere ex l. Lucius. §. Lucius. 1. D.de legat.lib. 2.& dubitatum olim fuerit an deberetur alumni hereditas educatori. l. nutritoribus. C.commu. de ſucceſſio. In tutelarum tamen quæſtione extraneos dicimus eos, qui in poteſtate non ſunt, cuiuſmodi ſunt alumni. Sed videamus ex ſuperiore ſpecie quænam in d.§.qui Semproniam. quæſtio ducatur. *Quæſitum eſt,* ait Scæuola, *an tertias partes vſusfructus fundi nutrices ex fideicommiſſo petere poſſint, quamuis curator ei receptus ſit, quem iure dare non potuerit alumno.* vbi Latinus interpres, Ei, ſcilicet alumno. Ego tamen, vt in l.is qui

qui fundum. eod.tit. *Vxorei*, pro *Vxori*, ſcriptum eſt in P. Florentinis, quas ego ſemper ſequor, niſi ſi quid contrà admoneo, ſic in illo loco ex duabus dictionibus *Curator ei*, vnam faciendam eſſe reor, vt ſit *Curatorei*, pro *Curatori*: & hoc quæratur, an tertias vſusfructus petere nutrices poſsint, quamuis curatori receptus ſit vſusfructus non iure alumno dato. Et ait Scæuola fideicommiſſum valere, vnaq; cum alumno nutrices ad viriles partes admitti. A

De aqua per rotam tollenda, & de rotæ tormento.

CAP. XXVIII. B

VLPIANVS in l.2. D.commu.præd. Si conuenerit vt aqua per rotam tollatur ex flumine, vel hauriatur, vel ſi caſtello impoſita ſeruitus fuerit, negat hæc iura prædij eſſe. quæ Vlpiani ſententia difficilis atq; obſcura eſt. Sed cùm fruſtrà cedatur aquæ hauſtus ex flumine publico l.3.§.vlt.D.de ſer.ruſt.præd. primùm aio Vlpianum loqui de flumine priuato, ex quo aquæ hauſtum rectè ita cedi conſtat, vt hauriatur aqua ſitulis, vrnis, vel vrceis. At non ita rectè conſtituitur aquæ hauſtus ex flumine priuato, vt hauriatur aqua machinis, vtputa rota, tympano, cochlea. Rota aquā altius extollit, & hoc ſignificat verbum Tollenda apud Vlpianum, vel extrahit, vt eſt in l.qui fundum. §.vlt. D.de contrah.empt. eamdemq; Paulus lib. 3. ſentent. numerat inter inſtrumēta balneatoria. Tympanum exhaurit expeditiſsimè magnam aquæ vim, idemq; præſtat cochlea, vt optimè Vitruuius expoſuit lib. 10. cap. 9. & 11. & ideo verbum Haurienda apud Vlpianum ſic etiam accipi conuenit, Haurienda per rotam, vel tympanum. Hæc autem iura ideo ſeruitutes prædiorum non ſunt, quia vix eſt prædia vt aquæ tanta copia indigeant, vt adhiberi organa oporteat: non poſſunt autem ipſo iure conſtitui ſeruitutes vltra quàm opus ſit ad prædia. l.ergo. in fin. D.de ſeruit.ruſt. nec ſolent aquarum iura ita conſtitui. Eadem iura non rectè conſtituuntur ex caſtello. Caſtellum rotæ mentio proximè habita facit vt apud Vlpianum ita accipiam quemadmodum Vitruuius in cap.9. dum ait, quod rota extulerit in caſtellum infundi. Ipſo autem iure non ceditur ex caſtello aquæ hauſtus, quia perpetuam cauſam non habet. Caſtellaria enim aqua (quæ cauſa ſeruitutis eſt) cùm manu & organis non naturaliter in caſtellum influat, perpetua, perennis, viua non eſt. eademq; ratione rectè aquæ hauſtus vel aquæductus ex torrente, ciſterna, ſtagno, lama, foſſa non ceditur. l.foramen. D. de ſer.vrb. Ceterùm ibidem Vlpianus oſtendit tuitione Prætoris illa prædiorum iura conſeruari, & iam communi iure receptum eſt, vt ex quocumque loco aquæ ſeruitus conſtitui poſsit. l.ſeruitus. D.de ſer.ruſt.præd. Cùm dixerim de hauſtoria rota, non alienum erit hoc etiam loco quæ de pœnali rota obſeruauimus appingere. D. Panteelemonem rotam, qua membra comminuuntur, ſine damno pertuliſſe Nicephorus ſcribit lib.7.cap.14. In epiſtola quadam Luciani ad Steſichorum ſic legitur, τινὲς δὲ ἄκρα πεπελεκόπησαν καὶ ἐπὶ τροχῶν ἐλυγίσθησαν. Sudas ſic ſcribit, τροχισθεῖσα, βασανισθεῖσα ἀπὸ τοῦ τροχοῦ, ὅπερ ἐστὶν ὄργανον βασανιστικὸν ἐπὶ διατείνειν τὰ σώματα. & paulò pòſt, ξύλινόν τι ἦν ὁ τροχὸς ἐν ᾧ δεσμούμενοι οἱ οἰκέται ἐκολάζοντο. Demoſth. 111. in Aphob. θῶμεν γὰρ διὰ τὴν μιλύαν ὑπὸ τοῦ τροχοῦ στρεβλοῦσθαι. M. quoque Tullius lib. 5. Tuſcul. rotam genus quoddam tormenti apud Græcos eſſe teſtatur. Apuleius lib. 3. Nec mora cum ritu Græcienſi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur. & lib. 10. Nec rota vel eculeus more Græcorum tormentis eius apparata iam deerant. Itaque, vt ex eis locis apparet, ſupplicium illud quod Franciſcus Rex in graſſatores inſtituit, vt fractis membris ſemianimes in altum elatis rotis ſupini imponantur, ab rota illa veterum, cui homines alligati crudeliter torquebantur, ac diſtendebantur, longè diſsimillimum eſt. quod tamen non deſunt qui negarint, adducto falſo, aut deprauato teſtimonio ex Ammiani Marcellini lib. 21.

Cui & quantum emancipatus conferat, exponitur, & emendatur §. ſi ſit filius. l. 1. D. de coniun. cum eman. lib. CAP. XXIX.

EMANC

A MANCIPATVS suo confert: emancipatus emancipato non con-
fert. Ei autem suo emancipatus confert, cui & aufert aliquid ex cau-
sa hereditaria, vt ecce, Filius emancipatus nepoti ex eo suscepto, &
retento in potestate confert, non fratri: si non sit nepos, confert fra-
tri. l. 1. §. emancipatus. D. de coniung. cum emancipat. lib. vel si sit
filius, & ex alio filio iam mortuo nepos vnus, & ex alio nepote ex
eodem filio nato & mortuo pronepotes duo, vnus in potestate, alius emancipatus,
pronepos emancipatus fratri soli confert, quoniam ei soli aufert, non patruo: si non
B sit frater, soli patruo, non patruo magno: si non sit patruus, patruo magno, id est,
filio. & hoc ostenditur in d. l. 1. §. vltim. vbi tamen id notandum est, patruum ma-
iorem dici pro patruo magno, contra definitionem Pauli nostri & Sexti Pompeij.
Tantum verò confert emancipatus quantum aufert, vt si sit vnus in potestate, vnus
emancipatus, hic vt semissem illi aufert, ita & propriorum bonorum semissem illi con-
fert: si duo sint sui, vnus emancipatus, hic illis tertias aufert, confert etiam tertias. l. 1. §.
penult. D. de collat. sed nonnumquam plus emancipatus confert, minus aufert: vt si
duo sint sui, duo emancipati, singuli emancipati auferunt quartas, tertias conferunt ac
C si ambo vnus essent, ne si viriles partes fiant, & ipsi videantur inuicem sibi conferre.
Æquè si tres emancipati sint, quintas: si quattuor, sextas auferent, tertias conferent. l. 1.
§. vlt. l. 2. §. si tres. l. 3. §. Iulianus. D. de collat. Itaque emancipati simul omnes vnius lo-
co sunt in conferendo, non in ferendo, dissimiliter atque nepotes ex vno filio eman-
cipati vel in potestate, qui & in ferendo & in conferendo semper pro vno numeran-
tur. Et ita, si verbi gratia duo sint nepotes ex filio iam mortuo emancipati, & filius in
potestate, nepotes vnam partem ferunt, id est, semissem, & vnam partem conferunt, li-
cet singulis quadrans dumtaxat cedat. l. 2. §. si duo nepotes. D. de collat. Igitur pro mo-
D do eius quod simul auferunt, bona sua etiam patruo conferunt: sibi autem inuicem ea
conferre non possunt. Dotem sui possunt inuicem cõferre, nec verò eam tunc patruo
conferunt. l. 1. §. si sit nepos. D. de do. col. fratri enim frater si posit conferre, patruo nõ
confert. At quantum auferatur, plerumq; obscurum est, vt in hac specie, Filius suus in-
stitutus est ex dodrante, extraneus ex quadrante, suo emancipatus quartam aufert, si
ad totum assem respicias: tertiam, si ad portionem ei adscriptam. Vtrum igitur suorum
bonorum ei quartam an tertiam confert? Et putem conferri tertiam, itaque accipien-
dum esse §. si ex dodrante. l. 1. D. de collat. vt pro rata quadrantis ablati conferat, sed
E ita, vt cùm hic quadrans triens sit portionis suo adscriptæ & trientem ei conferat. Cur
enim suus rectè sic non intendat, Vis tertiam hereditatis meæ, confer tertiam tuo-
rum bonorum. Nam & cùm pater emancipatus duobus filiis in aui potestate retentis
concurrente fratre qui est in potestate, confert, licet quadrantẽ auferat habita ratione
totius assis, tamen quia respectu partis filiorũ suorum, dimidiam habet. l. 1. in princip.
& §. inter. D. de coniung. cum emanc. lib. ideo eis dimidiam partem bonorum suorum
confert. & hoc ostenditur in d. l. 1. §. nunc videamus. vbi etiam aliis exemplis allatis, &
nepotes ex eodem filio & pronepotes ex eodem nepote vnius vice fungi ostenditur:
F quæ quidem Accursius rectissimè exposuit. Verùm à §. si sit filius. qui proximè sequitur
paragraphum Nunc videamus, an se ipse vel quisquam alius adhuc expedierit, addu-
bito. nam quod in eo §. exprimitur, falsum omnino atque vitiosum est. Si sit filius in
potestate, alius emãcipatus, ex alio filio defuncto nepotes duo, vnus in potestate, alius
emancipatus, lex ait filium emancipatum conferre nepotibus vnam partem. Immò
verò nepoti emancipato non confert: nam inter emancipatos cessat collatio. nec
quicquam interest siue defunctus filius fuerit suus, siue emancipatus. nam ideo quòd
fuerit filius suus, nusquam legitur nepotibus ex eo emancipatis conferri. Tum lex ait
G eis nepotibus patruum emancipatum tertiam partem dare, quamuis minus quàm pa-
truus ex hereditate aui concurrente patre habituri sint. Immò cõcurrente patre si suus
fuerit, nihil habituri sunt, vel si emancipatus fuerit, ipse saltem nepos emãcipatus nihil
est habiturus. Itaque suadet particula illa, *Quamuis hi minus*, &c. vt initio §. sic lega-
mus, *Si sit filius in potestate, alius emancipatus, ex defuncto alio emancipato duo nepotes
in potestate, eleganter Scæuola tractat*, &c. quo casu meritò dabitur nepotibus triens,
licet

licet concurrente patre emancipato ex hereditate aui non nisi sextantem abstulissent: A
patri enim ex edicto nouo siue Iuliano in eandem partem coniuncti fuissent.

Quorum bonorum collatio detur inter liberos. CAP. XXX.

ASTRENSIA vel quasi castrensia bona non conferuntur: aduenticia, & profecticia conferũtur: quin immò ex constitutione Iustiniani aduenticia non conferuntur. l. vlt. C. de colla. & correcta videtur esse l. 4. C. de coll. & l. 1. §. si sub. D. de do. collat. quæ dotem aduenticiam B
conferri aiunt. Ergo sola profecticia hodie conferuntur. Et hęc quidẽ profecticia bona nõ modò emancipati, verumetiã sui conferunt. Sui conferũt suis vel emancipatis, quasi à patre ea bona nõ discesserint. Emancipati quoq; suis ea indubitatè conferunt. An & emancipati emancipatis ea conferant, magna est quæstio inter Hugolinum & Azonem. sed negare nemo potest quin emancipati inuicem sibi dotẽ & donationẽ propter nuptias à patre profectam conferant. nam & cùm succeditur matri, quæ nunquam filios habuit in potestate, fratres inter se à matre profectam dotẽ vel donationẽ propter nuptias cõferre certissimum est. l. vt liberis. l. illam. C
l. pen. C. de collat. & ideo l. 4. C. eod. facilè accipi potest nõ de filia tantùm sua, sed etiã de filia emancipata. Omnes ergo liberi siue sui iuris sint, siue in potestate, à parentibus profectam dotem vel donationem propter nuptias, quæ alia veluti quædam dos est, siue ἀντιφέρνη, inter se conferunt. Datam cautione conferunt, vel diuisione, vel tanto minus capiendo ex parentum bonis. l. 1. §. quamuis & §. prox. D. de collat. l. si filia in princip. D. fam. ercisc. l. dotis. C. de collat. Nou. 97. §. penult. Promissam liberatis fratribus siue sororibus singulis pro sua parte. l. 2. C. de collat. At hìc vehementer quærunt interpretes, an & donationem simplicem liberi conferant, nec possunt expedire se à l. D
penult. C. de collat. & sanè, vt verum fatear, abstrusior paulo res est. At si de suis quæras an conferant peculium profecticium, ab eis conferri nemo ambigit, sed & donationem simplicem conferri ostendit l. si donatione. C. eod. tit. cui tamen opponitur l. filiæ. C. famil. ercisc. idq; probabilius eorum, quæ filio donantur, ab his quæ filij nomine comparantur distinctione quidam explicant. quod tamen improbat l. cùm hic status. §. 1. D. de donat. int. vir. & vxo. hæc enim duo paria sunt Donare, & filij nomine Comparare. Equidem sic accipio l. si donatione, vt ab intestato sui donationem simplicem conferant: legem verò Filiæ, vt ex testamento instituti donata præcipua retineant. E
nam & dotem præcipuam retinent. l. Pomponius Philadelphus. D. famil. ercisc. Ceterùm instituti hodie omnia conferunt ex Nou. de trien. & sem. non tamen prælegata, vt opinor: nam & ab intestato succedentes, etsi cetera conferant, relicta tamen in codicillis non conferunt. l. filiæ. 2. l. filiam. C. de collat. Hactenus de suis. Nunc de emancipatis videamus. Emancipati suis donationem simplicem conferunt. l. vt liberis. ad fin. C. eod. nec mirum, cùm & olim aduenticia omnia conferrent. Cur ergo profecticiam donationem non conferant suis? At certè emancipati emancipatis, vel quotiens de matris aut aui materni hereditate agitur, liberi inuicem sibi donationes simplices ab F
eis parentibus profectas non conferuntur, nisi duobus casibus, qui à Iustiniano exprimuntur in l. pen. C. eod. Cur verò potius inter se dotem & donationem propter nuptias conferunt? An quia hæc videri possunt communia parentum & liberorum, nec omnino adhuc extra rem eorũ à quibus profecta sunt, esse videantur? Superest adhuc illa quæstio, an liberi conferant ea quæ parentes dedère vel promisère adipiscendi honoris causa, veluti ob munerum editionem l. 1. C. de peric. succes. part. Papinianus ait non conferri. l. 1. §. nec castrense. D. de collat. æquum enim esse vt id lucretur filius, G
cùm onera dignitatis sustineat. onera namq; honoribus cohęrent. l. 2. §. numerus. D. de vacatio. muner. Igitur si quid eo nomine pater dederit, nihil is, qui in dignitate est, pro eo fratribus conferet, vel si promiserit, omnium erit onus commune: quod vtique non esset commune, si eam impensam conferri oporteret, verùm liberandi essent coheredes pro rata. l. 2. C. de collat. Sed huic sententiæ vehementer obstabit l. penult. C. de collat. nisi separẽtur dignitates à militiis. Et verò hanc induci distinctionem omnimo-

do

A do necesse est. quod ego in Notis ad tres postremos Codicis libros plenius declarabo. Et hactenus de collatione.

De salinis & salinarum vectigali. CAP. XXXI.

N GALLIA salinæ omnes propriæ sunt principis, ex quibus ideo amplum sibi princeps vectigal parat, quòd suæ cuiq; regioni deputa-
B tæ sint salinæ, nec liceat aliunde inuecto sale vti: est enim salis commercium prohibitum. Locantur autem salinæ publicanis ad certum tempus, & ita iam plerisque in locis locari cœpêre, vt certo pretio sal à conductoribus emere singuli cogantur. quod si quis ex iure Romano confirmare velit, in promptu est l. inter publica. D. de verb. signific. l. si quis sine. C. de vect. & com. & l. liber homo. §. 1. D. de hered. instit. quam nemo adhuc in eam rem adnotauit. & in libris feudorum inter regalia salinarum quoque reditus cōputantur. tit. Quę sint regaliæ: Porrò Athenęus etiam refert lib. 3. Δειπνοσοφιστῶν, cap. 1. à Lysimacho iam olim in Troade vectigal salinarum constitutum, & natura tamen id quasi
C refugiēte statim exaruisse salinas, ac remisso vectigali rursus prodiisse. Sed posit & hoc genus vectigalis aliis auctoribus, atque rationibus comprobari quamplurimis: quæ alij quoniam obseruarunt, ideo dimittimus. Tantùm admonebo priuatis etiam Romano iure salinas posidere licuisse. l. forma. §. salinæ. D. de censib. l. 5. §. 1. D. de reb. eo. qui sub tut. l. generali. §. vxori. & §. seq. D. de vsufr. leg. Nec illud omittendum esse duco, propriam hanc fuisse olim feminarum pœnam vt in opus salinarum damnarentur, vt indicat l. aut damnum. §. in ministerium. D. de pœnis. & l. mulier. D. de capt. & postl.

D

De decemuiris litibus iudicandis, & de Septemuiris. CAPVT XXXII.

TTENTIVS videndum est, an libri singularis Pauli nostri de Septemuiralibus iudiciis inscriptio, quæ in Pandectis Florentinis eadem est, cùm in Indice Iurisconsultorum, tum in l. 7. 28. 31. D. de inoffic. testa. defendi posit. nam etsi querela inofficiosi testamenti
E apud Centumuiros instituatur, & Centumuirale iudicium sæpe dicatur, vt in Notis Institutionum docui, & ideo damnandos esse non putem eos codices qui Centumuiralibus, non Septemuiralibus habent: cùm tamen & Septemuiralis iudicij meminerit Liuius lib. 34. eam actionem forsitan etiam non malè quis Septemuirale iudicium dixerit, siquidem, vt verisimile est, ex Centumuiris septem præcipuè huic rei diiudicandæ operam dederint: sicut hastæ, quam quidam non malè Centumuiris attribuunt, siue litibus iudicandis Decemuiros constitutos legimus apud Pomponium in l. 2. §. deinde cùm esset. D. de orig. iur. sic enim legendum
F est, non Centumuiri litibus iudicandis in d. l. 2. Cicero in Oratore, Planè Duorumuirorum iudicium, aut Triumuirorum capitalium, aut Decemuirorum litibus iudicandis dico numquam. Spartianus in Adriano, Nec multo pòst Decemuir litibus iudicandis datus. Lucanus ad Calpurnium Pisonem,

Seu trepidos ad iura decem citat hasta virorum,
Et firmare iubet centeno iudice causas.

Hi etiam dicti sunt olim Decemuiri stlitibus iudicandis, vt ex Sext. Pompeio & Valerio Probo liquet. fuisse autem eos ex XXVI. viris optimè indicat Dio lib. 54. ex quibus
G erant & Triumuiri capitales, & Triumuiri monetales, & Quattuoruiri viarum vrbis, quorum etiam Pomponius meminit in d. §. deinde cùm esset. & Duumuiri qui viarum extra vrbem curam habebant, & Quattuoruiri, qui in Campaniam mittebantur. Sed cùm hic Dionis locus multùm conducat illustrando illi §. ipsius Dionis verba non grauabor apponere, οἵτε δὴ (φησὶν) εἴκοσιν οὗτοι ἄνδρες ἐκ τῶν ἓξ καὶ εἴκοσιν εἰσὶν, οἵτε τρεῖς οἱ τὰς τοῦ θανάτου δίκας προστεταγμένοι, καὶ οἱ ἕτεροι τρεῖς οἱ τὸ τοῦ νομίσματος κόμμα μεταχειριζόμενοι, οἵτε τέσσαρες οἱ τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι, καὶ οἱ δέκα οἱ ἐπὶ τῶν

δικαστηρίων τῶν ἐς τοὺς ἑκατὸν ἄνδρας κληρουμένων ἀποδεικνύμενοι. οἱ γὰρ δὴ δύο οἱ τοὺς A
ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι, οἵ τε τέσσαρες οἱ ἐς τὴν Καμπανίαν πεμπόμενοι, κατελέλυντο.

Tollitur mendum è l. 8. D. famil. erciſc. CAP. XXXIII.

SI VNI ex heredibus prælegatæ ſint rationes, ex Pomponio Vlpianus ſcribit in l. 8. D. famil. erciſc. non priùs ei tradendas, quàm coheredes deſcripſerint, eodemque modo ſeruo actore prælegato, non B
priùs tradendum ſeruum eſſe quàm rationes reddiderit. Etiam illud adiicit Vlpianus, cauere heredem debere ſe rationes ipſas authenticas, cùm res aliqua exegerit, vel ſeruum actorem coheredibus exhibiturum: quæ cautio tunc quoque interponitur cùm à iudice apud eum, qui maiore ex parte heres eſt, inſtrumenta hereditaria collocantur. l. ſi quæ ſunt. D. eod. tit. Et vt oſtendat Vlpianus coheredum nonnumquam intereſſe authentica ipſa, eumq; qui rationes adminiſtrauerit, ipſum exhiberi, Plerumque enim, ait, authenticæ rationes C
ſunt neceſſariæ actori ad instruenda ea, quæ poſtea emergunt ad notitiam eius ſpectantia. vbi ego inſidere mendum opinor. & cùm ſuperiùs actum ſit de ſeruo actore, nihilque attineat hîc aliquem actorem, id eſt, petitorem affingere, cuius interſit rationes exhiberi, pro *Actori*, lego *& actor:* vel id proximis verbis exigentibus, *Ad inſtruenda ea quæ poſtea emergunt ad notitiam eius ſpectantia:* notitiam enim ſerui actoris intelligit, ad cuius notitiam ea ſpectant quæ ipſe nouit. & ſic in l. cum ſeruus. D. de condic. & demonſtr. actori data libertate ita, SI RATIONES REDDIDERIT, ineſſe his verbis Calliſtratus ait, heredes notitia inſtrui rationum. Quid autem D
prælegato rationum contineatur Vlpianus non explicat, credo quia id ſatis apparebat: nec enim, vt chirographo vel nomine legato extraneo, actio legari videtur, ita rationibus vni ex coheredibus prælegatis, in quibus non expenſa tantùm, ſed etiam accepta, & numerus familiæ omniumq; rerum defuncti continetur, vti à veteribus patribusfamiliâs rationes confici ſolebant, actiones heredi aut ea omnia quæ rationibus continentur, legari exiſtimamus. Et hac in re derogamus fidem Accurſio, veriuſque eſt tabulas dumtaxat legari, &, quod plerumque non ſine magna controuerſia inter coheredes diſceptatur, id clarè à teſtatore decerni, vt apud eum ſint rationum E
tabulæ, cui eas ipſe prælegauerit.

Momentum moriendi vitæ potius quàm morti tribui, varijs exemplis demonſtratur. CAP. XXXIIII.

PRAETOR iubet ab emancipato fratribus, qui manſerunt in poteſtate, caueri de conferendis bonis, quæ moriente nõ quæ mortuo patre habuerit, auctore Vlpiano in fragm. tit. de poſſeſ. dand. & l. 6. F
13. 15. C. de collat. Igitur ſi extraneus emancipato ita legauerit, CVM MORIETVR PATER: hoc etiam legatum emancipatus conferet, quia non poſt mortem patris id, ſed moriente patre, manenteq; adhuc vita emancipatum habuiſſe interpretamur. Sed ſi poſt mortem patris filio legatum ſit, inter omnes conſtat legatum non conferri. l. penultima. D. de collat. & hanc verborum differentiam in multis aliis partibus iuris obſeruari, & interdum in aliis quibuſdam non obſeruari facilè oſtendam. Primùm omnium iure antiquo poſt mortem ſuam nemo ſtipulari aut promittere poteſt: in hunc modum tamen, G
Cùm moriar, rectè ſtipulamur. §. ita autem. de inutil. ſtipulat. Poſt mortem heredis legari non poteſt: cùm morietur heres, legari poteſt, auctore Vlpiano in fragm. titul. de legat. ſed eæ duæ verborum differentiæ à Iuſtiniano ſublatæ ſunt in l. 1. C. vt actio ab hered. & contra hered. incip. Conſentaneum eſt quod ſequitur, nec tamen immutatum. Poſt mortem ſuam nemo heres aut legatarius rectè inſtituitur: cùm morietur, rectiſsimè. l. heres meus. D. de condic. & dem. l. extraneum. C. de hered. inſtit.

& extr

A & extraneum quidem rectè, cùm morietur, heredem ſcribi placet, nō tamen filium, vt
opinor. nam hæc inſtitutio præteritioni ob longiorem moram ſimilis eſt : nec dicat
quiſquam in extraneo fruſtrà id adiectum videri, CVM MORIETVR, ex l. heredi-
tas. D. de hered. inſtit. nam etſi ex die nominatim hereditas dari non poſsit, veluti,
POST QVINQVENNIVM, QVAM MORIAR, HERES ESTO: tacitè ta-
men in diem conferri poteſt, veluti, CVM CAPERE POTERIS, CVM ADO-
LEVERIS, CVM MORIERIS. l. in tempus. D. eod. l. ſi mater. D. de vulgar. ſubſt.
& ita ſæpe fit, vt quæ expreſſa non valent, tacita valeant. Porrò ex his quæ diximus,
B cùm moriendi momentum vitæ potius quàm morti dari, & ea quæ poſt mortem rectè
non conferuntur, in moriendi tempus rectè conferri ſatis appareat, meritò hîc aliquis
poſsit quærere, cur ita datam libertatem, CVM MORIERIS, LIBER ESTO,
Iulianus nullius momenti eſſe conſcripſerit in l. libertas. D. de manumiſ. teſta. quæ ci-
tatur ab aliis in l. vlt. D. eod. & l. cùm heres. §. 1. D. de ſtatulib. rurſus, cur eodem quoq;
modo vtiliter vſusfructus nō relinquatur. l. heres. §. quamuis. D. de condic. & dem. ſed
huius quæſtionis diſſolutio facilè colligi poteſt ex l. Titio. D. de vſufr. Illius autem ex d.
l. vlt. & l. cùm heres. §. 1. difficilior quæſtio eſt, Cur patre inſtituto, & ab eo fideicom-
C miſſo relicto filio emancipato, cùm ipſe pater morietur, id fideicommiſſum quaſi poſt
mortem patris acceptum filius non conferat. l. 1. §. ſi emancipato. D. de collat. bon.
niſi quis mecum id velit ex fideicommiſſorum iure antiquo repetere : quæ cùm va-
leant ex nuda meraq; defuncti voluntate, & vtiliter poſt mortem heredis relinquan-
tur, vt oſtendit Vlp. in fragmentis tit. de fideicom. & l. ſi fuerit. D. de legat. lib. 3. nec
ſeruatur nec inducitur in eis illa ſubtilis differentia verborum, quinimmò, vti teſtato-
rem accepiſſe veriſimile eſt, ſic illa verba CVM MORIETVR HERES, accipi-
mus, ac ſi apertiſsimè poſt mortem heredis teſtator fideicommiſſum reliquiſſet. l. fidei-
D cōmiſſa. §. filio. D. de legat. lib. 3. ſic etiam in directis quoque ſcripturis, in quibus illam
verborum ſubtilitatem, non latitudinem voluntatis prudentes intuebantur, interdum
fauore libertatis ea verba ex præſumpto iudicio & mente defuncti interpretamur. l.
qui duos. §. 1. D. de manumiſ. teſta. Quod hodie ſi ſolas Iuſtiniani conſtitutiones inſpi-
cias, facilè in ſcripturis omnibus directis eſſe ſeruandum obtinebis.

Quid ſit ἀντίχρησις, & quam Iuſtinianus vſurarum, quæ ab agricolis exiguntur, rationem conſtituerit, declaratur. CAP. XXXV.

E

ΝΤΙ'ΧΡΗΣΙΣ eſt ſpecies pignoris ita dati, vt donec pecunia ſolua-
tur, pignore creditor vtatur fruatur in vicem vſurarum : verbi gratia,
vt domum pignori obligatam vſurarum vice creditor inhabitet. l. ſi
ſeruus. C. quod cum eo, &c. quæ cōuentio licita eſt, etiam ſi pluris do-
mus locari ſoleat, quàm efficiat legitimarum vſurarum ratio. vel vt
fundi oppignerati fructus omnes vice vſurarum creditor percipiat,
quæ conuentio propter incertum euentum fructuum admiſſa eſt, etiam ſi aliquo an-
F no poſsit fructuum emolumentum legitimum modum vſurarum excedere. nam &
propter incertum frumenti pretium, fit nonnunquam, vt frumento credito eiuſdem
materiæ acceſsiones ſupra legitimum modum admittantur, quemadmodum Græci
rectè colligunt ex l. oleo. C. de vſur. Lucullum tamen lege Aſianis data, quartam
dumtaxat partem fructuum creditoribus permiſiſſe apud Plutarchum legimus. & ſunt
hæc quæ appoſui Plutarchi verba, ἔταξε τῶν τοῦ χρεωφειλέτου προσόδων τὴν τετάρτην
μερίδα λαμβάνειν τὸν δανειστήν. quæ proculdubio ad hanc ἀντιχρήσεως conuentionem re-
ferri conuenit. Et hæc quidem valde pertinent ad l. ſi ea pactione. & l. ſi ea lege. C.
G de vſuris. quas de antichreſi accipiendas eſſe vel ex eo apparet, quòd eas Con-
ſtantinus Græcus auctor ponat ſub titulo περὶ ἀντιχρήσεως. Illud notandum eſt fa-
cta oblatione ſortis, creditorem fructus iam amplius non lucrari, ſed in ſortem im-
putare ex l. ex prædiis. C. de vſur. Itemque ex Nouella 32. 33. 34. ſi nobis res ſit
cum agricola, poſſeſsionum eius, aut ouium, aut mancipiorum ἀντίχρησιν facere non
licere. Etiam illud Iuſtinianus adiungit, octauam dumtaxat partem modij in ſingu-

los modios, & in singulos solidos vnam siliquam quotannis ab agricolis vsurarum A nomine accipere licere. verbi gratia, Si solidi centum crediti sint, solidos quattuor & sextantem: quæ vsura trientem vsuram quattuor siliquis exuperat. sed si vsuram centesimam accipiamus, ita vt interpres Theodosiani Codicis definit in l. 2. de vsur. cùm tres siliquæ annuæ in singulos solidos, id est, in singula centena XII. solidi & semis præstantur, quæ definitio fuit vsuræ centesimæ Imperatoris Constantini temporibus, eiusque fit mentio in Nou. 130. ad eius centesimæ rationem illa vsura verè triens vsura erit. Verùm quæri potest, cur agricolæ credita pecunia, cùm Iustinianus trientes dumtaxat vsuras admittat, in singulos tamen modios octauam modij partem B concedat: quæ secundùm nouissimam definitionem vsura centesima est, secundùm veterem, vsura centesima XII. siliquis amplior. Et respondebitur leuiores esse pecuniarum quàm ceterarum rerum vsuras, propterea quòd pecuniarum potestas eadem semper est, ceterarum rerum pretia incerta sunt & mutabilia: atque ita fit, modò vt accessiones frumenti crediti excedant legitimæ vsuræ rationem, modò vt excedantur. & hoc bellè confirmat l. 1. C. Theod. de vsur. quæ pro pecunia centesimam vsuram, pro ceteris rebus in duos modios modium tertium quotannis accipere permittit: quæ vsura quattuor centesimas ad rationem pecuniæ reuocata efficit, videli- C cet secundum nouissimam vsuræ centesimæ definitionem, quæ Imperatoris, vt suprà dixi, Constantini temporibus inoleuisse videtur, & planè confirmatur ab ea l. 1. C. Th. de vsur. ea enim Constantino mens est, vt legitimam vsuram pecuniæ, id est, centesimam accessio frugum tribus centesimis amplius excedat: quam rationem in Nouellis Iustinianus non est secutus: nam duplo tantùm vult accessionem frugum vsuram pecuniariam excedere. atq; hanc pecuniæ ac rerum inter se differentiam quidam non cernentes, perperàm, meo quidem iudicio, in Nou. Iustiniani pro ὀγδόην μοῖραν, emendarunt εἰκοστὴν καὶ τετάρτην μοῖραν. Sed vt ad ius ἀντιχρήσεως redeamus, id extremo lo- D co non ineptè adiicietur, an ad ἀντίχρησιν pertineat actio hypothecaria vel pigneraticia. De hypothecaria Marcianus scribit in l. si is qui bona. §. 1. D. de pignor. & ait creditorem qui amisit possessionem ἀντιχρήσεως, non hypothecaria, sed in factum actione vti solere, nimirum quòd antichresis propriè hypotheca non est. Rectè autem ait Solere: nam id quoque tentari potest hypothecariam creditori competere: idq; Azo notauit, sicut & debitori pigneraticiam competere idem Marcianus scribit in l. si pecuniam. D. de pigner. act.

E

Quid sit vltimum aut nouissimum supplicium, & emendatus locus apud Aulum Gellium de vsu horum verborum Nouissimè & Nouissimus. CAP. XXXVI.

N libris nostris vltimi supplicij appellatione sola mors cõtinetur: metalli pœna, deportatio, relegatio nõ continetur. l. vltimum. D. de pœn. id quod vltimam quoq; siue extremam pœnam dicimus l. pen. C. Th. de offic. rect. prou. Suetonius in Iulio. Senatu vltimam statuente pœ- F nam. Apuleius lib. 10. Extremæ pœnæ, quæ more maiorum in eum competit. In Nou. 14. vetus interpres (quem multo antiquiorem esse Bulgaro nobis, vt spero, breui firmissimis argumentis Ant. Contius vir acutissimus & doctissimus commonstrabit) non malè ἐσχάτας ποινὰς nouissima supplicia dixit. Horum enim verborum Nouissimus & Nouissimè in ea significatione frequens est vsus, cum apud Iurisconsultos, tum apud omnes Latinos auctores: & meritò iam à multis explosa est Auli Gellij sententia, qui abstinuisse his verbis M. Tullium temerè affirmauerat, itemq; Tironis Tullij à Fl. Capro, vt Charisius annotauit, qui scripserat in G Pandectis Nouissimè haud rectè dici, adieceratque quod sua cœpisset ætate id aduerbium. Ceterùm locus ille Auli Gellij qui est in lib. 10. cap. 21. cùm sit valde deprauatus, operæpretium fecero, si vti ex bibliotheca Ioannis Biturigum ducis à me restitutus fuerit, hîc demonstrauero. Cùm igitur id scripsisset Gellius eo verbo, id est, Nouissimus & Nouissimè tamquã non Latino M. Tullium abstinuisse, subiecit, *Quoniam*

qui

A *qui doctißimus eorum temporum fuerat Aelius, illo vt nouo & improbo verbo vti vitauerat.* vbi pro *Aelius illo,* ex illa bibliotheca legere malo, *Aelius Stilo.* Is fuit magister M. Varronis, interpres carminum Saliorum, eiusq; auctoritate veteres Grammatici vtuntur sæpisime, vt & Gellius idem lib. 16. cap. 8. vbi tamen corruptè vulgò Lęlius, pro L. Ælius legitur. Verba etiam, quæ cap. 21. lib. 10. Gellius retulit ex lib. 6. de lingua Latina M. Varronis ad Ciceronem, sic restituẽda sunt, *Quod extremum,* inquit, *dicebatur, dici nouißimum cœptum vulgò, quod mea memoria, vt Aelius, sic senes alij, quòd nimium nouum verbum esset, vitabant.* In excusis libris perperam legitur, *vt Ae-* B *lius Gallus, sic senes aliquot,* &c. Harum rerum scientiam non omnes, qui hac nostra ætate iuri dant operam, quærunt: quibus etiam nos hæc non scribimus.

Multas esse in libris à Iustiniano collectis leges fugitiuas, ex quibus duæ explicantur. CAP. XXXVII.

ENVMERAVIMVS in Notis ad tit. de grad. cognat. Inst. lib. 3. quasdam leges in Codice & in Pandectis à suis titulis reiectas, & in minus C proprium titulum translatas: quibus adiungi potest l. si de via. D. de aqua quotidia. & æst. l. de his. D. de transact. l. emancipato. D. de coniung. cum emancip. lib. l. dotem. D. de collat. & l. vlt. D. de iur. delib. & ex eis quidem hoc in capite duas interpretari decreuimus. l. 1. C. de dolo. & l. vlt. D. de iu. delib. Quæstio l. vlt. hæc est, An filiorum aut liberorum appellatione filij libertini contineantur, id est, qui in seruitute suscepti & postea simul cum patre manumissi sunt. Et eos quidem liberorum appellatione contineri Papinianus tradit in l. cum pater. §. volo. D. de legat. lib. 2. cuius sententia citatur in l. ex facto. §. D si quis rogatus fuerit vt si sine liberis. D. ad Trebel. At in hac specie, FILIVM LIBERTINVM PVPILLVM HEREDEM INSTITVO, deinde ita scribo, SI MIHI FILIVS NVLLVS ERIT QVI IN SVAM TVTELAM VENIAT, TVNC DAMA SERVVS LIBER ET HERES ESTO. Quærebatur, inquit Iauolenus in d. l. vlt. si Dama liber esset: vbi Gręcorũ more Si pro An accepit, vt in l. 3. §. emãcipatus. 1. D. de coll. bon. l. ait Prætor. §. pręterea. D. quæ in fraud. cred. & in constitutionibus Imperatorũ, & apud Cæsarem, Liuium, Columellam, Tertullianũ frequẽtisime. Cicero in Topicis, De expetendo & fugiendo, huiusmodi, Si expetendæ di- E uitiæ, si fugienda paupertas. Labeo autem existimabat filij appellatione in eo sermone verum filium contineri, non naturalem & in seruitute quæsitum. At Iauolenus in Trebatij sententiam concedit secus existimantis. Filius autem in ea lege libertinus qui sit, iam superius exposui: nec enim is quem ex ancilla mea suscepi & manumisi, eo in loco filius libertinus est: quinimmò filius idemq; libertus mihi est. Is verò, quem superius definiuimus, filius libertinus est, idemq; conlibertus. Nota verò est differentia inter libertum, & libertinum, quam & Vlpianum nostrum commouentem Athenæus F facit lib. 3. δειπνοσοφισῶν, cap. 17. Id etiam non probo quod lib. 4. παρέργων Alciatus definit, libertinũ filium apud Iauolenum esse eum, qui ex ciue Romano & Latina natus est: quem ex Vlpiani fragmentis constat Latinũ nasci: hic enim liber est, non libertinus. Et quod ex Liuio scribit Latinæ cuidam coloniæ datum nomen libertinorum, omnes Latinos, & libertinos esse, necessariò non concludit. Hæc autem eius legis explicatio demonstrat, nihil prorsus eam legem ad ius deliberandi pertinere: proinde fugitiuam esse aut peregrinam. Eiusdem generis est l. 1. C. de dolo. quod nisi dicamus, vehementer pugnabit cum l. si mandato Titij. §. 1. D. manda. Et sanè non de Præto- G ria de dolo actione, quæ subsidiaria est actio, sed de mandati actione, vt & Ioanni, Azoni, Accursio visum est, eam legem primam. C. de dolo, accipiendam esse illa verba indicant, *Fidei ruptæ gratia.* in directis enim actionibus bonæ fidei, de fide rupta agitur. l. ei apud quem. D. depos. l. ad comparandas. C. manda. l. non videbitur. D. de statulib. & ideo actiones de fide mala dicuntur à Marco Tullio in tertio de Natura deorum. Hæc est igitur sententia dicta lege prima. Ob fidem mandati ruptam debitorem actione mandati (cui, vt in omnibus bonæ fidei iudiciis, de dolo

actio inest) cum fideiussore agere, qui pignus emit à creditore, neque id omni oblato debito cum fructibus debitori restituit. Et sic in l. si seruus. D. de euict. hæc verba, *De dolo,* non malè interpres refert ad actionem ex empto nomine doli. Atque ex his etiam apparet quàm malè fuerit illa constitutio collocata sub tit. De dolo malo: quæ potius poni sub titulo Mandati debuerat. A

Confirmatur Pandectarum Florentinarum lectio quibusdam in locis.

CAPVT XXXVIII. B

QVAEDAM sunt in Pandectis Florentinis, quibus vt plurimum consentiunt quæ manu exaratæ sunt, ita scripta, vt vitia esse plerisque videantur, cùm tamen antiquam scribendi consuetudinem testentur, quale est *Em* in l. si fideicommissorum. D. vt in poss. legat. *Nihil me per em lædi oportere,* id est, per eum. & in l. si filia. §. Neratius. D. fam. ercisc. *Id em consequi posse.* Et in l. si totam. D. de adq. hered. *An* pro *Eam.* quomodo & veteres, *San* pro *Suam, Am* pro *Eam, En* pro *Eum* dixisse Verrius Flaccus scribit: & in XII. tab. non est ignotum *Im* pro *Eum* vsurpari. Quædam alia in veteribus Pandectis incorrupta cùm essent, nouis rarisq; appellationibus locorum aut hominum commoti quidam audacter deprauarunt: quale est illud de columnis Citiensibus promissis in l. 1. §. penult. D. de pollicit. quod de Republica Citiensium accipiendum est, ciuitate Macedoniæ, vt Liuius scribit lib. 42. ex qua Zeno Citiensis dicitur à Gellio lib. 17. cap. vlt. & vulgò tamen perperàm legitur Circensibus: vt frustrà in eo rescripto explicando Alciatus vir memoria sempiterna dignus operam insumpserit, ad columnas id referre tentans quibus exornatur Circus Maximus. Eodemq; errore alterius Reipublicæ appellatio vitiata est in l. regula. §. penult. D. de iur. & fac. ignor. ea est Respublica Cirtensium, quæ fuit olim caput regni Masæsulorum, auctore Liuio lib. 30. At pro Cirtensium, vulgò perperàm legitur Cyrenensium. C D

De tempore faciendi iudicati, & restituta lex quædam XII. tabularum.

CAP. XXXIX.

TEMPVS faciendi iudicati est mensis vnius ex XII. tab. siue XXX. dierum, qui dies Iusti appellantur, ea forma qua Sext. Pompeius dies XXX. cùm exercitus esset imperatus & vexillum in arce positum, Iustos à veteribus appellatos scribit. Ex constitutionibus autem iudicati faciendi tempus est duorum mensium, vt ostenditur in l. 2. C. Th. de vsur. rei iud. Idem nonnulli malè ostendi putant in l. debitoribus. D. de re iud. nam lex non de duobus mensibus faciendo iudicato præstitutis loquitur, sed de duobus mensibus qui pignoribus vendundis post tempus faciendi iudicati dantur, vt & l. 1. C. Th. de distract. pign. quæ tribut. caus. ten. quod simile quiddam habet cum eo quod ex XII. tabulis receptum fuisse Gellius scribit lib. 20. cap. 1. vt post mensem iudicati faciendi, priusquam pœnas darent rei, menses duos essent in vinculis. Ceterùm ex nouissima Iustiniani constitutione iudicatis non duo illi, sed quattuor menses dantur. l. 2. C. de vsur. rei iud. & post eos quidem menses quattuor currere incipit vsura rei iudicatæ, quæ fuit olim duplex centesima, hodie vna est centesima. Est autem hæc vsura sortis, non etiam vsurarum, quæ in condemnationem deductæ sunt. l. 3. C. eod. titul. nam vsurarum vsuræ non debentur, etiam si vsuræ ipsæ in sortem redigantur, hoc est, etiam si fiat anatocismus. At tempora illa quæ iudicatis præstituuntur, confessis etiam præfinita sunt: nam confessi pro iudicatis habentur, & nominatim in XII. tabulis æs confessum rei iudicatæ comparatur. Verba legis XII. tab. quia valde apud Gellium deprauata sunt, ex antiquo & fideli exẽplari proponam. ÆRIS CONFESSI REBVSQVE IVRE IVDICATIS XXX. DIES IVSTI SVNTO. POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO: IN IVS DVCITO. NI IVDICATVM FACIT, AVT QVIPS ENDO EO IN IVRE VINDICIT, SECVM E F G

A DVCITO: VINCITO AVT NERVO AVT COMPEDIBVS XV. PONDO, NE MAIORE, AVT SI VOLET MINORE VINCITO. SI VOLET SVO VIVITO: NI SVO VIVIT, QVI EVM VINCTVM HABEBIT, LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO, SI VOLET PLVS DATO. TERTIIS NVNDINIS PARTIS SECANTO: SI PLVS MINVS'VE SECVERINT, SE FRAVDE ESTO. Ait, *Pedeinde* pro *Postdeinde*, quod an rectum sit, nescio: verùm ita ipse in vetere illo exemplari scriptum reperi, vt & *Quips* pro *Quispiam*. Ait, *Ni iudicatum facit, aut quips endo eo in iure vindicit, secum ducito.* quod B ego rectissimum iudico, nam sic veteres loquebantur, In eo agro, in ea gleba, in ea re in iure vindicare, vt ex Gellio constat lib. 20. cap. 9. Legis igitur hic sensus erit, eum quem post xxx. dies manu iniecta in ius duxerit, ni iudicatum faciat, vel aliquis pro eo vindex existat, creditorem secum ducere & vincire. Ait autem *Vindicit*, ea forma qua & *Lauit* & *Sonit* veteres dixisse Non. Marcellus scribit. Rursus ait, *Ne maiore, aut si volet minore.* quibus verbis dantur fræni impotentiæ creditorum, vt ne maiore possint vincire, minore, si velint, vt possint. quod non frustra adiicitur: nam & cum possent latitantis bona distrahere, id S. C. adiectum similiter legimus, vt si velint ho-C nestius bona vænire, curatorem constituant. l. cuius. D. de cur. fur. & paulo pòst, vt si velint plus libra præbeant. Antea perperàm legebatur, *Ne minore, aut si volet maiore*, ac si ea in re lex omnem humanitatem tolleret. Cetera, quæ à vulgata scriptura discrepant, satis patent.

Iudicatur alia quædam lex XII. *tabularum.* CAP. XL.

D VLPIANVS scribit in l. 2. §. si quis iudicio. D. si quis cautio. lege XII. tab. cautum, si iudex vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, vt sit dies iudicij diffisus. Eius legis particulam quamdam apud Sex. Pompeium referri animaduerti, dum Rei nomine ex Ælio Gallo, & actorem, & eum cum quo agitur, significari ostendit. Hanc enim eius significationis confirmandæ causa ex secundæ tabulæ lege secunda partem refert. QVID HORVM FVIT VITIVM IVDICI, ARBITRO'VE, REO'VE DIES DIFFISVS ESTO. quamquam in libris excusis mendosè legatur *Deffensus* pro *Diffisus*, & *Vtrum* pro *Vitium*: sed sic ait, *Quid ho-*E *rum fuit vitium*. vt alibi, *Si morbus æuitásve vitium sit.* Nec me mouet quòd Numæ eam legem esse Sextus scribit: nam ex Alicarnassei lib. 2. & 10. constat ex legibus regiis & ex moribus P. Romani multas Decemuiros leges in XII. tabulas transtulisse hoc censente populo, πάντας τοὺς πατρίους ἐθισμοὺς τε καὶ νόμους ἅμα τοῖς ἐπιθέτοις, vt Alicarnasseus ait, in toto proponi. Quamobrem existimo & illas Numæ leges de eo qui sciens hominem liberum morti duit, & de pœna pellicis, & de homine fulmine occiso & de ter-F mino exarato, ab eodem Sexto relatas, XII. tabulis adscribendas esse.

BARTHOLOMAEO FAYO
V. C. SENATORI PARISIENSI
IACOBVS CVIACIVS S. D.

ETSI, *quos tibi libens merito despondi, Obseruationum libros ad annuam diem, qua constitui, singulos non adducam, tu qui omnium quibus cum tibi res est, commodum potius quàm ius tuum spectas, mihi arctißima quadam beneuolentiæ colligatione, nec alia causa rem habenti tecum, hanc quoque, si placet, roganti excusationis veniam dabis, quòd ante hoc tempus in huius scholæ, in qua versor, cultura & cura nimis anxiè laboranti ad meam erga te fidem exsoluendam meo cõmodo dies vacui nulli adhuc superfuerint. De commentarijs autem in tres postremos Justiniani Codicis libros, quod postrema epistola tibi & publico sum pollicitus, propriam quandam excusationem habet. Vtor in eis sæpe auctoritate librorum Codicis Theodosiani, eorum, inquam, quos habet Lugduni Lud. Miræus vir & eruditißimus & in antiquorum monumentis inuestigandis sagacißimus, quos mihi priuatim hoc anno perlegendos dedit, dabit & breui publicè omnibus. Verùm id interim dum is alia re districtus non præstat, si in meis commentarijs eos qui nondum extant præpropere testes citauero, ferendus forsitan non sim. Prouoces tu modò aliquantum, prouocent studiosi, prodeant testes illi, nec nobis sui copiam eiurent, in me hominum de meo labore subeundi iudicij mora nulla erit. Offertur interea tibi hic Obseruationum quartus, quem quòd præclarè intelligo tamquã propriè tuum, inter ceteros recepturum te statim, ideo commendatione omni supersedendum videtur. Bene vale.*

Valentiæ Cauarum
XV. *Kal. Jul.*
1559.

IACOBI CVIACII I. C.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM LIBER IIII,

AD

BARTHOLOMÆVM FAYVM V. C.

SENATOREM PARISIENSEM.

Variasse Scæuolam & deprauatissimum esse §. si quis duobus. l. qui bona fide. D. de adquirendo rer. domin. CAP. I.

A VOD accidisse Papiniano ostendimus lib. 2. Obser. cap. 37. vt sententiam à se relatam in librum decimum quæstionum lib. 27. mutaret, idem Scæuolæ accidisse ostendit Vlpianus in l. qui bona. §. si quis duobus. D. de adquir. rer. dom. Quod enim is lib. 2. Quæstionum, de duobus bona fide possessoribus scripserat, quando ex alterius re seruus alienus aut liber homo aliquid adquirit, id resipiscens lib. 13. retractauit. Et quidem lib. 2. partem dumtaxat ei adquiri, ex cuius re ser-
B uus vel liber homo adquisiisset, partem verò alteram, quæ socio adquiri non potest, propterea quod ex re eius non est, ad dominũ vel ad ipsum, si liber esset, pertinere Scæuola scriptum reliquerat, vt apparet ex l. sed & si quid. §. si duos. D. de vsufru. quæ Scæuolæ sententia cùm repetatur in d. §. si quis duobus, vterq; locus inter se comparandus est, vt quemadmodum duo menda, quæ in §. si quis duobus inesse existimamus, tollenda sint, intelligatur. His primùm verbis quæstio ab Vlpiano proponitur in §. si quis duobus. *Si quis duobus bona fide seruiat, vtrique adquiret, sed singulis ex re sua. quod autem ex re alterius est, vtrùm pro parte ei, cui bona fide*
C *seruit, pro parte domino, si seruus sit, aut si liber sit, ei qui bona fide seruit: an verò ei debeat adquirere totum, ex cuius re est, videamus.* Hæc eadem quæstio in duobus fructuariis & bona fide possessoribus proponitur in §. si duos. videlicet vtrùm id pro parte, an totum quæratur ei, ex cuius re est. Quòd si pro parte quæri dixeris, pars altera socio non dabitur (nec enim ex re eius est) sed vero domino, si seruus sit, vel si liber sit, sibi. itaque Pandectas Florentinas non sequor, in quibus, vt superius proposuimus, sic habet textus §. si quis duobus. *Aut si liber sit, ei cui bona fide seruit.* Omnimodo
D enim legendum est, *aut si liber sit, sibi, an verò*, &c. Tum sequitur: *Quam speciem Scæuola quoque tractat libro secundo quæstionum. Ait enim, si alienus seruus duobus bona fide seruiat, & ex vnius eorum re adquirat: rationem facere, vt ei dumtaxat insolidum adquirat.* Sed falsum hoc est, si ita legatur. Nam libro secundo Quæstionum Scæuola bona fide possessori ex cuius re seruus quærit, partem dumtaxat adquiri scripsit, vt traditur in §. si duos: ideoq; ex eo pro *Insolidum, Partem* in §. si quis duobus legendum esse omni adseueratione confirmamus. id enim & quæ sequuntur exigunt, quæ in P. Florentinis malè punctis esse distincta §. si duos, indicat. *Sed si adijciat*, inquit, *eius nomen, ex cuius re stipulatur: nec dubitandum esse ait, quin ei soli adquiratur.*
E Additur alia exceptio in §. si duos, puta, *si iussu eius stipuletur.* His igitur duobus casibus exceptis, non ei solidum, sed pars dumtaxat adquiritur ex sententia Scæuolæ. At vt postea subiungitur in §. si quis duobus. quamuis nec nominatim, nec iussu eius seruus stipulatus sit, Scæuola in inferioribus quæstionum libris probauit solidum ei adquiri.

quiri. quæ ſententia obtinuit. Id autem probauit lib. 13. vt apparet ex l.ſi alienus ſeruus.D.de ſtip.ſeru. quæ ex eo libro ſumpta eſt, vt vel hoc ſolo indicio quàm ſit neceſſarius nobis à Iacobo Labitto proditi Indicis vſus, ſatis liquere poſsit. Sed hæc ſufficiant. Quod enim inſcriptio huius capitis pollicetur, his pauciſsimis verſibus iam perfecimus, variaſſe Scæuolam oſtendimus, locum deprauatiſsimum emendauimus. Verùm & hoc forſitan ſuperaddidiſſe iuuabit, malè in eadem l.qui bona. §.generaliter.P. Florentinas negationem habere in illo loco, *Quod autem non ex re.* Vt enim quod ex re bona fide poſſeſſoris ei liber homo adquirere non poteſt, veluti poſſeſſoris rem eam ſibi adquirit.l.liber homo. in prin.D.de ſtipul.ſeru.non ſic quod non ex re bona fide poſſeſſoris ſibi adquirere non poteſt, id poſſeſſori adquirit.nam etſi non ex re bona fide poſſeſſoris ei nominatim ſtipuletur, non magis ei adquirit, quàm poſſeſſori ſeruus alienus, aut fructuario ſeruus, qui ei non ex re ſua nominatim ſtipulatur.l.ſed etſi quid.§.quæſtionis.D.de vſufr.l.1.§.1.D.de ſtipulat.ſeruor. Deniq; fieri nullo modo poteſt, vt liber homo poſſeſſori, quod ex re eius non eſt, adquirat. Quinimmò inutilem eſſe ſtipulationẽ, quam poſſeſſori, quod ex re eius non eſt, ideo adquiri quia ipſi nequeat, verius eſt. Ergo non negatoriè in eo §.eſt legendum, ſed hoc modo, *Quod autem ex re eius ſibi adquirere non poteſt: ei adquiſiturum, cui bona fide ſeruit.* Confirmatq; hanc lectionem l.liber homo.D.de ſtipulat. ſeruor. vbi hominem liberum licet Stichum, qui ſuus eſt, ſibi adquirere non poſsit ex re poſſeſſoris, oſtenditur eum poſſeſſori adquirere, nõ quidem quia in peculio eius ſit, (hic enim Stichus ſi in peculio eſſet, nulli adquireretur) ſed quia ſi hic liber homo eiuſdem ſeruus eſſet, ſibi quidem non poſſet adquirere, illi tamen adquireret. Qui igitur ſibi non poteſt, alij poteſt.

Iure Romano in aliena ſilua venari, & alieno lacu ſtagnóve piſcari licere.

CAP. II.

T in aliena ſilua vel agro venari & aucupari poſſum, ni dominus prohibeat. l.3.D. de adquiren.rer.do.ita & in alieno lacu vel ſtagno piſcari.l.iniuriarum. in fine. D. de iniur.nam eorum animalium, quorum fera natura eſt, tamdiu domini ſumus, quamdiu ea incluſa habemus, aut manſuefacta, vt fera, ſi in viuariis habeamus, aut piſces in piſcina, aut aues in ornithone, aut apes in alueo: certè eorum domini ſumus. At ſi in ſilua ſint etiam circumſepta, vel in ſtagno, aut lacu, aut in arbore, quia in naturali laxitate ſunt, noſtra non ſunt. Et hoc colligo ex l.3.§. item feras. D. de adquir. poſſeſſ. Quæ etſi de poſſeſsione loquatur, & eum qui non ſit poſſeſſor conſequens continuò non ſit etiam dominum non eſſe, natura tamen ferarum hoc exigit, vt amiſſa poſſeſsione & amiſſum dominium dicamus, propterea quòd ſtatim atque poſſeſsione noſtra abſceſſerunt, omnibus patent iuregentium. Alia verò eſt manſuetorum animalium cauſa. nec enim amiſſa eorum poſſeſsione etiam dominium amittitur. proinde qui in ſua ſilua aprum, vel ceruum capit, vel in ſuo ſtagno piſcem: non proprium aprum, vel ceruum, vel piſcem capit, ſed nunc primum occupatione ſibi eius dominium parat. Similiter qui in agro Titij aprum vel in ſtagno Titij piſcem capit, non proprium Titij aprum vel piſcem capit, ſed iuregentium aper vel piſcis antea cùm nullius eſſet, in capientis dominium tranſit, vt indicat l.vſufructuarium. D.de vſufr. Hæc Romani prudentes, qui ius gentium propiùs ſubſecuti ſunt, ita cenſuerunt. mores tamen vbique paſsim ius gentium ſubegerunt, adeò vt ne in flumine quidem publico piſcari, neque in agris libere venari, aut aucupari liceat. Eum verò qui non permiſſu domini in alieno quid horum fecerit, puto nihil ſibi adquirere, idque probare l. in laqueum. D. de adquir. rer. dom. quæ aprum qui in plagas incidit, necdum apprehenſus eſt, non aliter meum fieri oſtendit, quàm ſi in meo vel in alieno permiſſu domini laqueum poſuero, cui ita hæſerit aper, vt diu colluctando ſe expediturus non fuerit.

A *Quibus casibus in re præsenti conuenire oporteat, vt eius sine traditione naturali proprietas & possessio adquiratur.* CAP. III.

I rem meam quam tu tenes vel posſides, tibi vendidero, nemo eſt qui neſciat eam pro tradita haberi. Sed in hac re Accurſius, ceteriq; ſemiiuriſconſulti duobus ſeipſos erroribus inuoluunt. primùm in eo, quòd rei venditæ præſentiam etiam exigunt, deinde in definitione rei præſentis & abſentis. Dicunt enim præſentem rem eam, quæ ſit in pote-
B ſtate emptoris: abſentẽ, quæ nõ ſit in poteſtate emptoris. Verùm rem præſentẽ eſſe eam, quæ ſit in præſentia & oculis contrahentiũ conſtat. & hoc ſenſu in re præſenti vindicare, in re præſenti cognoſcere, & in rem præſentẽ venire dicimus, & creditorẽ in re præſenti, id eſt, in ipſa pecuniæ numeratione cõſtituere, in quam cauſam ſolutũ velit quod qui ex pluribus cauſis debet, ſolu. l. 1. ad fin. D. de ſol. & nũtiationem in re præſenti fieri, id eſt, in ipſa re, in ipſo loco & opere l. 5. §. nũtiationem. D. de noui oper. nuntiat. Rurſus quemadmodum traditis clauibus in horreo vinario vinum repoſitũ ita demum traditum videtur, ſi claues in re præſenti, id eſt, apud horreum tra-
C ditæ ſint: itemq; columnæ quæ propter magnitudinẽ loco moueri vix poſſunt, ſi in re præſenti, id eſt, apud columnas cõtractus habitus ſit: pariq; ratione vt non per procuratorem etſi procuratori res tradita ſit, ſed ipſemet mihi poſſeſſionem & dominiũ adquiſiiſſe videar, quemadmodum id exigimus, vt præſens ſit res, quæ me iubẽte procuratori meo traditur. l. 1. §. penult. D. de adquirend. poſſeſſ. non ita quoq; puto, vt à me tibi vendita res mea, quæ apud te eſt, tibi tradita videatur rei præſentiam exigendam. Vbi enim emptor rem tenet, quid opus eſt, quæſo, in rem præſentem conuenire? Itaque ſic ſtatuo, vbi emptor rem non tenet, fictam traditionem non admitti, niſi in re
D præſenti vterq; conſenſerit. Vbi emptor rem tenet, fictam traditionem induci, etiam ſi in re præſenti non conſenſerint. nec enim quibus legibus hoc genus traditionis introducitur, in eis rei præſentis vllum verbum. §. interdum. de rer. diuiſ. l. ſi rem. in pr. D. de euict. l. fine. §. 1. D. de public. in rem act. l. ſi ſeruus. in fine. D. de adqui. rer. dominio. Mouetur Accurſius argumento l. eius rei. & l. proximæ. D. de rei vindicat. ſed infirmiſſimo. nec enim de poſſeſſore lex loquitur, ſed de eo, qui dolo deſiit poſſidere, atque adeò tanti fuit damnatus, quanti actor in litem iurauerat. hæc enim eſt eius, qui dolo deſiit poſſidere, propria condemnatio. l. qui reſtituere. D. eod. Et hunc quidem meritò
E ait, ſi res ſit in præſentia, quando litis æſtimatio præſtatur, rei ſtatim dominum fieri: ſin verò abſit, non ante dominium adquirere, quàm eius rei nactus ſit poſſeſſionẽ, quam ſe non facturum quominus is nanciſcatur, etiam is cauere debet.

An regula Catoniana pertineat ad hereditates explicatur, & l. 3. D. de reg. Cat. emendatur. CAP. IIII.

F EGVLA Catoniana pertinet ad ius antiquum, quo dies legatorum cedit à morte teſtatoris. Ad legem Iuliam & Papiam, quo cedit ex apertis tabulis, non pertinet, & ita iam duobus commentariorum noſtrorum in locis legem vltimam D. de reg. Caton. interpretati ſumus rectiſsimè: Eadem ratione regula Catoniana ad condicionalia legata non pertinet. l. cetera. §. 1. D. de legat. lib. 1. nec ad ea, quæ ab aditione hereditatis cedunt, cuiuſmodi eſt legatum vſus, vſusfructus, habitationis legatum ſeruo legato relictum. l. cum legato. D. quando dies leg. ced. Illud quæritur, an pertineat ad inſtitutiones. Et ſanè cùm ſicut ad legata condicionalia non pertinet, ita non
G pertinere eam ad condicionales inſtitutiones reſpondeatur in l. placet. D. de reg. Cat. quòd ſcilicet in condicionalibus inſtitutionibus ſolùm exiſtentis condicionis tempus ſpectetur. l. liber. §. ſi heres. D. de hered. inſtit. conſequens eſt tam ad inſtitutiones puras, quàm ad legata pura eam Catonis ſententiam pertinere, idq; apertè definitur in l. penult. D. de diuerſ. reg. iur. antiq. & §. in extraneis de her. qual. & diff. & in l. ſi à Primo. D. de lib. & poſt. & veriſsimũ eſt. Directò tamen obſtat l. 3. D. de reg. Catoniana.

Caton

Catoniana, inquit, *regula non pertinet ad hereditates.* Sed, vt breue faciam, quod apud A
Vlpianum tit. qui hered.inſt.poſſ. ſæpe accidiſſe librorum ſcriptoribus oſtendimus, vt libertatis & hereditatis nomina inter ſe confunderent, & alterum pro altero ponerent, idem eos commiſiſſe affirmo in illo loco. Itaque ſic lego, *Catoniana regula non pertinet ad libertates:* cuius ſententiæ ratio apertiſsima eſt. Libertates enim ab adita hereditate cedunt. §.libertatibus. C.de cad.toll. l.nam cùm libertus. D.quando dies leg.ced.l. Iulianus.D.de condic.& demonſtrat.l.qui putat.§.fi.D.de adq.her.l.qui teſtamento domini.D.qui teſt.fac.poſſunt:& probatur quoque l.generaliter.§.ſi homini.D.de fideic.lib. Ideoq; mox eo in loco iunguntur libertatibus ea legata quæ poſt B
aditionem cedunt: *Neque,* inquit, *ad ea legata, quorum dies non mortis tempore, ſed poſt aditam hereditatem cedit.*

De libertinorum condicione ſublata. CAP. V.

VT ingenuorum alij ſunt ciues Romani, alij Latini, alij Dediticij, ita & libertinorum. Ciues plena libertate fruuntur: Latini viuunt vt liberi, moriuntur vt ſerui: Dediticij neque vt ſerui, neque vt liberi viuunt, C
vmbra tantùm quadam libertatis vtuntur. l.1.C.de Lat.lib.tol.§. vlt. de ſucceſſ. libert. Apponam verba Saluiani Maſsilienſis epiſcopi ex lib.3.ad eccleſ.cath. quibus Ciuitas quàm ſit melior Latinitate luculenter oſtenditur. *Meliori,* inquit, *condicione quidam relinquunt libertos ſuos, quàm tu relinquis filios tuos. In vſu ſiquidem quotidiano eſt, vt ſerui etſi non optimæ, certè non improbæ ſeruitutis Romana à dominis libertate donentur, in qua ſcilicet & proprietatem peculij capiunt, & ius teſtamentarium conſequuntur, ita vt & viuentes, cui volunt, res ſuas tradant, & morientes donatione tranſcribant: Nec ſolùm hoc, ſed & illa quæ* D
in ſeruitute poſiti conquiſierant, ex dominorum domo tollere non vetantur. Tantum eis interdum gratiæ patronæ liberalitas impartit, vt etiam iure ſuo detrahat quod libertorum dominio largiatur. Quanto, ô quiſquis ille es infideliſsime, pater, quanto domini illi melius cum libertis agunt, quàm tu cum liberis? illi, quæ donant perpetuo iure donant, tu temporario: illi teſtamenti faciendi arbitrium dant libertis, tu tollis liberis: illi poſtremò ſuos dant libertati, tu quaſi addicis filios ſeruituti. Nam quid eſt aliud, quàm ſeruituti addicere quos non vis aliquid quaſi ingenuos poſsidere? More ergo illorum vteris, qui ſeruos ſuos non bene de ſe meritos, quia ciuitate Romana indignos iudicant, iugo Latinæ E
libertatis addicunt, quos ſcilicet iubent quidem ſub libertorum titulo agere viuentes, ſed nolunt quicquam habere morientes: negato enim his vltimæ voluntatis arbitrio, etiam quæ ſuperſtites habent, morientes donare non poſſunt. Hæc Saluianus. Nemo autem eſt qui neſciat Latinorum dediticiorumq; condicionem eſſe à Iuſtiniano ſublatam: atq; adeò ſicut ex conſtitutione Antonini ingenui omnes, qui ſunt in orbe Romano, Ciues Romani ſunt, ita libertini omnes ex conſtitutione Iuſtiniani Ciues Romani ſunt. Plus dico ex Nouellis Iuſtiniani, qui & teſtatus pridem fuerat ſibi cordi eſſe ingenuis hominibus potiùs, quàm libertis Remp. frequentari.l.3.C.de bon.lib. omnimo- F
do ſublatam libertinorum condicionem videri No. LXXVIII. Manumiſſos enim ingenuos fieri, non libertinos, maximè ſi manumiſſor ius patronatus remiſerit. Priſcis moribus Francorum manumiſsio vel in eccleſia fiebat ſecundùm conſtitutionem Conſtantini, aut potius Ludouici Imperatoris: vel ex lege Salica, iactato, vt dicebant, denario: vel per chartam ſiue epiſtolam, quomodo etiam regis domeſtici propter reginæ partum ſeruos dominicos liberabant:& inde manumiſsi in Conſtitutione quadam Pipini alij Denariales, alij Chartularij homines appellãtur, idq; in manumittendo adiiciebatur, vt ingenui ſtatim fierent, perinde ac ſi ex ingenuis parentibus procreati G
eſſent. Interdum tamen ea condicione mittebantur, vt quoad viueret dominus, ſeruirent ei, poſt obitum ingenui fierent: quæ omnia ex veteribus Francorum ritibus, & ex decretis Burchardi collegimus, & probat Aſtulphus Rex Longobardor. in titul. de manumiſſ. Hoc autem recepto, manumiſsione ingenuos fieri, conſequens eſt, vt dicamus etiam manumiſſos cognationem recipere: quod tamen vigente libertinitate non

A non obtinuit.l.7.D.vnde cognat.

Explicatur species l.qui se patris.C.Vnde liberi. CAP. VI.

MP. CONSTANTIVS A. *ad Leontinum Com. Orientis. Qui se patris,* inquit, *post auum intestatũ defuncti negat heredem, mortui aui paterni suscipere facultates non potest, maximè emãcipatus, nisi per bon. possessionem ad huiusmodi beneficium peruenerit.* Hoc rescriptum vt B obscurum esse existimetur, Accursij interpretatio facit, quæ mutat vacillatq; adeò, vt certi ex ea quid statuas, vix colligere quicquam possis. Mihi huius rescripti species apertissima videtur. Si post mortem aui intestati filius delata hereditate priusquam se immisceret decesserit, nepos ex eo dubitari potest, an auo heres sit. Si filius miscuisset se, nihil dubitaremus: nec enim tunc nisi per patrẽ nepos aui hereditatem obtinere posset. At si filius non miscuerit se, & decesserit, dubitatur, an nepos auo heres sit. Et sanè si patris sui, id est, si filij hereditatem suscipiat, suscipiet etiam aui hereditatem transmissionis iure, quoniam sui etiam ignorantes parentum C hereditatem ad heredes transmittunt. l.apud hostes. C.de suis & legit.lib. l.2.§.si quis ex liberis.D.ad S.C.Tert. At si nepos nolit filio heres esse, an dicemus eum auo suum heredem futurum? Minimè verò: idq; in emancipato nepote dicemus faciliùs, quàm in eo, qui est in potestate aui. Sed tamen in vtroq; idem iuris est, quoniam in suis heredibus successio non est. l.1.§.sciendum. D.de suis & legit.heredi. Tempore enim delatæ hereditatis eum filius in ea hereditate præcessit. At defendi potest daturum prætorem ei bonorum possessionem Vnde liberi. & hoc sentit in eo rescripto Constantius, cùm sit positum sub tit. Vnde liberi, quod tamẽ in Cod.Theod.positum D est sub tit.de maternis bonis: neq; verò poterit, vt nepos aliter admitti ad successionem aui, quàm si bonorum possessionem Vnde liberi admiserit. nec enim iure ciuili inuitatur. Igitur vt emancipatis omnimodo est necessaria bonorum possessio Vnde liberi, cognatis Vnde cognati.l.2. l.vlt.C.vnde legit. Ita hunc nepotem omnimodo necesse est si velit auo succedere, prętoris beneficio vti. Hanc autem bonorum possessionem prætor dat non tantùm suis, sed etiam non suis liberis inspecta natura potiùs, quàm iure legitimo.§.emancipatus.§.minus.de hered.quæ ab intest.defer. Dicet forsitan aliquis huic nepoti recluso liberorum iure dari potiùs ex sequenti parte bonorũ E possessionem, id est, Vnde legitimi, sicut post mortem fratris intestati fratre superstite moriente delata necdum agnita hereditate fratris, filium fratris constat non admitti ex illa parte, vnde legitimi vocãtur, cùm ideo non sit legitimus, quòd in legitimis successio locum non obtineat, nec detur. Vnde legitimi nisi legitimis legum've tuendarum causa. l.sed cum patrono.D.de bon.poss. Verùm mitti ex parte Vnde cognati. §. placebat: de legit.agnat.success..Sed hæc dissimilia sunt, nam qui non sunt legitimi, possunt esse cognati. At liberi qui non sunt sui, nec sunt agnati.l.scripto.D.si tab.testam.nullæ ext.l.de bonis.§.j.D.de Carbon.edict. Huic igitur nepoti neq; vt suo Vn- F de liberi, neq; Vnde legitimi dari potest: vt nepoti tamen ei bono.possessio Vnde liberi datur.

De precarij varijs generibus. CAP. VII.



RECARIVM est, quod precibus petenti vtendũ cõceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur.l.1.D.de precar. Ex eo nulla est actio ciG uilis, quia ciuile negotiũ non est. Donatio enim magis est quàm cõtractus. sed precarium reuocare volenti interdictum redditur, quod Precarium appellatur. Immò & incerti condictio, id est, præscriptis verbis datur. l.2. l.duo. §.final. l.interdictum.l.& habet. §.cùm quis.D.de prec.l.eum qui.§.is qui precario.D.de furtis. Sed hæc actio est ex bona fide magis, id est, ex bono & æquo tacitoque negotio, quàm ex negotio contracto. d.l.2. sicut condictiones, de quibus lib. 12.Pandectarum tractatur, omnes magis sunt ex

bono & æquo tacitoq; cõtractu, quàm ex negotio gesto. Precarium igitur donationis A
species est potiùs, quàm contractus. At non tantùm is, qui ita rẽ accepit, precario pos-
sidere dicitur: sed interdum etiam is, qui cõduxit. l. 2. C. de præsc. x x x. anno. cùm ta-
men hic non tam precibus quàm mercede adhibita ad conductionem perueniat, ille
ex hac solũmodo causa possidet quod preces adhibuit. Et ideo id negotij genus pro-
priè precariũ appellatur, à Græcis τὸ ἐπὶ παράκλησιν. Non tam impropriè dicetur Com-
modatarius precario possidere, cùm sit commodatum precario simile: & ideo Saluia-
nus lib. 1. ad Eccles. Cath. Commodatis, inquit, à deo facultatibus vtimur, & quasi pre-
carij possessores sumus. Adiecit Accursius depositariũ. sed errore labitur. nec enim de- B
positarius vllas preces adhibet. Nouissimè in vsum venit quoddã negotij genus, quod
Precaria in decretis ecclesiasticis appellatur, quod τὸ χρήσεως δόσιν appellare videtur Iu-
stin. in No. v i i. & c x x. Id verò quemadmodũ geratur, non satis constat inter inter-
pretes. Accursius quosdam id emphyteusim interpretari refert, quod quæ mox dicturi
sumus refutabunt: Vitus Amerbachius id cuius nomine interdictum precariũ reddi-
tur, precarias esse interpretatur in quadam Caroli constitutione: sed loquitur Carolus
de precariis renouandis: Renouari enim singulis lustris precariæ solebant, idq; proba-
tum est in concilio apud Beluacum habito, cui Ludouicus Imperator interfuit. Preca- C
rium autẽ non renouatur. Rursus precariæ non reuocantur. Precarium voluntate eius
qui concessit, reuocatur. In precariis plerumq; interuenit merces, in precario nõ item
Nam ex veteribus cõtractuũ formulis ita precarias fieri didicimus, vt is qui prædia sua
ecclesiæ cessit, deinde roget, vt sibi quoad vixerit, vti eis & frui liceat, quod & ex l. 4.
de vlt. volunt. lib. 2. legis Longob. colligitur. vbi tamen vulgò male legitur *precarium*,
cum sit legendum *per precarias*, vt est in veteribus, quos non ita auersati sumus, quin
diligenter cum impressis contulerimus. Sic autem dabatur vsusfructus vel gratuitò vel
certis statisq; temporibus, constituta mercede certa: & vt post mortẽ ipso iure cum his D
omnibus quæ interim accessissent, prædia ad Ecclesiam redirẽt, cauebatur. Interdum
donata prædia simul cum aliis à se non profectis donator per precarias recipiebat, in-
terdũ ea lex precariis addebatur, vt qui rogasset ea, quãdiu actoribus Ecclesiæ placuis-
set, retineret constituta mercede, in qua præstanda si morã fecisset, expelleretur: illud
quoq;, vt perinde valerent precariæ, ac si, vt in aliis locis moris est, quinto quoq; anno
renouatæ essent. Et hoc negotij genus audio in Italia frequentari.

His verbis, Genere quodam, *quemadmodum nostri auctores vtantur.* E
CAP. VIII.

IN l. 10. D. pro emp. sic lego, *& genere quodam venditio inter seruũ & dominum contracta est.* quibus verbis significatur, id negotiũ de quo ibi agitur, vẽditioni simile ac proximũ esse. Sic in l. quod seruus. D. de stip. ser. nam & hæc genere quodã donatio est. & in l. Pomp. D. de adq. re. do. nã genere quodã venandi id erant nancti. & in l. quarundam. D. de adq. poss. Vtrubiq; animi quodã genere possessio erit æstimãda. Sic Scribonius Largus medicus antiquissimus ad G. Iulium Callistum: Quid F
possum vltra dicere, nisi genere quodã parricidiũ eos committere? & alio loco: Nam &
hoc genere quodã ex eadem materia constat. & alio: Meritò itaq; manifestè quidã iu-
gulantur genere quodã incitata eruptione sanguinis. & alio: Antidotus Apulei Celsi
præceptoris quam quotannis cõponebat & genere quodam publicè mittebat Cen-
turipas vnde ortus erat. *Genere quodam* idem valet quod *Quodammodo.*

De sententia. l. transfugam. D. de adq. rer. dom. siue de transfugis. CAP. IX.

TRANSFVGA est proditor, qui fide mutata ad hostes transit. l. postli- G
minium. §. transfuga. D. de capti. & postlim. qui idẽ dicitur & perfuga,
vt ex Ælio Gallo Sext. Pompeius refert. Hic suo facto mediam capitis
deminutionẽ patitur. l. amissione. §. 1. D. de cap. minut. nec si redeat
ad suos postliminiũ habet. l. item ei. D. ex quib. causis maior. l. postlimi-
niũ. §. transfugæ. D. de capt. & postl. Maximam verò non patitur: nec
enim

A enim fit seruus hostiũ.l.si quis tutor.D.de tutel. Quidã dicunt eũ si reuertatur ad suos, seruũ fieri. quod falsum puto. namq; reuersis aut ex iusta causa venia datur.l.nõ omnes §.vlt.D.de re milit.aut viui exuruntur,aut capite puniũtur,aut vt apud Germanos fieri solebat auctore Cornelio tacito, furca vel arboribus suspenduntur.l.proditores. D. de re milit.l.aut damnum.§.hostes.D.de pœnis.Eadem pœna in hostes constituitur in §.hostes. Ait,enim,Hostes autem,item trãsfugæ hac pœna afficiuntur,vt viui exurantur.Sed hoc ridiculũ & ineptum est.Itaq; sic affirmo in eo §.esse legẽdum, *Ad hostes autem transfugæ.* vt in l.si quis aliquid.§.1.D.eod.tit.Nusquã verò inuenies trãsfugas
B seruos effici posteaquã ad suos redierunt.Extat quidem apud Constantinũ lib.6.Epit. constitutio,Si quis semel transfugerit, vt veniã consequatur:si iterum, vt triennio seruiat:si tertio,vt in perpetuam seruitutem distrahatur.Sed ea est ex nouissimorum imperatorum Alexij aut Leonis aut Basilij constitutionibus. At quia,vt diximus,transfuga ciuitatem amittit, quæso quî fieri potest,vt tutor maneat,quemadmodum traditur in l.si quis tutor.D.de tut.Media enim capitis deminutio tutelas soluit. Puto non esse hoc per omnia verum,vt soluatur tutela tutore ciuitatem amittente.nam deportatione quidem soluitur,quoniã deportati nullius certè ciuitatis sunt ciues,atq; adeò ἀπό-
C λιδες appellantur. At secus est si tutor trãsfugerit,vel si deditus hostibus & ab eis receptus fuerit.hic enim in aliam ciuitatẽ migrat. Quòd si non ciuis testamento tutor dari potest.l.etiã non municeps.D.de tutel.cur etiam qui desinit esse ciuis,& in aliã ciuitatem transit,datus testamento tutor non manebit?Hæc cùm ita sint,quid sentiat Celsus in l.transfugam.D.de adqui.rer.dom.videamus,dum ait, transfugam iure belli recipimus:nec enim hæc verba sic accipi oportet, vt fiat transfuga seruus noster vel hostiũ. Rursus nec ita,vt reuersus postliminio recipiatur, nisi transfugæ appellationẽ velis eo in loco ad seruum restringere:nam seruus transfuga propter dominum postliminium
D habet,ceteri transfugæ non habent. Verùm & aliud esse reor ius belli,aliud ius postliminij. Est quidẽ vtrumq; ius gentium,bellum & postliminium. Sed separatur ius belli à iure postliminij.Iure belli hostes cæduntur,hostes capiuntur,iure belli trãsfugæ quasi hostes interimuntur.l.3.§.vlt.D.ad leg.Corn.de sicar.Q. Curtius lib.8.Persarum regẽ occidere volumus & te transfugã iure belli persequimur.Iure belli transfuga recipitur, id est,eum qui ab hostibus desciuerit,nõ violato iure belli possumus recipere. Nec ex Recipiendi verbo postliminium significari arguamus. nam vt & exules & deditos ita & transfugas Latinè dicimur recipere. Res autem hostiles, quæ non bello captæ,sed
E apud nos deprehensæ sunt,vtputa merces,arma,naues,vt subiungit postea Celsus,occupanti cedunt,nec fiunt publicæ,sicut & homines, qui bello subitò exorto apud hostes deprehenduntur, suo fato & iure belli occupãtium fiunt.l.in bello.§.1.D.de capt. & postl.Et hæc est meo quidem iudicio sententia l.transfugam.

Ad appellationem hi qui appellantur,quemadmodum respondeant.

CAP. X.

F IS qui appellabatur, ita plerumque pronuntiabat, iustè rectéve appellatum, aut iniustè appellatum, aut iustam iniustámve sententiam videri, vt colligi potest ex.l.imperatores.§.1.l.negotiorum.D.de appellation. l.maritus.D.de quæstion. l.chirographis.§.1.D.de admin. tutor. l.2.D.quando appelland. sit l.in ratione.§.cùm quidam. D.ad leg. Falcid. l.intra. D. de minor. l.1.C.de appellat. Videtur & hæc nouorum Imperatorum temporibus in vsu fuisse formula, A RE BENE IVDICATA TEMERE APPELLASTI FVRORIS AVDACIA. Sic enim Optatus Afer scribit in lib de schism.Donatistarum. Ad quam appellationẽ Constantinus Im-
G perator sic respondit, ARBITA FVRORIS AVDACIA, sicut in causis gentilium fieri solet.vbi ego illud ARBITA (sic enim malo,quàm vt in quibusdam editionibus *Orbita*) interpunctionibus ita distinguendum esse censeo A.R.B.I.T.A. Vt his litterarum initiis hæc vulgaris formula significetur: *A re bene iudicata temere appellasti.* Proxima certè locutio, *furoris audacia*, illis tẽporibus sæpissime vsurpabatur. l.si quis in tantam.C.vnde vi.l.2.C.de aquæd.No.Theod.de Iudæis,Samar.&c.

Emendatur §. vlt. l. 2. D. de interdictis. CAP. XI. A

PAVLVS in l. 2. §. vlt. D. de interdict. datis exemplis interdictorũ apiscendæ, reciperandæ, retinendæ possessionis: *Sunt*, inquit, *Interdicta, vt diximus, duplicia tam reciperandæ, quàm apiscendæ possessionis.* quę verba mihi magni erroris suspecta sunt. Moueor quia Paulus ait, *vt diximus,* quasi suprà ostẽderit quædam esse interdicta duplicia, tam reciperandæ quàm apiscendæ possessionis. quod tamẽ certè non dixit, sed hoc tantùm initio legis demonstrauit quædã esse interdicta duplicia, veluti Vti possidetis, & Vtrubi. quibus etiam adiungi potest veluti possessoriũ quod inter riuales redditur De aqua. l. 1. §. si inter riuales. D. de aq. quot. & æst. quæ tamẽ non ideo duplicia appellantur quòd sint & reciperandæ & apiscendæ possessionis (nec enim ad has causas vllo modo pertinẽt) sed quia in eis vterq; tam rei quàm actoris partes sustinet. l. si duo. §. 1. D. vti possid. l. 1. §. proponitur. D. de superfic. §. tertia. Instit. de interd. Tum verò quis hoc fando vmquã audiuit, aut quis hoc animo cõcepit vmquam, dari posse interdicta tam reciperandæ quàm apiscendæ possessionis? Non est difficile studioso omnia iuris prætorij interdicta colligere. Colligat igitur omnia, percurrat, excutiat. Vnum si inuenerit quod tam ad reciperandam quàm apiscendam possessionẽ pertineat, nolo posthac mihi credi quicquam de iure ciuili affirmãti, in quo tot iam annos ita me exerceo, vt adsecutus mihi aliquã videar & docendi, & interpretandi, & respõdendi facultatẽ. Apiscimur quod nunc primùm nanciscimur. Reciperamus quod amisimus. Quod amisimus, habuimus. Quod nunc primùm adquirimus, non habuimus. Igitur dici hoc non potest quod amissum reciperamus, idem etiã simul nunc primùm apisci: aut quod habere incipimus, & reciperare nos. Sed neq; dari interdictum potest, quod partim ad reciperandã, partim ad apprehendendã possessionem pertineat. deniq; nullum est interdictũ duplex tam reciperandæ quàm apiscendæ possessionis. Fateor esse interdicta tam prohibitoria quàm exhibitoria. l. 1. §. 1. D. de interdi. vt interdictum De liberis exhibendis, quod licet exhibitoriũ sit, tamen pro prohibitorio est. l. 3. §. 1. D. de lib. exhib. Esse interdicta tã prohibitoria quàm restitutoria. l. 3. §. cùm prętor. D. ne vis fiat ei, qui in poss. miss. erit. l. 1. §. 1. D. de aqua quotid. & æst. Nego esse tã reciperandæ quàm apiscendæ. Nec pugnantia dico: nã apiscendæ itemq; reciperandæ interdicta omnia restitutoria sunt. Hoc igitur dico non posse dari interdictũ restitutorium, quod sit & apiscendæ & reciperãdæ possessionis gratia comparatũ. Quid igitur? An errasse Paulũ dicemus? Quinimmò errasse potiùs librarios transportatis his ex l. 3. verbis, *Tam reciperandæ, quàm apiscendæ possessionis* in eum l. 2. §. vlt. de quo disputamus. Hic enim fuit ordo quia esse debuit. Positis interdictis retinendæ possessionis, Paulus scripsit in hũc modũ, *Sunt interdicta, vt diximus, duplicia:* vel, vt legitur in quibusdam editionibus, *Sunt autem interdicta, vt diximus, duplicia.* Id verò dixerat in legis initio, interdicta retinendæ veluti Vti possidetis esse duplicia. Sequebatur alia Vlpiani definitio his verbis, *In interdictis tam recuperandæ quàm apiscẽdæ possessionis exinde ratio habetur fructuum, ex quo edita sunt, non retro.* quæ verba ideo addita sunt, quia in interdictis retinẽdæ possessionis fructuum ratio non habetur, sed in restitutoriis dumtaxat interdictis, cuiusmodi sunt apiscendę & reciperãdæ. l. videamus. §. in Fabiana. D. de vsur. Sed ea verba cùm essent ab aliquo interprete addita in margine, postea in contextum recepta fuisse, aliena tamen sede, vt dixi, coniecturã facio ex l. 1. §. ex die. D. vnde vi & de vi armat. (ex quo eam Vlp. definitionẽ ductã esse vt existimem, verborum & inscriptionũ similitudo facit.) vbi Vlpianus ea verba nõ vsurpat, nec profectò in interdictis reciperãdæ, quæ duo tantùm sunt Vnde vi & De vi armata, quamuis fructuum ratio habeatur, huic definitioni locus est, sed in ceteris ait interdictis, id est, in ceteris quæ perinde restitutoria sunt atq; Vnde vi, ex quo edita sunt, non retro ratio habetur fructuũ. Itaq; ea potius verba vt omnino expungantur auctor sum.

Indicatur lex quædam XII. *tab. de indemnato non interficiendo.*

CAP. XII.

INAVD

A INAVDITVM, indemnatum, incognita indictaq; causa neminem interficiendum esse adeò verum est, vt nec possit pater filium, quem in potestate habet, occidere, nisi præses vel præf. vrbi audierit cum priùs, & condemnauerit. l. 2. D. ad leg. Corn. de sicar. l. 3. C. de patria potest. Id autem iuris quod in vrbe etiam tum cùm reges essent, fuit, postea relatum in XII. tab. fuisse ex Saluiani Massiliensis episcopi lib. 8. de iud. & prouid. Dei, didicimus: Interfici, inquit, indemnatũ quemcumq; hominem etiam XII. tab. decreta vetuerunt. Itaq; dum Augustinus sic scribit lib. 1. de ciuit. Dei,
B Vos appello leges iudicesq; Romani, nempe post patrata facinora nec quemquã scelestum indemnatum impune voluistis occidi: eum dicemus leges XII. tab. intelligere. Videtur autem sumptum hoc esse ex Lycurgi legibus, quæ auctore Valerio lib. 7. cap. Sapiẽter dicta aut facta, de indemnatis supplicium sumi vetabant.

Duo loci Pandectarum valde corrupti emendantur. CAP. XIII.

PERSPICVA menda est in l. 4. D. de S.C. Silan. dum non natis postu-
C mis & vxore substituta mortua antequã ei per S. C. Silan. adire liceret, heredes mulieris Papin. ait ex Constitutione actiones habituros. legendũ enim est, *ex substitutione*, nulla enim ea de re prodita est cõstitutio. Et ita etiã libri quidam scripti habent: Florẽtini eodem vitio laborant, quo ceteri, qui sunt excusi. Dabuntur autẽ heredibus ex substitutione vtiles actiones. l. 3. §. eleganter. D. eod. nec enim ipso iure ad eos transmissa est substitutio. Æquè euidẽs est error in l. Diui fratres. D. de iur. patron. Proponitur in ea rescriptum D. fratrum ad Quintillios, quod etiam citatur in l. in seruitutẽ. §. si patro-
D ni. D. de bon. lib. & eius summa hæc est, vt colligitur ex eo §. calumniã filij aduersus libertum paternũ nepoti ex eo nato nihil nocere, quod in eo rescripto hæc verba, quæ rem decidunt, potissimũ indicant: nepotem neq; ex verbis neq; ex sententia legis aut edicti prætoris ex persona vel nota patris sui excludi. At initio rescripti sic proponitur dubitatio, an si pater patris libertũ accusauerit per calumniam, nepos contra tab. auiti liberti bon. possess. petere possit. Quęstio igitur est de auo, decisio de patre, quod stare non potest. Tum verò ita ratiocinor: Non solet auus pater patris appellari. expeditior enim est aui appellatio. & eo maximè loco vt dixerunt auitũ libertũ, sic si de auo quæ-
E siissent, proculdubio dixissent auum, non patrẽ patris. Præterea cùm auitus sit libertus, & cum patronus ipse, id est, auus impune accuset, l. si filius. §. 1. D. de fideic. lib. ineptũ est quærere, an quæ in auo ipso, qui accusauit, impunita est accusatio, nepoti noceat. At quia in filio patroni impunita non est, meritò dubitatur, an & nepoti ex eo suscepto noceat. Et hoc sanè eo rescripto agitur. Quis est igitur, qui non videat eo in loco expungendã esse vocem, *patris*, vt supersit tamen altera, nempe *pater*? Sed vt omnis scrupulus discẽdi studiosis eximatur, velim id quoq; in ea l. Diui. obseruent, proposito rescripto Diuorum fratrũ Vlpianum idem omnino quasi nullum ea de re extaret re-
F scriptum, & se quærere, & in Iuliani, quæ etiam rescripto probatur, sententiam ire. quę res vt scilicet diuersæ quæstiones tractari viderentur non eadem, illum quem correximus errorem (vt opinor) peperit. Et forsitan peruerso ordine nobis ea ex Vlpiano, vt pleraq; alia, Tribonianus tradidit. Prius enim erat quæstionem ex se proponere, deinde responsionem & rescriptum.

Legem vltimam. D. de lege Pomp. de parricid. non ad eum titulum, sed ad tit. de S. C. Silaniano pertinere. CAP. XIIII.

G CRIMINA ferè omnia XX. annorũ præscriptione tolli Imperatores aiunt in l. querela. C. ad leg. Cor. de fals. & Constãtinus probat his verbis lib. 1. Epit. ὅτι τὰ ἐγκληματικὰ εἰκοσαετίᾳ σβέννυνται. Idcirco aiũt, *ferè*, quoniam quædam sunt crimina, quæ quinquennij præscriptione tolluntur, vtputa quæ descendũt ex lege Iulia de adulteriis coërcendis. l. mariti. §. hoc quinquenniũ. D. ad leg. Iul. de adul. Itẽ quæ ex lege Iulia

peculatus. l. 7. D. ad leg. Iul. pecul. & ex S. C. Silaniano. l. in cognitione. D. ad S. C. A
Silan. Nulla autem esse existimo, quæ non vicennij præscriptione tollantur: quod enim dicitur de crimine subditi partus in l. qui falsam. D. ad leg. Cornel. de fals. sub hac exceptione accipiendum est, nisi vicennium præterierit, quæ quidem de crimine falsi consimili sententia etiam ab imperatoribus adiicitur in d. l. querela. Ergo licet mulier adulterij non posit post quinquennium accusari, vel post sex menses vtiles, subiecti tamen partus accusationi illæ præscriptiones mulieri nihil prosunt. Et hæc proculdubio est sententia Pauli in d. l. qui falsam. respicit enim ad adulterium subiectioni adfine crimen, dum crimini subiecti partus nullam præscriptionem opponi ait. B
Quò autem respiciat idem Paulus in l. vlt. D. de lege Pompeia. non video. Verba legis hæc sunt. *Eorum, qui parricidij pœna teneri possunt, semper accusatio permittitur.* Numquid enim est aliud parricidio adfine crimen, quod quinquennio, aut triennio, aut decennio excludatur, vt eandem præscriptionem accusationi parricidij obiici non posse admonere necesse sit? Quod si quis contendat nihil tale etiam spectari oportere, & hanc Pauli sententiam esse, parricidij crimen non excludi præscriptione vicennij, id quoq; non admittam. nam licet quædam sint crimina, quæ minori tempore finiantur, nulla tamen quamuis grauia & Reip. perniciosa vltra vicennium C
porrigi certa auctoritate cõfirmari potest. Sed & de crimine parricidij Paulus non loquitur. Ait enim, *Eorum qui parricidij pœna teneri possunt.* non ait, *qui parricidij pœna tenentur.* Quamobrẽ mihi ita videtur vitiatam esse inscriptionẽ eius legis de qua agimus: restituendã autem esse ex l. in cognitione. D. ad S. C. Silan. in qua eadem omnino verba sunt, nec ad crimen parricidij, sed ad accusationem contra S. C. Silanianum apertarum tabularum eius, qui à familia occisus esse dicitur, referuntur. Hac enim accusatione extranei heredes quinquennio liberantur: hi qui parricidij pœna teneri possunt, non item. Et ideo illinc eruta verba malè Tribonianum ad titulum de lege D
Pompeia transtulisse satis liquet, & eo liquebit magis, quo quis attentiùs locos superiores disputationemq; nostram examinauerit.

A quo magistratu detur bon. possesio, explicatur: & Valerij Maximi complures loci purgantur. CAP. XV.

DARE bonorum possesionem est iurisdictionis siue imperij mixti. l. imperium. D. de iurisdict. omn. iud. Dat eam Prætor in vrbe, Præses E
in prouincia, non duumuiri. l. ea quæ. D. ad municipalem. A præfecto vrbi bon. possesionis datæ exemplũ est apud Valerium lib. 7. cap. De testamentis quæ rescissa sunt. Refert enim exheredato patri à filio in adoptionem dato G. Calpurnium præf. vrbis rescisso filij testamento ab intestato bon. possesionem dedisse. quod certè non eo quidem apud me nouum est, quia ob exheredationem patris rescissum fuerit testamentum filij in adoptionem dati, quandoquidem & is filius vicisim si exheredatus fuisset, de inofficioso testamento patris iure experiri potuisset: sed quia præfectum vrbi ait bonorum possesionem F
dedisse. Hoc enim iuris auctoritate caret: At certè apud Valerium in libris veteribus ita legitur, *Egregia G. quoq; Calpurnij Pisonis pr. vrb. constitutio.* quod ego qui memineram G. Calpurnium Pisonem Prætorem non Præfectum vrbi fuisse, nec vsquam à Præf. vrbi bon. possesionem datam legeram vel audiueram, valde statim comprobaui. Sunt verò in eo auctore & alia errata quamplurima, ex quibus ea potisimum in hoc loco notabo quæ ad ius nostrum pertinere videntur. in lib. 5. cap. de ingratis loquens de Cimone Milciadis filio, *Hanc*, inquit, *hereditatem paternam maximi ducis filius, & futurus ipse suæ ætatis dux maximus, solam se creuisse, catenas & carcerem gloriari* G
potuit. vulgò legitur, *solum sese sortitum*: quæ verba supposita sunt ab his qui hereditatem creuisse quid esset ignorabant, quod latet nunc neminem, mirorq; id nescisse Erasmum in illo Prudentij loco, *Testator & sator iubet Adire regnum & cernere.* In lib. 7. cap. 2. A M. inquit, Luctatio Pithia splendido equite Rom. iudex aditus. legendũ, additus, vt & lib. 8. cap. 2. de qua re G. Aquilius iudex additus: quod probaui lib. 4.

A Institutionum tit.de offic.iud.vel potiùs vbique, addictus. Addicere enim est dare, vt addicere bon.possessionem in 2.Ver. & addicere litem in XII. tab. quod alij dare litem. Idem tamen eodem capite, M.Portium, inquit, Catonem inclyti Catonis patrem arbitrum cum Claudio adduxit formulam quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona, pro quo M.Tullius dixit, adegit arbitrum lib.3.Offic. vt in Orat. pro Roscio Com.Cur nō arbitrum pro socio adegeris Q.Roscium.& in Topicis, Finibus regendis & aquę pluuiæ arcendæ adigere arbitrũ. Sic enim libri veteres habent, nō adiicere.

B *Explicatur initium l.3.D.de bono.possessionibus.* CAP. XVI.

LPIANVS in l.3.D.de bonor.possess. *Bona autem*, ait, *hîc, vt plerumque solemus dicere, ita accipienda sunt, vniuersitatis cuiusque successionem, qua succeditur in ius demortui.* Quæ verba nemo rectè adhuc, quod sciam, interpretatus est. Animaduerti autem veteres interdum dixisse, Hereditatis possessionem, non bonorum possessionem, & ita sæpissimè loquutus est M. Tullius. Plerumque autem, C vt Vlpianus ait, solemus dicere, Bonorum possessionem. Idem tamen postea vtrumq; vsurpat in §.1. *Hereditatis autem*, inquit, *bonorúmve possessio.* ex quo loco hæc, quæ sequuntur, *Denique etsi nihil corporale sit in hereditate, attamen rectè eius bonorum possessionem agnitam Labeo ait*, manifestò perspicitur ita esse restituenda vt addita disiunctione legamus, *attamen rectè eius bonorúmve possessionem.* Nec verò vmquam dixere, Hereditatis bonorum possessionem, sed vel Hereditatis possessionem, vel Bonorum possessionē, plerumq; autem, id est, frequentius Bonorũ possessionem. Ambrosius tamen lib.1.de Caim & Abel. *Testamentum, inquit, est quo defertur bonorũ hereditas.*

D

Explicatur l.cùm societas.D.pro socio. CAP. XVII.

QVO tempore iuri ciuili operam dare cœpi, nulla me lex diutius torsit quàm l.cùm societas.D.pro socio.nec planè etiam nunc ausim dicere eam à me legem intelligi. afferam tantùm probabilia quædam. Ait Vlpianus, *Cùm societas ad emendum coiretur, & conueniret, vt vnus reliquis nundinas, id est, epulas præstaret, eosq; à negotio* E *dimitteret: si eas eis non soluerit, & pro socio, & ex vendito cum eo agendum est.* Primùm omnium vti nundinæ pro epulis accipi possint, nō video. Tum quid sit A negotio dimittere, non intelligo. Deinde quod obscurius est non solutis epulis, quorsum detur actio ex vendito, & ei ob eam causam qua ratione locus esse possit, adsequi nullo modo possum. Postremò quia in aliis editionibus ita legitur, *Cùm societas ad emendum coiretur, & conueniret, vt vnus reliquis nundinarias epulas præstaret, eosq; ad negotium dimitteret*, vtra sit lectio verior, subsisto. Ad hanc tamē posteriorem procliuior sum. nam & Cicero pro Rabirio Postumo, in negotium mittere, eo- F dem sensu dixit, & in Paradoxis ad defenerandas diripiendasq; prouincias dimittere, & simili forma Vlpianus in mercedem mittere in l.quæsitum.§.si aliqua.D.de instr.vel instrum.leg. Tertullianus lib.de virg.vel. Masculum à duobus amplius ad negotia mittunt. Inita igitur ad emendum societate, conuenit inter socios vt vnus nundinarias epulas præstaret, reliquos in negotium mitteret. Hi negotiati sunt, non soluuntur epulæ, habent in eum qui epulas nō præstitit, ex lege societati addita actionem Pro socio: actionem ex vendito ipsi non habent. Hæc enim venditori datur: nihil autem ipsi socio vendiderunt. Rursus ex empto actionem non habent. Ipsis enim is, qui epulas G præstare debuit, nihil vendidit, vt frustra Accursius exponat, Ex vendito, id est, ex empto. Igitur Pro socio dumtaxat actionem habent. Puto tamen eum, qui vendiderit his qui in negotium missi sunt, dum vnus epulas parat, non in eos tantùm qui emerunt, sed in eum etiam qui epulas præstare debuit, quasi & ipse emisse videatur, qui hac de re societate contracta socios in negotium misit, ex vendito actionem habiturum, & hanc esse sententiam l.cùm societas. Nec enim qua fini datur actio Pro socio, eadem

atq; adeò nec eiſdem actio ex vendito datur. Similiter verò & venditori non in eum A
dumtaxat, qui alterius mandato emit, ſed & in eum, qui mandauit, ex vendito actio competit. l. Iulianus. §. ſi procurator. D. de act. empt.

Quid ſit Chartiaticum in l. Diuus. D. de bon. dam. quid pulueraticum in conſtitutionibus quibuſdam. CAP. XVIII.

EX RATIONE pannicularia officialibus chartiaticum præſtari Vlpianus ſcribit in l. Diuus. D. de bon. damn. Ita enim legitur in P. Florentinis: quam lectionem confirmant hæc Zonaræ verba in Nicephoro, ἐπόπτας προβαλλόμενος ἐπιχώριον ἐπαύξειν σφᾶς τὰ δημόσια, ἀπαιτεῖσθαι ἢ καὶ ὑπὲρ χαρτιατικοῦ ἰδίᾳ τῷ νομίσματι δύο κεράτια. Eſt verò chartiaticum id quod quaſi pro chartis officialibus datur: ſicut Cerarium quod quaſi pro cera apud Ciceronem: ſicut pulueraticum ſiue pulueratica honorarium, quod quaſi pro labore & puluere agrimenſoribus datur, in Conſt. quadam Theodoſij & Valentiniani, quæ apud Frontinum extat. quo nomine etiam à præſidibus ſingulas prouinciæ ciuitates obeuntibus prouinciales exigebantur. ſed abolitum eſt, Nou. Leonis & Maioriani de Curialibus, de qua intellexit Caſsiodorus lib. 12. Var. dum ait, Pulueratica quoque iudicis funditus amputantes, trium tantum etiam dierum præſulibus annonas præberi ſecundùm vetera conſtituta decernimus. Sic pulueratici nomine bini ſolidi dantur ſeruis, qui ſe militiæ offerunt in l. 16. C. Theod. de tironibus.

Explicatur l. 7. C. de reuoc. donat. CAP. XIX.

QVAEDAM ſunt actiones in perſonam, quæ non pecuniæ, ſed vindictæ tantùm perſecutionem habent: & ideo heredi vel in heredem non dantur. Huiuſmodi eſt actio iniuriarum. l. 2. §. emancipatus. D. de collat. l. ſi eum. §. iniuriarum. D. ſi quis caut. & actio de moribus. l. vlt. C. Theod. de inceſt. nupt. Eiuſdem ego generis etiam opinor eſſe eam actionem perſonalem, qua mater ab impiis & ingratis liberis donationem reuocat, de qua in l. 7. C. de reuoc. donat. Lex enim ait ita perſonalem eam eſſe, vt vindicationis tantùm habeat effectum, nec in heredem detur, nec tribuatur E
heredi: vbi vindicationem pro vindicta ſiue vltione accipio. Hac enim actione mater ſuam iniuriam vlciſcitur potiùs, quàm rem perſequitur. Et vulgo malè eo in loco vindicatio accipitur pro actione in rem. Dari namque poteſt actio mixta tam in perſonam, quàm in rem, nulla tamen dari poteſt actio in perſonam, quæ actionis tantùm in rem habet effectum. Denique non hic eſt effectus actionis in rem, vt nec heredi, nec in heredem detur. nam & heredi petitoris & in heredem poſſeſſoris eam dari quodam modo conſtat. At ea actio, qua reuocat mater donata ingratis liberis, nullo modo heredi vel in heredem datur. Effectum igitur vindicationis tantùm ideo habere dici- F
tur, quòd vindictam tantùm perſequatur, non pecuniam: atque ita ſimilis eſt iniuriarum & de moribus actioni actio.

De boue aratorio Imp. Conſtantini duo ſingularia conſtituta. CAP. XX.

NE AGRORVM culturæ boues abſtraherentur, inuenio Imp. Conſtantinum duo conſtituiſſe. Primum, vt ne ob ciuilia debita boues G
aratorij pignori caperentur. l. executores. C. quæ res pign. oblig. poſſ. quæ lex ſumpta eſt ex Cod. Theod. lib. 2. tit. 30. & in eo quidẽ nihil de boue aratorio ſiue Baſilienſem ſiue Pariſienſem editionem conſulas: ſed, vt Anianus indicat, & compluria Cod. Theod. exemplaria, quæ in manus noſtras peruenerunt, legendum ſic eſt vt in Cod. Iuſtin. *ſeruos aratores aut*

A *aut boues aratorios.* Quod amplius est de instrumento aratorio in Cod.Iustinian. ad-
ditum à Triboniano videtur, qui etiam *intercessores* eo in loco interpretatus est *exe-
cutores*, vt in l.ne quis.C.de offic.rect.prouinciæ.Eadem verò ratione Attica lege ma-
ctari boues aratorios nõ potuisse Ælius refert variæ historiæ lib.v. his verbis: Βοῦν ἀρό-
την καὶ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ
οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. Et Plin. lib. 8. Iudicio Pop.
Rom.in exilium actum eum, qui bouem aratorium occiderat, & ex Varrone socium
laboris & agriculturæ & quasi colonum occidi, dum bos occideretur: quò spectat etiã
B Cõstitutio quędam Valentis, cuius meminit Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum.
Imp.Valens, inquit, nuper legem per Orientem dederat, ne quis vitulorum carnibus
vesceretur, vtilitati agriculturæ prouidens.Deinde id eodem ferè tempore Constanti-
nus sanxit, ne boues aratorij etiam deficientibus his, qui cursui publico destinati sunt,
ab his qui iter faciunt, abstrahantur. l.j.C.Theod.de cursu pub.ang. & parang. Iter fit
plaustris & vehiculis, hisq; iunguntur boues, non tamen aratorij. Aristot.in Oecon.de
boue aratorio scribit in hunc modum, Βοῦς ἀντὶ οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν.

C *Emendatur l.post dotem.D.solut.matr.* CAP. XXI.

SI PATER post dotem datam & nuptias contractas stipulatus sit
voluntate filiæ, diuortio facto dotem reddi, rectè stipulatus est.l.quo-
tiens. D.solut.matrim. Est igitur patris propria repetitio dotis, deniq;
est vtilis repetitio atque efficax. Pugnat tamen cum hac sententia l.
post dotem. D.eod.tit.quæ patrem post dotem datam & nuptias cõ-
tractas stipulantem voluntate filiæ, diuortio facto dotem reddi, ac
D deinde secuto diuortio viua filia agentem, ait exceptione summoueri. idq; iniquum
videtur. Rectè enim stipulatus est. Quæ interpretes de eius legis sententia scripserunt,
non recitabo. nec enim digna sunt opera nostra. πάντα μία κόνις. Hoc tantùm dico
laborasse eos in loco valde corrupto, quem Græci nobis conseruarunt. namque ex
Βασιλικῶν libris duobus in locis sub eodem titulo, Græcos ita legisse constat. Post do-
tem datam & nuptias contractas stipulatus est pater sine voluntate filiæ diuortio facto
dotem dari. Perperam igitur stipulatus est: & tamen si filia post diuortium decesserit,
conualescit stipulatio. At si viua filia agat pater ex stipulatu, summouebitur exceptio-
E ne, si non stipulatus est sine voluntate filiæ.argu.l.si procurator meus.§.1.D.de procur.

*Quemadmodum conciliãda sit l.si quis officium. D.de rit.nupt. cum
l.1.C.si rector pro.vel ad eum pertin.sponsalia ded.* CAP. XXII.

PRAESES prouinciæ ex eadem prouincia vxorem ducere nõ potest,
sponsalia contrahere non prohibetur. Quod si per sponsam stet quo-
minus post depositam administrationem nuptiæ fiãt, quæstionis est, an
F arrarum datarum nomine in quadruplum vel in duplum sponsa te-
neatur. Fuit olim pœna quadrupli.l.1.C.Theod. si rector prou.vel ad
eum pert.l.1.C.Theod.si nupt.ex rescr.pet.l.6.C.Theod.de spons. &
ante nupt. donat.Hodie constituta est dupli l.vlt.C.de sponsal. & arris sponsal. Sunt &
certi quidam casus, quibus simplum tantummodo redditur, vt si sponsa minor XXV.
annis nondum impetrata venia ætatis arras acceperit, nec perdiderit. Item si non per
sponsam stet, sed per legem aliquam aut Constitutionem, quæ nuptias prohibeat. Item
si sponsa iustam aliquam recusationis nuptiarum causam habeat.d.l.vltim.Item in pro-
G posita specie si quis in ea prouincia, in qua administrabat, sponsalia contraxerit & ar-
ras dederit, licebit sponsæ post depositam administrationem impune nuptias recusa-
re, simplis tantummodo arris, quas accepit, sponso redditis. & ita Paulus scribit in l.si
quis officium. D.de rit.nupt. Contra Impp.constituerunt in l.1.C.si rector prouinc.
vel ad eum pert.spons.ded.ne arras quidem inuitam sponsam quas acceperit redditu-
ram. Hæc ne videantur contraria esse, non efficient Latinorum interpretationes. Pri-
mùm

mùm enim quod dicunt in constitutione durante administratione sponsam recusasse A nuptias, vt commenticium, & nugatorium est: frustra enim durante administratione recuso quas contrahere nec si velim possum, sicut frustra repudio hereditatem, quam adire non possum. Dicendum igitur & in constitutione post administrationem recusari nuptias, quo tempore mutuo consensu perfici iure potuissent. l. eos qui. D. de rit. nupt. ideoq; dubitari, an mulier incidat in pœnam legitimam. Deinde quod aiunt in Constitutione præsidem prouinciæ sponsalia ab inuitis extorsisse, non etiam in ea specie quam Paulus tractat, æquè falsum & vitiosum est. Mutauit enim mulier voluntatem, vt constitutio ait. Inuita igitur non contraxit sponsalia. denique, nisi specialiter B dicatur, vis, metus, impresio nulla vsquam affingenda est. Equidem si præstat magis probabiliter comminisci aliquid, quàm id quod verum est fateri, Constitutionem in ea re ius vetus abrogare, sequi malo Cyrilli Græci interpretis traditionem qui notat Constitutionem loqui de præside prouinciæ, de præsidis filiis, nepotibus, propinquis, domesticis, quibus tamen ipse præses in constituendis sponsalibus operam nauauerit. Item de participibus præsidis, quos rectè Tribon. interpretatus est consiliarios, id est, adsessores. quædam enim præsidis pars videtur adsessor. l. omnis. C. Theod. de his quæ adm. vel offic. pub. ger. trad. sunt. sententiam autem Pauli loqui de his, qui officium in C prouincia administrant, id est, de officialibus, qui vt præsidibus longe inferiores sunt, ita eorum quoque facta leuiora iudicantur. Ad præsides etiam ipsi pasim officium in prouincia administrare dicuntur. & rectè Harmenopulus officium interpretatur ὑπεργείαν τινὰ καὶ ἀρχήν.

Explicatio l. Bæbius. D. de pac. dot. CAP. XXIII.

QVA ratione vulgare pactum dicitur in l. pactum. C. de pig. act. eadem D opinor dici in l. Bæbius. D. de pact. dot. quod scilicet in danda dote filiæ nomine hæc vulgo soleret adiici pactio, *Si in matrimonio filia sine liberis decesserit.* de hac enim pactione intelligendam esse legem Bæbius, explicata eius specie liquidò constabit. Marcellus Marullo filiæ nomine dotem promisit, ea tamen ege, vt ne eam Marullus constante matrimonio peteret: Cuius pacti hic est sensus, vt ne Marullus à Marcello petat. Est igitur in personam non in rem. nam si in rem tale pactum accipiatur, contra dotem & inutile est. Siue igitur dixerit ne petatur se viuo, siue ne petatur constante matrimonio, E personale pactum est: sed etsi hæc duo coniunxerit, Ne se viuo, ne've constante matrimonio, non dicemus posteriorem partem priore vberiorem esse, quinimmò vberior est prior pars quàm posterior. l. cùm pater. D. de pact. dotal. nam viuo se etiam soluto matrimonio peti non potest: Se tamen mortuo, etiam constante matrimonio ab heredibus peti potest. Igitur pactus est Marcellus ne se viuo constante matrimonio petatur, ideoq; mox adiecit se mortuo fortè adhuc manente matrimonio petita dote, vt si postea mortua esset filia in matrimonio sine liberis partem retineret Marullus, partem Marcelli filio restitueret. Et hæc ita fieri stipulati sunt. Decesit porrò Marcellus con- F stante matrimonio filio instituto & filiæ per fideicommissum relicta vniuersa dote. Potuit Marullus à filio Marcelli statim dotem exigere. l. ob res. §. vlt. D. eod. tit. nõ tamen exegit. Interim verò solutum est matrimonium, non quidem morte filiæ, sed diuortio. Non est igitur Marullo integrum dotem petere & fideicommisi petitio ex paterno testamẽto mulieri competit. At finge mulierem decesisse, & ex eo matrimonio susceptam filiam vnà cum fratre ex æquo heredem scripsisse, & hac coniectura Marullum solidam dotem à Marcelli filio petere, quod totam dotem existentibus liberis videatur voluisse Marcellus dari, qui liberis non existentibus partem dari cauisset. l. inter. G §. cùm inter. D. eod. tit. De ea re, vt de aliis solet, contestata lis est apud prætorem. Petit verò vniuersam dotem Marullus ex stipulatu, id est, ex pacto stipulatione confirmato, non quidem expresso, sed tacito. Heres Marcelli exceptionem opponit ex illa vulgari eiusdem pacti clausula, *Si in matrimonio sine liberis decesserit*, quæ non continet casum diuortij. Denique in casu mortis, id est in vulgari casu admittit argumen-

tum

A tum taciti pacti, quo Marullus nititur, non in casu diuortij. In hac autem specie, diuortio facto, non morte filiæ solutum est matrimonium. Itaque Marullus neque post diuortium ab vxore dotem petet, neque ea mortua ab herede eius: quia nec ipsa dotem promisit, nec promissori succesit. Sed neque superiori argumento fretus ea viua vel mortua dotem petet ab vxoris fratre quasi herede soceri, id est, promissoris. Quia tamen vxor filiam ex eo matrimonio susceptam vnà cum fratre ex æquis partibus heredem scripsit, vxori autem ex paterno testamento iure fideicommisi vniuersa dos debetur, Marullus quasi heres vxoris per filiam dimidiam partem dotis petet ex B causa fideicōmissi. Fideicommissum in ea lege vocat Tryphoninus, quod antè prælegatū appellauerat. Notum enim est in libris nostris legati appellatione sæpissime fideicōmissum significari, fideicōmissi verò legatum numquam. Quòd si legati, & prælegati nomine fideicommissum significabitur. Ideo autem prælegatum appellauit, vt in Basilico Stephanus notat: quod sit ei quodammodo sua res legata. Est enim dos proprium patrimonium filiæ: eademq; ratione peculium seruo vel filio prælegari dicitur. l. 1. §. si seruus. D. de except. rei vend. l. 10. l. vlt. D. de pec. leg. l. 3. §. cùm igitur. D. de statul. & obligatio debitori. l. non solùm. §. penult. D. de lib. leg. Prælegare igitur est alteri C rem iam quodammodo suam legare.

Explicatio l. filiusfamil. D. si tab. testam. nullæ ext. & l. filijs. C. de inoffic. test. CAP. XXIIII.

Filiusfamiliàs à Titio institutus est, qui & quasi proximus cognatus subducto patre vel omittente succesionem ab intestato ei succedere potuit. Institutus autem est sub condicione emancipationis, quæ condicio in eius potestate non est, nec cogitur eam pater implere. D Igitur propter hanc condicionem ex testamēto filiusfamilias cognato cum effectu succedere nō potest: quo fit, vt si patre consentiente, id est, repudiāte succesionem intestati, ab intestato quasi proximus cognatus bonorū possessionem agnoscat, propter legatorum causam rectè Papinianus responderit eum in edictum non incidere. l. si filiusfamilias. D. si tab. test. nullæ ext. l. Macer. §. 1. D. si quis omiss. causa test. nam & si potuerit pendente condicione bon. poss. sec. tab. amplecti, futura tamen hæc erat sine re propter condicionem non impletam. In edictum verò is demum incidit, qui rem, quam habere potuit, omisit. Ergo agnita bon. possessione E ab intestato non timebit edictum pater, cui omne possessionis emolumentum adquiritur. Verùm hæc ita non procederent, si filiofam. cognatus substitutum dedisset, vt Græci rectè notant lib. 45. Βασιλικῶν, tit. 1. vel si adiectum coheredem habuisset. nam & à coherede sustineretur testamentum, & hæc est species. l. filiis. C. de inoffic. testam. quod ex mentione in ea facta inofficiosi querelæ perspicuè apparet. Nec enim de danda querela inofficiosi aliter quæritur, quàm si ab aliquo ex testamento adita sit hereditas. Ergo his duobus casibus ab intestato filiusfam. non veniet, sed neq; ex testamento, nisi condicio emancipationis impleatur. Petita autem interim à filio vel à patre, filij F nomine bonorum possess. sec. tab. erit sine re. namque condicione non impleta rem coheredi restituet pater. Interpretes neutro in loco hæc viderunt. Memini verò, nec vmquam obliuiscar Petr. Fabrum, priusquàm ex studiis iuris, in quibus cōmuniter versabamur, ad Senatoriam dignitatem, quam nunc summa cum laude sustinet, ascendisset, inter cetera, quæ mecum sæpe disputando ex eius ore probitatis plenissimo dicta prodibant, id quoq; me de sententia l. filiusfa. & l. filiis excepisse, quod ante proposui, quo neque dici elegantius, neque inueniri acutius quicquam potest. Quid autem sit bonorum possesio cum re vel sine re, in tit. quib. modis testam. infirm. exposuimus G lib. 2. Institutionum.

Quid sit hyperocha in l. quærebatur. D. qui pot. in pig. hab. CAP. XXV.

Nondvm fortasse quisquā adnotauit in l. quærebatur. D. qui pot. in pig. hab. Pandectarum Florentinarum auxilio pulcherrimè restitutam vocem, Hyperocha, pro qua antea perperam legebatur, Hypotheca. Est verò digna res, cuius studiosi admoneantur, vt vel hoc exemplo commoti vulgatas

tas receptasque lectiones non vtique semper tueantur nimis. Proponitur eo in loco A
quidam duobus creditoribus non quidem eundem fundum, sed priori fundum, posteriori ὑπεροχὴν eiusdem fundi pignori obligasse: & id esse hyperocham manifesto indicatur, quod plus est in pretio fundi, quàm in prioris credito, vt si prior crediderit LX. fundus autem sit LXXX. fundi hyperocha est XX. & hæc posteriori obligata est. Obligatio quidem pignoris & obligatum pignus dicitur. Hypotheca pignoris, non item. Itaque contra consuetudinem loquendi antea legebatur, *hypotheca pignoris.* Gaudendum verò est quòd hanc vocem Pandect. Florentinæ integram retinuerint, cui parem Latinam qua idem propriè demõstretur vix inuenias, nisi forte superfluum B
dixeris, vt in l. fœnerator. D. de naut. fœn. Galli dicunt, *plus value.*

Mercedis, quæ in locatione & conductione interuenit, appellationes variæ. CAP. XXVI.

NON tantùm in emptione & venditione, verùm etiam in locatione & conductione interuenit pretium. Arra autem in emptione tantùm interuenit, non in locatione. Vt autem pretium ita & arram C
emptor dat, non venditor: & in sponsalibus sponsus non sponsa. Fallitur enim Accursius in l. vlt. §. penult. C. de sponsalib. & arr. qui & ab sponsa arram dari putat. In locatione autem & conductione modò pretium dat locator, modò conductor, vt ostendimus Obseruat. lib. 2. cap. 28. Pretium dicitur in l. si quis ante. D. de adquir. possess. l. vlt. §. vlt. D. de lege Rod. Et in tit. locati sæpissimè, quod aliàs merces, aliàs pensio, aliàs reditus siue redactus. At de prædiis tantùm pensio, dicitur reditus vel redactus. Pretium & merces etiam de operis. Græci proprio nomine mercedem habitationis ἐνοίκιον appellant, mercedem operæ μισθόν. D
Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. τῷ μὲν ναυκλήρῳ δοθείσης λέγεσθαι ναῦλον: τῷ δὲ τελώνῃ τέλος: καὶ ἐνοίκιον μὲν, τῷ σταθμούχῳ: μισθὸν δὲ τῷ διδασκάλῳ: καὶ τῷ πιπράσκοντι, ἀῤῥαβῶνα. Sed & στεγονόμιον mercedem habitationis, quæ ab inquilino datur, appellat Iustinianus in Nou. XLIII. & LXXXVIII. & CXX. & Harmenopulus lib. 3. ἐπιτομῶν, tit. 8. Priorem illam vocem, ἐνοίκιον, in Theophrasto & Plutarcho in eadem significatione obseruauit Pet. Victorius Var. lect. lib. 16. cap. XI.

Quid sint Poliptici in Constitutionibus quibusdam Cod. Theodosiani explicatur, & Vegetij locus emendatur. CAP. XXVII. E

POLIPTICI non sunt chirographa vel apochæ, vt malè Alciatus tradit παρέργων libro 3. sed rationes siue ἀποσημειωμένα publica. l. 2. C. Theod. de discuss. l. 13. C. Theod. de ind. deb. & ideo in l. 2. C. de discuss. ratiociniis publicis, id est, polipticis. Sic plerumque solet scribi, quamquam si origo spectetur scribendum sit polyptychis. Id namq; ex eo tractum est nomen, quòd eæ chartæ publicæ πολλὰς ἀνακλάσεις F
οἷον πτύχας habeant, qua forma & dyptycha dicuntur in l. 1. C. Theod. de exp. iud. & in actione XIIII. Chalced. concilij & in quintæ synodi Act. IIII. Sudas, διπτύχια· δύο περιβόλαια ἔχοντα, ὡς τὸ μὲν ὑπεστρῶσθαι, τὸ δὲ ἕτερον ἐπιβεβλῆσθαι. Adnotari verò in polipticis omnia quæ ad rationes publicas spectãt, Vegetius indicat his verbis lib. II. Totius legionis ratio siue obsequiorum, siue militarium numerorũ, siue pecuniæ quotidie adscribitur actis maiore prope diligentia quàm res annonaria vel ciuilis polipticis annotatur. Vulgò legitur male, *politicis libris annotatur.* Sed cùm ab exẽplaribus G
manuscriptis animaduertissem abesse vocem illam, *libris,* statim iudicaui emendandam esse, polipticis annotatur. Sic Casiod. lib. 5. Var. Vt omnibus à te sollicita atque æquabili indagatione compertis poliptici iubeantur adscribi. Et alio in loco, Dehinc non polipticis publicis, vt moris est, sed arbitrio compulsorum suggeruntur prouincialium subiacere fortunæ.

Prolata

A *Prolatæ Iustiniani & Iustini Constitutiones quædam de condicione eorum, qui ex adscripticio & libera muliere nascuntur.*
CAP. XXVIII.

IVRE antiquo ex adſcripticio & libera adſcripticius, conſtitutione autem Iuſtiniani liber naſcitur.l.vlt. C.de agric.& cenſ.quod idem Iuſtinianus ſe de eo intelligere, qui natus poſt eam conſtitutionem fuiſſet, expoſuit in Nou. LIIII. In his qui iam nati eſſent, ius antiquum
B ſeruari. Ea verò Nou.edita fuit Imperij Iuſtiniani anno XI. quam anno XIII. nempe Apione Conſule conſecuta eſt alia eadem de re, qua declaratur ex adſcripticio & libera, liberum quidem, ſed tamen & colonum naſci. Hæc in poſtrema editione Nouellarũ quam Henricus Scrimgerus vir doctiſsimus, hoc anno procurauit, qua re equidem pro mea parte ei multum me debere confiteor, vltimo, in aliis editionibus aliis loco poſita eſt. Sed his id nunc additum velim anno ſequenti id eſt anno XIIII. nempe Iuſtino Conſule more ſuo mutata ſententia Iuſtinianum ad ius antiquum rediiſſe. Et hac de re Latinam Iuſtiniani Conſtitutionem
C apud me habeo ad Dominicum præf.præt.Illyrici, (ad quem illa quoq; poſterior Nouella) ſcriptam: quam vt non obtinuiſſe exiſtimem hæc, cuius verba ſubiiciam, Iuſtini Conſtitutio facit, qua is quaſi in Illyrico adhuc obtinente Nouella Iuſtiniani conſcripta anno XIII. idem vt in Africa obſeruetur conſtituit. Verba Conſtitutionis hæc ſunt:

IMP. CAES. FL. IVSTINVS fidelis in Chriſto, manſuetus, maximus benefactor, Alamannicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Wuandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, Theodoro.

D *Die noctuq; pro vtilitate Reipublicæ ſubtiliter cogitãtes, illa properamus renouare quæ in locis oportunis ſunt neceſſaria, & maxime pro tributis atq; reditibus, ſine quibus impoßibile eſt aliquid agere proſperũ. Suggeßit autem tua magnitudo maximã partem poſſeſſorum Africanæ prouinciæ precibus ſuis intimare deſolatos agros remanſiſſe, cùm diuina lex promulgata fuiſſet, conſtituens creatos ex libera matre & adſcripticio marito liberos eſſe, quod contrariũ eſt legibus antiquis: cùm illæ manifeſtè decreuerunt talem ſobolem adſcripticiam eſſe. ex hac enim licentia filij adſcripticiorũ prædia, in quibus nati ſunt,*
E *dimittentes, & in alijs habitantes locis, tam fiſcum quàm dominos prædiorum minuere. & hæc dicentes ſupplicauerunt corrigere hoc capitulum apud illam prouinciam, ſicut & pater noſter prædictæ legiſlator in Illyricianam prouinciam fecit, conſtituens filios, qui naſcuntur ex libera matre atq; adſcripticio patre, liberos eſſe cũ ſuis rebus: ſed tamen colonos, vt non liceat terrulas vbi nati ſunt, relinquere, & alienas colere. His igitur noſtræ ſerenitati ſuggeſtione tua relatis neceſſarium eſſe perſpeximus poſſeſſores ſubiectos noſtros atq; functiones publicas adiuuare. Vnde ſancimus in Africana prouincia filios ex libera matre & adſcripticio patre productos liberos quidem eſſe, & res proprias habere, in*
F *ordine tamen colonorum eſſe, & non poſſe eos prædia dimittere, in quibus nati ſunt, & excolere aliena ſed vicos ipſos, in quibus orti ſunt, cum libertate colere. ſic etenim nec fiſcus, nec poſſeſſor læditur, neque prædicti minuuntur, terras vbi nati ſunt excolentes, Theodore parens cariſsime atque amantiſsime. Quæ igitur per hanc diuinam pragmaticam ſanctionem noſtra ſanxit æternitas, tam tua magnitudo, quàm qui poſt te eandem adminiſtrationem adepti fuerint, vnà cum officio ſuo effectui mancipare, obſeruareq; procurent.*

DAT. KAL. MART. CONSTP. IMP. D. N. PP. AVG. IVSTINI. ANNO V. INDICTIONE TERTIA.

G Appoſuiſſem & vltimæ Iuſtiniani conſtitutionis verba, qua ius antiquum reſtituit, ſi proinde atq; huius integra ea & incorrupta habuiſſem. Verum eius eſt ſententia manifeſta, verba ſunt mirum immodum corrupta. Annorum autem ſuperius ita rationem ſubduxi, vt Beliſarij Conſulatum facerem Imperij Iuſtiniani annum IX. ac conſequenter annum ſecundum poſt Beliſarij Conſulatum, Imperij XI. facio, Iuſtiniano auctore in Nou. XLVII. Sequitur Ioannis Conſulatus. Perperam enim in Nou. LVII. legitur poſt Biliſ. v. c. Conſ. anno III. ac conſimili etiam errore poſt Lampadij & Oreſtis

Consulatum huius ætatis scriptores quidam tertium annum inuehere conati sunt: A Ioannis autem Consulatum annum XII. facio, proximum Apionis, qui corruptè in Nouellis dicitur Arion, annum XIII. Iustini XIIII. Basilij XV. Post Consulatũ Basilij annum VI. Imperij XXI. post eundem Consulatum annum XI. Imperij XXVI. annum XIII. XXVIII. nam & post eum Consulatum decimusoctauis Imperij est XXXIII. & ad hunc modum censeo restituendas esse omnes subscriptiones Nouellarum, quæ tam variè annorum rationem descriptam habent, vt vel eo subscriptionum earum auctoritati & fidei derogetur satis. Id modò animaduertendum est annos Imperij Iustiniani incipere à Kal. April. vt idem ipse testatur in No. XLVII. quamobrem sub Ioan- B nis Consulatu ante Kal. April. Imperij annus est XI. vt scriptum est rectè in No. LXIII. Item in No. LXVI. quæ data est Kal. Mar. Sic legendũ, non Maij. Eodem Consule post Kal. Apr. numeratur Imperij annus XII. Similiter sub Apione ante Kal. April. Imperij annus est XII. (sic legendum in Nou. LXXVIII. & LXXIX. vt in No. LXXX. in qua tamen pro Maij reponendum Mar.) Post eas verò Kal. Imperij XIII. computatur. Item post Basilij Cons. annus XVIII. rectè dicitur Imperij XXXII. ante Kal. April. post eas verò Imperij est XXXIII.

C

Explicatur l. nostris. C. de calumniat. CAP. XXIX.

VI SVO nomine omisso, alieno subscripto accusationem instituit, Imperatores aiunt eum delatorum numero esse in l. nostris. C. de calumniatorib. id est, calumniatorum. Herodianus, συκοφάνται καὶ οἱ γινόμενοι τινῶν κατήγοροι ἀνῃροῦντο. quod sic Iulius Capitolinus interpretatus est, Interfecti omnes delatores, omnes accusatores. Ideo autem D & illi in sycophantarum siue delatorum numero reponuntur, quòd quibus suo nomine vti licet, nec tamen suum adscribunt, sed alieno abutuntur, planè hoc faciunt sperantes suam obtentu alieni nominis impunitam calumniam fore: quod iis verbis Apuleius indicat in Apologia I. Dat, inquit, libellum nomine priuigni mei Sicinij Pudentis admodum pueri, & adscribit se ei assistere, nouo more per alium lacessendi, scilicet vt obtentu eius ætatulæ ipse insimulationis falsæ non plecteretur, quod cùm solertissimè animaduertisses, & idcirco eum denuo iussisses proprio nomine accusationem delatam sustinere, &c. Id verò cùm proposuissent Imperatores E in dicta l. nostris, subinferunt, *Atque ideo calumniosissimum caput & personam iudicio irritæ delationis infamiæ supplicium sequatur.* Calumniosissimum caput vocant eum de quo fuerant consulti à Menandro vic. Asiæ ob alieno nomine institutam accusationem: eodem modo quo & Græci ψιλὴν κεφαλὴν & μιαρὰν κεφαλὴν dicunt. & Iustinus lib. XVIII. Ausus'ne es nefandissimum caput. Iudicium autem calumniæ, Iudicium irritæ delationis vocant.

Quid sit ἐπιβολή. CAP. XXX. F

EX Constantino Harmenopulo cognoscimus ἐπιβολὴν esse ἐπίδοσιν ἀπόρου κτήσεως πρὸς κληρονόμους, ἢ συντελεστάς, ἢ ὁμοχώρους, καὶ ὁμοσκήνους. quod Latinus interpres ad eam adiudicationem, quæ in iudiciis duplicibus fieri solet officio Iudicis referendum existimauit malè. Constat enim ex Nou. περὶ τῆς τῶν δημοσίων ἀνύσεως, tunc possessionis ἐπιβολὴν fieri, cùm ea sterilis & à domino deserta ac destituta est, & G ob id in alium transfertur, ne quid publico depereat. Verùm non omnes hanc possessionis desertæ ἐπιβολὴν suscipere coguntur, sed hi dumtaxat, qui consortes sunt, id est, qui eiusdem substantiæ possident bona. l. hac definitione. C. de omni agr. des. Et ideo rectè Iulianus antecessor sic eius Nouellæ sententiam exprimere orsus est, Si quis possessor desertum agrum eiusdem substantiæ coactus fuerit suscipere, &c. Itaque ἐπιβολὴν suscipere dicam συγκληρονόμους & συντελεστὰς siue ὁμοτελεῖς, qui

sub

A ſub eodem titulo vectigal pendunt & ὁμοχώρους qui communia prædia habent & ὁμοκήνσους. ſic apud Conſta ntinum lego, non ὁμοσκήνους. ex ſupradicta Nouella Iuſtiniani. Extranei autem ἐπιβολὴν ſiue ἐπιβαλλομένην κτῆσιν ſuſcipere non coguntur, niſi fortè quis alienos colonos, vel capite cenſitos vel adſcripticios mala fide ſuſceptos reddere noluerit. Tunc enim ob eorum abſentiam deſertæ poſſeſsionis & τῶν ἀπόρων ei irrogatur ἐπιβολή. No. XVII.

B *Monſtratur error creatus ex notis in l. 8. D. qui & à quib. manu. lib. non fiant.* CAP. XXXI.

MVLTOS errores in libros iuris ciuilis attulit vetus per notas ſcribendi ratio, ex quibus nos iam in ſuperioribus obſeruationibus reliquisq; commentariis multos patefecimus, meminiſſe potiſsimum illius iuuat, qui à me indicatus eſt lib. Inſtitutionum 1. tit. qui & quib. ex cau. manum. non poſſ. vbi ex his notis (S. C.) factum eſſe oſtendimus, vt
C quo in loco legendum eſt, *Sententiam Conſtitutionis*, nūc perperam in omnibus libris ſit ſcriptum, *Senatus Conſultum*. Hoc non inferiorem nunc errorem demonſtraturus ſum, qui ex his ortus eſt notis (F. C.) quibus Valerius Probus auctor eſt & *Fideicommiſſum* & hæc verba, *Fraudandi creditoris* (ſic legendū apud Probum) vel *Fraudandorum creditorum* ſignificari. Erroris locus eſt in l. 8. D. qui & à quib. man. lib. non fiant. *Cùm*, inquit, *is, qui ſub condicione debet, manumittat fideicommiſsi cauſa, lex Aelia Sentia locum habet.* legendum autem eſt non *fideicommiſsi*, ſed, *fraudandorum creditorum cauſa.* Ad hanc enim cauſam pertinet lex Ælia Sentia. Et ſic
D quoq; noſtri auctores loqui ſolent. l. ſi cùm fideic. §. ne quis. D. eod. l. 3. l. ait prætor. §. 1. D. quę in fraud. cred. l. ſi is qui ſoluendo. 1. D. de her. inſt. Sic itē legitur in Baſilico & in τῷ περὶ πόδας. Sententia quoq; aperta eſt, in lege Ælia Sentia creditores intelligi eos etiam quibus ſub condicione debetur, ideoq; in eorum fraudem datam libertatē ipſo iure nullam eſſe, vt & traditur in l. 27. D. qui & à quib. manum. Cui igitur ſtatim hoc vel maxime non probabitur? Vulgata ſcriptura aut nullum omnino ſenſum habet, aut ſi quem Acc. vel alius quiſquam commentus eſt, ſolo is videtur ſilentio & contemptu dignus: ita aut ineptus aut veſanus eſt.

E

Quid ſit μονομερῶς in l. vltim. D. ad S. C. Trebellianum.
CAP. XXXII.

DVAE ſunt agendi formæ, vtraque parte præſente, quod eſt cognitionaliter ſiue κατὰ διάγνωσιν in No. περὶ τῶν εἰσιόντων τὴν ἔκκλητον ῥέων: & in l. vltim. §. illud. C. de temp. appell. l. 4. C. de accuſat. l. vltim. C. de legib. l. 3. C. de quæſtionib. Et vna tantùm parte præſente, quod eſt
F μονομερῶς ſiue κατὰ μίαν μοῖραν in ſupradicta No. & in No. LIII. & XC. vbi & teſtium productiones quæ fiunt abſente altera parte μονομερεῖς appellantur. Illud verò conſtat receptum iure ſingulari, vt cauſa appellationis agi & introduci poſsit μονομερῶς. d. §. illud. cùm ceteras omnes introduci oporteat cognitionaliter: & ideo Phœbus, qui à ſententia Proconſulis Achaiæ ad principem appellauerat in ſpecie l. vltim. D. ad Trebell. rectè egit μονομερῶς, id eſt, Polycrate aduerſario abſente. Qui interpretantur, ſine exceptione aut replicatione & quaſi peremptoriè, quid eo in loco eſſet μονομερῶς intellexiſſe non videntur. Alio ſenſu μονομερὴς
G condictio dicitur in l. ſi duo. §. idem Iulianus. D. de iureiurando: nec tamen eo quo à Curio Fortunatiano, Sulpitio Victore & aliis rhetoribus μονομερὴς cauſa dicitur, ſed quod ex hac ſolùm parte reo condicatur, qua furis heres eſt, non & ex illa, Qua & fur eſt ipſe, remque dolo malo contrectauit. Cùm enim ita dixiſſet Vlpianus, *& quaſi μονομερὴς condictio dari debet aduerſus furis heredem*, adiicit hæc verba, *nec pati eum iudex debet, ſi cœperit temptare probare furem*, non alia de cauſa quàm vt

cur dixisset quasi μονομερῆ condictionem furtiuam dari, nobis explicaret, quod & vetus interpres ita excepit rectè. A

In titul. Vt in possess. legat. menda quædam animaduersa.
CAP. XXXIII.

IN l. 1. §. ei cui legatum. D. vt in possess. leg. Sic lego, *Si cui legatum est*: ablato verbo, *solutum*. De soluto enim legato numquam satisdationem legatarius exigit. & idem planè est rescriptum illud D. Pij, quod in eo §. proponitur, cum eo, de quo in l. hæc stipulatio. §. vltim. vt leg. no. cau. quod ad fideicommissa siue legata indebita necdum soluta, quorum nomine cautio exigitur, pertinere constat. Malè etiam Flor. *Et cui*, cum sit legendum. *Si cui*: & est similis in omnibus Codicibus error in l. heredis. §. vltim. D. quan. dies leg. in illo loco, *Vel ei cui seruus*. In eod. titul. l. is cui. §. quæri, sic lego, *Vt festinetur ad satisfactionem*. vulgò male legitur, *ad sententiam*. Agitur enim de rescripto D. Antonini, quo legatarii post sex menses, quàm petere cœperint, in res proprias heredis inducuntur, inde fructus percepturi, non quoad sententia vlla feratur, sed quoad satisfiat. In eadem lege. §. satisfactionis. cum antea legeretur, *possessionum*, primus omnium rectissimè Franc. Zoannetus Doctor Ingolstadiensis in lib. Rest. ad Pandect. emendauit, *sessionum*. quam animaduersionem alij postea propriis lapsi iam & defecti sibi vindicarunt. B C

De contributione legatorum à pupillo ex asse instituto & à substituto relictorum. CAP. XXXIIII. D

ID VVLGO probatum esse traditur in l. in ratione. §. quod vulgo. & §. si filio. D. ad leg. Falcid. vt & si non patris, sed pupilli hereditas versetur in secundis tabulis, adeoque substitutus debeat legata à pupillo relicta, non ex sua persona, vt de substituto vulgari à D. Seuero constitutum est, sed ex persona pupilli, qui ea iam debere cœpit, priusquam è vita discederet, tamen habita ratione hereditatis paternæ non pupillaris, legata primarum & secundarum tabularum contribuantur, commisceantur, confundantur, communi calculo subiiciantur, & ex eis vna Falcidia detrahatur perinde atque si substitutus, in primis tabulis sub alia condicione heres scriptus, & ab eo in eisdem sub alia condicione relicta legata fuissent. Omnia enim ea quæ in secundis tab. scripta sunt, in hac causa ad rationem primarum tabularum reducuntur. d. §. si filio. Id, inquam, vulgo iam conuenit, vt ait l. 1. D. si cui plus quàm per leg. Falcid. quia & pro vno id testamento haberi conuenit. Proculiani contra sentiebant. Sed obtinuit Cassianorum schola. Et quidem spectari hereditatem patris non pupilli etiam probat l. in duplicibus. D. eod. & l. si filius qui patri. D. de vulg. substitut. Secundùm quod euenit, vt si pupilli hereditas non sufficiat legatis, cùm patris suffecisset, substitutus Falcidiam non retineat. Exempli gratia, Pater habet CCCC. in bonis, à pupillo C. à substituto CC. legat, perierunt ex hereditate C. Patris hereditas sufficiebat legatis, Pupilli non sufficit salua Falcidia. quid fiet? Non vtetur Falcidia is, qui substitutus est, sed solida CCC. dabit. proinde de suo quadrante dabit, quem scilicet suo iure alioquin retinuisset, quoniam patris facultates sufficiebant legatis, quarum rationem haberi oportet non impuberis. Eo quod acceperit amplius, id est, de suo vel de propriis bonis heres numquam soluit legata. l. 1. §. Marcellus. D. si cui plus quàm per leg. Falcid. nisi non facto repertorio ex Nou. Iustiniani. At de suo quadrante explet sæpe legata, cessante nimirum Falcidia. Itaque malè docent quidam in §. quod vulgo. hæc verba, *Quadrante nimirum*, suppositicia videri. Ea namque si tollas, quod relinquitur falsum est. In ea igitur specie de suo quadrante substitutus dabit. Atquin E F G

hoc

A hoc est vltra vires hereditatis, quæ æstimari solent deducta Falcidia. qui igitur non retinet Falcidiam, præstat vltra vires. Immò non est hoc supra vires hereditatis, si paternam hereditatem spectas, ex qua omnia relicta videntur perinde atq; si essent in primis tabulis scripta. Eadem ratione interdum euenit, vt si patris hereditas non sufficiebat, pupilli sufficiat, substitutus longè plus habeat quarta paternæ hereditatis: vt in hac specie, Pater habet CCCC. in bonis, à pupillo CC. à substituto CC. legat, creuit hereditas in CC. Itaque DC. ad substitutum peruenerunt. Si spectatur hereditas pupilli, Falcidia cessat. Sed quia opes patris spectari placet, quæ idoneæ non erant
B soluendis legatis, substitutus detrahet legatariis C. atque ita habebit CCC. quæ summa longe superat quartam paternæ hereditatis. Et hæc est sententia §. quod vulgò. in quo male quidam ex duabus particulis *vel vt*, vnam fecerunt, quod & Accursius tentauerat.

De non contribuendis partibus coheredum, earumq; partium legatis.

CAP. XXXV.

C QVI coheredes sunt, aut ex institutione coheredes sunt, aut ex substitutione: in singulis institutis vulgo probatum est Falcidiam separatim poni. l. in singulis. D. ad leg. Falcid. quod & tunc procedit, cùm ex duobus institutis vnus in alterius locum & partem venit ex substitutione vulgari, vel pupillari, vel accrescēdi iure, si adeuntis vel superstitis portio fuerit onerata vel exhausta, non item si onerata tantùm fuerit deficientis portio. l. 1. §. id quod ex substitutione. l. qui fundum. §. qui filium. §. coheres. l. quòd si alterutro. l. in ratione. §. quæsitum. D. eod. Rectè enim interpretes, Si, inquiūt,
D onerata portio accedat, non oneratæ non augentur legata, id est, legatorum & portionum ratio separatur. Sin verò non onerata accedat, oneratæ augentur legata, id est, legatorum & portionum ratio confunditur. Sed §. id quod ex substitutione, obstat l. qui fundum. §. qui filium. D. eod. tit. in quo Iulianus coheredem qui ex substitutione vulgari nactus est, portionem oneratam solidis legatis obligat: nisi in ea Iuliani specie subintelligamus generalem repetitionem legatorum, quæ vulgo in testamentis adscribi solebat: & verò necesse est, vt eam fuisse adscriptam intelligamus. alioquin coheres partis ex substitutione vulgari adquisitæ legata non deberet, secundùm Iulia-
E ni disciplinam, cuius ætate nondum exierat rescriptum Diuorum Seueri & Antonini de repetitione legatorum, vt ostendimus in fragmentis Vlp. tit. 18. Rursus l. quod si alterutro. opponi solet l. 1. §. si coheredis. D. eod. tit. Sed cùm dicat, *Sed &*, quibus verbis Proculianorum sententiam quam & ex Cassianis Iulianus probauerat, deficientis portione ab eo qui adiit cum onere iure accrescendi vindicata, & decreto D. Antonini confirmare Vlpianum voluisse plus quàm manifestum est, ideo firmissimè asseuero eo in loco negationem deesse, ac sic legendum, *Sed & Diuus Antoninus iudicasse dicitur non commiscendas:* Est & alius næuus in hac quæstione in l. qui
F fundum. §. coheres. quo in loco legitur, *& semis*, quem nos sustulimus in commentario ad l. sequitur. D. de vsurpation. & vsucap. Verùm quemadmodum, vt initio proposuimus, in singulis institutis separatim ponitur Falcidia, ita & in singulis pupillo substitutis habita ratione non totius patrimonij, sed partium. In hac enim parte substituti comparantur institutis & rediguntur omnia ad rationem primarum tabularum, ex quibus etiam facultates patris & legatorū in vtrisque tabulis relictorum origo & causa æstimatur omnis. Itaque vnius substituti parte onerata, vel exhausta, alterius non item, is qui oneratus est, in sua parte proprio nomine veluti institutus, Falcidiam inducit:
G is autem qui oneratus non est, Falcidiam non inducit, nisi quasi substitutus beneficio contributionis, puta si ob legata à pupillo relicta supra dodrantem partis suæ debeat: cuius rei tale sit exemplum, Pater CCCC. habet in bonis, filium impuberem instituit, eique substituit Primum, & Secundum. à filio L. à Primo CLXXX. à Secundo CL. legat, filio decedente intra pubertatem nondum solutis legatis singuli substituti è L. à pupillo legatis debent XXV. ita verò fit, vt Secundus, qui non erat oneratus

vltra dodrantem portionis suæ debeat: & hic quidem in hac specie veluti substitutus. A
Primus verò veluti institutus portionis suæ quartam retinebit. Quòd si pupillus priusquam decederet, à se relicta legata soluerit, atque ideò cautionem exegerit (alioquin tutores substitutis tenerentur.l. 1.§.interdum.l.is cui fideic.l.reperitur.D eod.) vtrique substituto quasi heredi stipulatoris committetur stipulatio, in eam quantitatem quam retinere quisque debet. Porrò LV Primus, XXV Secundus retinere debet: quisque ex omnibus legatis pro rata. & hæc est sententia d.l.in ratione.§.si fi io.cui solet opponi l. 1.§.Marcellus. D.si cui plus quàm per leg.Falcid.eo quod Marcellus substitutum oneratum iubet integra legata præstare: sed hoc ita si dubitetur de lege Falcidia. eo B
namque solo casu integra legata oneratus præstat, in rem cautione interposita, quæ tamen non ei tantùm, sed & coheredi committi poterit, vtpura si existente immenso ære alieno legata omnimodo inutilia reddantur: quia tunc & coheredis interest legata reddi, cùm sit æri alieno obstrictus pro sua parte. Sed causa cognita, id est, inspecto ære alieno, si incertum non fuerit, suæ partis substitutus oneratus proculdubio quartam retinebit, quia exemplo institutorum & in singulis substitutis separatim Falcidiam induci placet.

C

De contribuendis legatis ab instituto, & ab eodem impuberi substituto relictis. CAP. XXXVI.

SI AB instituto & ab eodem impuberi substituto in secundum casum legata relicta sint, ab impubere forsitan nihil, in Falcidia habetur ratio omnium bonorum, quæ ad eum ex institutione & substitutione peruenerunt, non secus ac si primis tabulis ex parte purè, ex parte sub alia condicione heres scriptus fuisset, quo casu nemo dubitat quin partes commisceantur & partium legata.l coheredi.§.coheres.in princ.D.de vulg.substit.Ideoq; institutus,idemq; substitutus à se primis vel secundis tabulis relicta legata solida præstabit, si vel ex primis vel ex secũdis tabulis quadrantem seruare poßit: sin minus, vtetur legis beneficio.nec interest substitutus fuerit pupillo instituto,an pupillo exheredato.nam & à substituto exheredati in primis tabulis scripto legari posse Iulianus scripsit. l.in ratione.§.vlt. D.ad leg. Falcid. l.planè si filium. in princip.D.de legat. 1. Sed si ab eo instituto legatum sit, à substituto nihil, id quod ex substitutione accedit, sanè legatariis non proficiet.l.quod supra. D.ad legem Falcid.vbi (vt hoc obiter admoneam) pro, *In pecuniam legatum*, legendum est certò, *In pecuniam legatam*: & sic quoque, vt supra tradidimus, patris hereditate legatis non idonea,pupilli idonea,legata non augeri placet.

D

E

De non contribuendis legatis à pupillo & pupilli substituto relictis, cum his quæ ab alio quodam coherede pupilli relicta sunt. CAPVT XXXVII.

F

SI ERGO à coherede eodemque substituto pupilli in vtrisque tabulis legatum sit, habetur ratio vtriusq; partis. Non sic fit,vt nunc demonstraturi sumus ex l.cohered.§.coheres.D.de vulg.substit.cùm alius pupillo substitutus, alius coheres adscriptus est. nam legata à pupillo & à pupilli substituto relicta confunduntur, etiam si coheres pupilli bonorum paternorum quadrantem integrum obtineat. Vtrumq; fit eadem ratione, quia & illo & hoc casu substitutus instituto comparatur. In hoc autem casu institutus separatim Falcidiam induceret,etiam quadrante coheredi relicto.Ergo G
& instituti exemplum ac si omnino sub alia condicione in primis tabulis scriptus,substitutus imitabitur: denique coheredis pupilli coheres esse videbitur, licet in iisdem tabulis non sit scriptus. neque hoc nouum est. nam & collegatarij siue coniuncti videntur, quorum vni res in primis tabulis, alteri eadem res in secundis relicta est. & hæc est sententia §. coheres. Eò ferè tendunt omnia, quæ de contributionibus

trad

A traduntur, vt diſcamus ad rationem primarum tabularum conferri omnia & reuocari oportere. Quattuor capitibus hanc quæſtionem concluſimus, vt faciliùs intelligeretur, nihil nos eorum quę in ea obſcuriora creduntur, aut negligenter omiſiſſe, aut fraudulenter diſsimulaſſe.

Ad No. Iuſtiniani ὥστε τὰς ὑποκαταστάσεις μέχρι ἑνὸς βαθμοῦ ἵστασθαι.

CAP. XXXVIII.

B NON aſſentior Alciato, qui in No. Iuſtiniani CLIX. ſic legendum putat, ὥστε τὰς ὑποκαταστάσεις μέχρι γʹ δʹ. βαθμοῦ ἵστασθαι. Primùm enim ſic Græci non loquuntur, μέχρι γʹ δʹ. Sed μέχρι δʹ. Deinde ex eo quod priore loco in ea Nouella conſtituitur, apparet rectè ſcriptum, μέχρι ἑνὸς βαθμοῦ, quandoquidem Iuſtinianus conſtituit, ſi inter filios facta ſit precaria ſubſtitutio, vt non porrigatur vltra filiorum gradum, & licet id poſtea adiiciat: Si teſtator in infinitũ alienationem extra familiam prohibuerit, vt non valeat prohibitio vltra quartum gradum, à priori tamen Nouellæ parte re-
C ctè titulus conceptus eſt in hunc modum, *Vt ſubſtitutiones vſq; ad vnum gradum conſiſtant.* Nec iuuat Alciatum vulgaris tranſlatio cuius propter vetuſtatem auctoritas apud me magna eſt, vel eo maximè quòd pleraque ex ea Gregorius referat in epiſtolis. Codex enim Græcus quo vſus eſt ille eius tranſlationis auctor plurimùm aliam inſcriptionem habuit quàm noſter, & ideo ſic vertit, *De reſtitutione fideicommiſsi & nomine familiæ vſque ad quotum gradum locum habeat & quod familiæ nomine nurus continetur.* In libris excuſis legitur, *ad quartum.* Sed omnes ſcripti habent, *ad quotum.* Sic & in contextu eius No. vbi eſt ſcriptum, *& aſcenſum & deſcenſum*, legen-
D dum ex veteribus, *& aſcenſum* σκαλῶν, vbi, *plenum eſſe pietate, plenum eſſe* περιεργίας.

Ad l. Balliſta. D. ad S. C. Treb. CAP. XXXIX.

NON rogatur de fructibus reſtituendis, qui ita rogatur, QVIDQVID EX HEREDITATE MEA BONIS'VE MEIS PERVENERIT. l. quod his verbis. D. de leg. 3. verùm huic ſententiæ
E aduerſatur l. Balliſta. D. ad Treb. niſi dicas eam in ea ſpecie fuiſſe voluntatem defuncti, quod & verum eſt. Ceterùm vnde colligitur? An ex eo quod dixit *Pecuniam?* Minimè: nam & cùm pecuniam dicit, non hereditatem aut bona, fructus non venire conſtat. l. ſcribit. eod. tit. quæ proximè iuncta eſt l. Balliſta. & ex eodem Celſi libro: & in hac quæſtione pecuniæ verbo plus non ſignificatur quàm hereditatis. l. nam quod. §. vlt. eod. tit. Ideoq; in l. Balliſta verba hæc, *Id eſt, pecuniam,* mali interpretis eſſe aio. Ne voluntatem etiam colligas ex ver-
F bo, *Omnem*, quod peremptorium vocabulum Valentinianus vocat. nam & ſi dixerit, *Omnem*, fructus non veniunt. l. heredes. in pr. eod. tit. cùm & ſi non dixerit, intelligatur ſemper. l. Lucius. §. tres. eod. tit. Rurſus id ne colligas ex verbo, *Quantacumq;*. nimis de grammaticorum ferula ſecuri animi eſſe videberis, ſi talia dicas. quid enim intereſt, dixerit teſtator, *quanta* an *quantacumque, quod* an *quidquid?* Ne etiam dicas legem Balliſta loqui de fructibus perceptis ante aditam hereditatem. hi namque omnimodo in reſtitutionem veniunt, nec exigimus, vt de eis ſpecialiter teſtator rogauerit, vel vt rogaſſe intelligatur. l. in fideic. l. ita tamen. §. 1. eod. tit. Quid ergo dicen-
G dum? Ego ſic ſtatuo, in ſpecie l. Balliſta fideicommiſſum coloniæ Philippenſium propalam non relinquitur in hunc modum, *Quanta pecunia ex hereditate mea ad te peruenerit, eam omnem reſtituas,* ſed inſtituitur filius ſub hac condicione, Si cauerit quantacumque pecunia ad ſe peruenerit, eam omnem ad coloniam Philippenſium peruenturam. De fideicommiſſo autem hereditatis cautio prætoria interponi ſolet, etiam ſi de eo nihil teſtator dixerit. l. hæc ſtipulatio. D. vt leg. no. cau. quæ non recipit incrementum fructuum. l. 1. §. belliſsimè. eod. tit. Huic enim cautioni eadẽ cauſa ineſt quæ

quæ fideicommiſſo. l.Titius.§.vlt.D.ad Treb. Hac verò cautione Balliſta contentus non fuit, ſed voluit conuentionalem interponi & quodammodo non ex teſtamento, ſed ex cautione conuẽtionali fideicommiſſum deberi voluit. Huiuſmodi autẽ cautio cõuentionalis incrementum fructuum recipit. l.pecuniæ.§.1.D.de ver.ſig.quæ pertinet ad ſtipulationẽ vẽditæ hereditatis, QVANTA PECVNIA EX HEREDITATE PERVENERIT, vt oſtendimus Obſ.lib.D.2.cap.30.Deniq; conuentionalis plenior eſt prætoria, quoniã id plerumq; cõtrahentes agere videntur. Quamobrem dum ex cautione conuentionali non ex teſtamento hereditatem reſtitui voluit, cum incremento reſtitui voluit. alioquin fruſtra iuſsit caueri cum edictum ſufficeret. A B

De aduocatis, & loco quodam deprauato apud M. Tullium Actionis I. in Verrem lib. I. CAP. XL.

ORNELIVS Tacitus in libro de Oratoribus, Horum, inquit, temporũ diſerti, cauſidici, & aduocati, & patroni, & quiduis potiùs quàm oratores vocantur. Vocantur & togati in Conſtitutionibus Imperatorum: & eorum munus cauſidicina ab Ammiano lib.30. & Theodoſio in l.188. C.Theod. de decur. ea forma qua Tertullianus iuridicinam lib. de Pallio, & iudicinam Apuleius VII. dixit. Abutuntur ea appellatione plerique ignobiles & ignari, litium concinnatores ac redemptores. l. nec quicquam. §.circa.D.de offi.proconſ. & qui olim rabulæ ac moratores dicebantur. M.Tullius in diuinatione, *Niſi quem fortè ex illo grege oratorum.* Locus eſt in omnibus codicibus valde deprauatus, præterquam ſcriptis, in quibus propius vero aliàs meatorum, aliàs mercatorum, aliàs meritorum ſcriptum legimus: ſed quia obturbatores Aſconius interpretatur ſordidosq; cauſidicos, qui adhibebantur ad moram faciẽdam, ac paulo poſt, Aderant, inquit, his rebus moratores apti talibus negotijs: non dubitabimus, quin eſſet eo loco pro *oratorum,* legendum *Moratorum.* ac ſimili forma gregem rabularum Varro dixit auctore Nonio Marcello. Horum caninam facundiam dici ex Salluſtio & Hieronymo alij notarunt. Addatur Prudentius in Hamartigenia: C D

Inde, inquit, *canina foro latrat facundia toto.*

Et Columella in præfatione. Sed ne caninam quidem, ſicut dixere veteres, facundiam &c. Vbi vulgo male legitur, *ſtudium.* E

FINIS.

IACOBI CVIACII
OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM
LIBER V.

*

De conditione iurisiurandi. CAP. I.

A EDICTO prætoris remittitur conditio iurisiurandi non tan-
tùm in heredum institutionibus, sed etiam in legatis & in iis
quæ instar legatorum sunt, non in conuentionibus. Nam etsi
quod testator testamento remittere potest, possint etiam
conuentione ij quorum interest. l. pactum. D. de pact. non ta-
men quod lex, edictum, constitutio in testamento remittit,
continuò etiam in conuentione aut contractu remittit, sicut
& quod in testamentorum causa admittit, exempli gratia,
cautionem Mucianam, eandem in contractibus non admit-
B tit. In libertatibus quoque conditio iurisiurandi non remittitur. l.12. D. de man. testa.
quæ l. coniungenda est cum l. 8. D. de cond. instit. Hæc edictum ponit, illa exceptio-
nem edicti. & huius exceptionis ratione Marcellus in l. non dubitamus. D. de cond. &
dem. plerunque ait non quidem in turpium, sed in earum quæ remittuntur numerum
conditionem iurisiurandi referri. Fauore autem libertatis ea exceptio introducta est, vt
citius & facilius perueniatur ad libertatem. Seruus enim ita manumissus, Si iurauerit se
x. daturum, iurando nec dando liber fiet. Legatarius vel heres dando nec iurando suis
actionibus vtetur: qui etsi iurare paratus sit nihil aget, nisi & id dederit vel fecerit quod
C se daturum vel facturum iurare iussus est. Itaque in libertatibus non reprobatur condi-
tio iurisiurandi, in ceteris reprobatur & remittitur, cuius rei causa olim adeundus erat
prætor, vt Cicero indicat in prætura vrbana, dum de P. Trebonij testamento loquitur.
Hodie ipso iure remittitur & improbatur, & quod ita relictum est pro puro habetur.
d. l. 8. §. vlt. licet heredi, vt diximus, non remittatur quod iurisiurandi conditione ad-
strinxit testator. Ceterùm non quod iurare iubetur, sed iusiurandum in conditione
est. Hoc igitur circumscripto, pura institutio purumue legatum relinquitur. Id notan-
dum est, nudam conditionem iurisiurandi nunquam remitti, quinimo ei necessariò
parendum est. Fac Gaium ita testari, Titius si iurauerit heres esto, Titio si iurauerit x.
D lego. l. Antistius. D. de adq. her. l. municipibus. D. de cond. & dem. His verbis nudum
iusiurandum iniungit, cui rei satisfaciet heres si hæc verba fuerit præfatus, quibus &
veteres in prosperis rebus exoptandis vtebantur: *Testor diuinum numen, fas mihi
sit eam hereditatem idue legatum capere*, vel, *Ex animi mei sententia hanc hereditatem
hocue legatum habeo.* quæ si vti verisimile est, animo heredis vel legatarij fuerit præfa-
tus, non dubitamus quin hereditatem eo facto vel legatum agnouerit, quod tamen
ceteris conditionibus potestatiuis satisfaciẽdo non adsequitur. l. ei qui ita. D. de cond.
inst. Itaque eius conditionis, Si iurauerit, duo singularia recepta sunt, vt explenda sit
E omnimodo, vt eam explendo statim hereditas vel legatum adquiratur. Id ad extre-
mum adiiciam. l. 26. D. de cond. & dem. quæ ad hanc quæstionem remittendi iurisiu-
randi pertinet, deprauatam videri, quòd hanc scripturam, *Si x. x. dederit aut iurauerit
se aliquid facturum*, referat vnam conditionem exprimere habentem duas partes. Ea
enim scriptura profectò duas conditiones continet disiunctiuo modo præscriptas,
quarũ vna vnam tantum, altera duas partes habet. Itaq;, quod & quæ in ea lege sequũ-
tur suadent, sic malim, *Hæc scriptura, Si iurauerit se xx. daturum aut aliquid facturum.*

De cautione Muciana. CAP. II.

F IN tractatu cautionis Mucianæ valde mihi aliàs negotium exhibuit §. vlt. l. 4.
D. de conditio. inst. quòd huius conditionis nomine, Si seruum hereditarium

non alienauerit, coheredem coheredi dicat præstare cautionem Mucianam, quod & A de hac conditione, Si seruum nō manumiserit, traditur in l. Mucianæ. & l. cùm sub hac. D. de cond. & dem. quas tamen constat viuo herede vel legatario morte serui expleri, nec eam mortem expectari triste esse, cùm & liberi hominis & coniugis in pari genere conditionis mors expectetur, & cōstitutionibus id tantùm periculosum & triste visum sit in liberis, à quorum latere mater vel libertus ne discederent testator iussit. l. cùm tale in pri. D. de cond. & dem. Item quòd illam conditionem, Si seruum hereditarium non manumiserit, adscriptam heredi ex asse instituto, neget remedio cautionis impleri posse. Cur enim legitimo heredi cauere non poterit, cuius interest eam conditionem non impleri? Sed postea animaduerti in eis conditionibus quæ morte alterius quàm B heredis vel legatarij, cui sunt adscriptæ, possunt impleri, ideo Mucianam aut velut Mucianam cautionem non interponi, quòd omnibus locis, quibus ita respondetur, ea quę sub eis conditionibus relicta proponuntur, apertè sint relicta post mortem alterius. Ac primùm in l. cum tale. §. Titius. D. de cond. & dem. post mortem heredis nominatim fideicommissum relictum est. Porrò mori is potest viuo fideicommissario. Quocirca mors heredis expectatur. In l. hoc genus. D. eod. mors Titij expectatur, quia, vti lex ait, legatum post mortem Titij relictum videtur. Eademq; ratione in l. auia. §. Titio. D. eod. mors mulieris expectatur. Et in l. pater. §. socrus. D. eod. quid aliud hæc verba C significant, *Si cum marito in matrimonio perseuerauit*, quæ vi ipsa negantia sunt, quàm si vsque ad mariti mortem, vel diuortium culpa mariti factum in matrimonio perseuerauerit? ideoq; mors mariti expectatur. Non sic dicemus si hanc testator conditionem adscribat, Si Stichum non alienauerit, Si Stichum non manumiserit. Non dicit post mortem Stichi, vel, Si Stichus id nō fecerit, vel, Si Stichus id noluerit, vel, Si cū Sticho permanserit, verùm ita, Si ipse Stichum non manumiserit vel non alienauerit. Apertè legatum in tempus mortis Stichi non confert, ideoq; nec eius mors spectatur, & fortè cautione non oblata si contingeret eo casu Stichum mori, dicerem adhuc expectandā D mortem legatarij aut heredis, perinde ac si testator ita dixisset, Cùm morietur Sticho non manumisso vel non alienato. Ac similiter huius conditionis nomine, Si iterum vxorem non duxerit, præstatur cautio Muciana, licet viuo legatario, vt ostenditur in No. 22. expleri possit, puta si legatario sacerdotium obueniat, ita vt nulla nuptiarum spes supersit. Qua ratione & hanc conditionem, Si sine liberis decesserit, sacerdotio expleri verissimum est, vt & Theodorus in eadem No. notauit. Sed ille casus non spectatur, quia solam legatarij mortem, non etiam eum casum testatorem spectasse constat. Quod attinet ad alteram dubitationem, ego ita censeo. Vt in specie l. Mucianæ. §. vlt. D. de cond. & dem. & l. mulier. D. de cond. inst. hæc conditio adscripta heredi ex E asse, Si dotem non petierit, impossibilis est, quòd post aditionem non sit à quo petere, atque adeò cui vel cauere vel acceptum facere possit: ita hoc genere conditionis adscripto, Si seruum hereditarium non alienauerit, id impleri nequit, quoniam adita hereditate nullus est futurus seruus hereditarius, atque adeò serui eiusmodi non alienandi nulla cautio interponi potest. Seruum enim hereditarium iacente semper hereditate dicimus, non etiam adita. Atque ita in hac etiam conditione, Si seruum hereditarium manumiserit, seruum hereditarium accipi oportet. l. mulier. §. j. D. de cond. inst. Frustra verò eius solius temporis ratione quo iacet hereditas, mox aditurus legitimo F heredi caueret se non petiturum, vel se hereditarium seruum non manumissurum.

Ad §. Vtrùm. l. si is qui ducenta. D. de reb. dub. CAP. III.

HVius stipulationis, Si illud aut illud non feceris, & illius, Si quid eorum, quæ vt fierent superiùs comprehensum est, non feceris, idem est effectus, vt neutri aliter scilicet satisfiat, quàm si vtrunque factum sit, nec prosit aliquid fecisse, si aliquid factum non sit. & hoc proponitur in l. si is qui ducenta. §. cùm ita. D. de reb. dub. Alius est effectus stipulationis ita conceptæ, Si quid G eorum feceris quæ vt non fierent comprehensa sunt, hæc nempe, vt neutrum fiat, nec prosit aliquid non fecisse si aliquid factum sit. quæ differentia traditur in d. l. si is qui ducenta. §. vtrùm, vers. illius effectus, eiusmodi verbis, vt aliis stipulationum formulis, congruere non possint, quàm iis duabus, Si quid eorum factum erit, quæ vt non fierent

A rent comprehensa sunt, Si illud aut illud factum non erit. Hæc non committitur vtroque facto. Illa non committitur neutro facto. Hæc committitur etiam si aliquid factum sit. Illa committitur etiam si aliquid factum non sit. Itaque quod proponitur initio sic necessariò restitui oportet, *Vtrùm ita concipias stipulationem, Si illud aut illud factum non erit, an hoc modo, Si quid eorum factum erit, quæ vt non fierent comprehensa sunt hoc interest, &c.* Quid enim intersit deinde explicatur in illo loco, *Illius effectus, &c.* & iam antè inter illas, Si illud aut illud factum non erit, &, Si quid eorum factum non erit, nullum esse discrimen fuerat demonstratū. At committi stipulationem B illam, Si illud aut illud factum non erit, etiam altero facto, Iurisconsultus ostendit hac ratione in d. §. vtrùm; quia quemadmodum altero facto verū est illud aut illud factum esse, verum etiam sit, Illud aut illud factum non esse. Nec enim semper ex duabus contrariis orationibus vna est vera altera falsa, sed duæ aduersæ simul possunt esse falsæ, veluti, Omnis actio est in factum, Nulla actio est in factum, & si ex liberis alij puberes, alij impuberes decesserint, siue ita statuas, omnes impuberes decessisse, siue omnes puberes decessisse, vtrumque falsum erit. Nam oratio vniuersalis tota falsa est si in ea sit aliquid falsi. At simul veræ esse non possunt, vt, Omnis heres defendere debet mortem C defuncti, Nullus heres defendere debet mortem defuncti. Aduersis autem contrariæ simul possunt esse veræ, vt, Quidam tutor à tutela excusatur, Quidam tutor à tutela non excusatur, Et ex duobus quæ fieri oportet altero tantùm facto, Illud aut illud factum esse, & illud aut illud factum non esse. Nam oratio particularis tota vera est, si quid in ea sit veri. Falsæ autem simul esse nequeunt, veluti, Quidam curatores testamento dantur, Quidam curatores testamento non dantur. De contradicentibus siue disparatis, quas Aristoteles ἀντιφατικῶς ἀντικειμένας, quarum tria genera, nihil Iulianus in hoc loco. Nihil etiam ipse, Nihil, inquam, Iulianus de eis. Itaque perperam Iuliani scripto annectitur à quibusdam exemplum tale, Si ex iis qui sisti debuerunt, quidam D stati, quidam non stati sint, Omnes statos esse, Non omnes statos esse: quæ orationes nec veræ nec falsæ simul esse possunt, nec sunt ex genere earum quas Iulianus tractat, qui pugnantia continentes tantùm proponit. Hæ sunt aduersæ siue ἐναντίαι. & contrarias, Hæ sunt aduersis contrariæ siue ἀντικείμεναι, vel, vt recentiores loquuti sunt, ὑπεναντίαι. Idem significationem dicit quod Aristoteles κατηγόρημα, Ex vniuerso quod ille καθόλου, Ex aliquo quod ἐν μέρει, Cicero de parte, orationes quod λόγους ἀποφαντικούς. Nec verò iis quæ diximus aduersatur vers. *Proinde.* Qui interrogatus an quid eorum quæ obiiciuntur fecerit, respondet, Non feci, hoc respondet, Nihil feci. Itaq; si aliquid E eorum fecerit, aliquid non fecerit, mentitur. Similiter enim si promiserit quis c. si quid eorum fecisset quę superiùs comprehensum est ne faceret, committit in stipulationem si aliquid eorum fecerit, aliquid non fecerit. Hoc enim promittit, eorum se nihil facturum. Rogerius & Placentinus mendum subesse viderunt, sedem mendi non viderunt. Itaque quo loco non oportuit negationem sustulerunt, ita legentes, Si illud aut illud factum erit, & *Illius*, malè referentes ad priore locō positam stipulationem, *Huius* ad posteriorem. Alij etiam malè in eo §. hæc verba, *Si qui liberorum partim puberes partim impuberes decesserint*, grandioribus literis scribunt quasi testatoris vel contrahentium verba, cùm illa potius ita scribi debuissent quasi ἀποφάνσεις, Omnes impu-F beres decessisse, Omnes puberes decessisse.

Quid sit donatio propter nuptias, quid ὑπόβολον, & Harmenopuli definitio quæ deprauata est, quemadmodum restituenda sit, explicatur. CAP. IIII.

DOnatio propter nuptias opponitur doti. Dos est quæ datur marito vxoris nomine. Donatio propter nuptias, quæ propter dotē datur vxori mariti nomine. Dos est donatio propter nuptias vxoris. Donatio propter nuptias est dos mariti. atq; ideo quæ donantur propter nuptias ἀντίφερνα vocantur l. vlt. C. de don. ante nupt. vel pro. nupt. Ea in dotem à muliere plerumque redigebantur. G l. generaliter. §. hoc obseruari. C. de sec. nupt. ex quo §. hic No. 22. locus sumptus est, κἂν εἰ δοκῇ πῶς συναναιλῆφθαι καὶ ἡ προγαμιαία δωρεὰ τῇ προικί, ab Eustathio explicatus rectè, ab Accursio malè. Porrò eodem iure est dos, ac donatio propter nuptias, eadem vtrunque pacta recipit, eadem vtriusque quantitas ex No. 97. Quibus ex

casibus si in persona mariti existant, maritus lucratur dotem, vel aliquam partem ex A
ea, eisdem si in persona vxoris existant, tantundē vxor lucratur ex donatione propter
nuptias. Ei simile est quod posteriores dixere ὑπόβολον, id est, incrementum dotis, vel
quod mortuo marito vxori superstiti redditur supra dotem, ἀπὸ τοῦ ὑποβάλλειν, quod est
maiori rei vel summæ minorem adiicere. Græci aliàs reddidere dimidiam, aliàs ter-
tiam, nisi aliud conuentum fuisset. Moribus Tolosanorum redditur hodie dimidia, vt
si c. sint in dote, c l. Est apud Harmenopulum lib. 4. definitio hypoboli valde depra-
uata. verba eius hæc sunt: ὑπόβολον καλοῦσι, τὸ ἐπὶ τῇ ποσότητι τῆς προικός, ὅταν ἀποθανού-
σης τῆς γυναικὸς ἡ προὶξ ἀπαιτῆται παρὰ τοῦ ἀνδρός, ταύτῃ ὑποβαλλόμενον ἤγουν ὑποτιθέμε- B
νον. Sed legendum, ὅταν ἀποθανόντος τοῦ ἀνδρὸς ἡ προὶξ ἀπαιτῆται παρὰ τῆς γυναικός. Nam
vt quæ in Harmenopulo sub eo titulo περὶ ὑποβόλου sequuntur apertè demonstrant,
non mortua vxore, sed mortuo marito hypobolo locus est. Quod & iis verbis adno-
tatum reperi in Harmenopulo Bibliothecæ regiæ. ἔχει γὰρ τὸ πρωτότυπον οὕτως· εἰκάζω
ἐσφαλμένον ἐστίν. ὤφειλε γὰρ γράφειν ἀποθανόντος τοῦ ἀνδρός. Confirmatur iis quæ de hy-
pobolo scripsit Georgius Phobenus hoc modo: τὸ ὑπόβολον ὃ καὶ προγαμιαία καλεῖται
δωρεὰ ἰδία τις συμφωνία ἐστὶν ὥσπερ καρπὸς τῆς προικὸς συμφωνούμενος ἀπαιτεῖσθαι. διὸ καὶ ὑπό-
βολον λέγεται. ἔχει δὲ τοῦτο τὸ προνόμιον. θανόντος γὰρ τοῦ ἀνδρὸς ἀπαιτεῖται κατὰ τὴν τῆς προικὸς
ποσότητα καὶ εἰ μὲν συμφωνηθῇ ῥητῶς μέχρι τοῦ τρίτου τῆς προικὸς δίδοται τὸ ἔλαττον. εἰ δὲ μὴ συμ- C
φωνηθῇ τὸ ἥμισυ τῆς εἰρημένης προικὸς δίδοται. καλεῖται δὲ τοῦτο καὶ πρὸ γάμου δωρεὰ διότι καὶ πρὸ
τοῦ γάμου συμφωνεῖται. Et Demetrius Chartophylax Achiepiscopus Bulgariæ, quem li-
brum habet Pet. Faber vir nunquam satis laudatus, quæst. 55. τὴν γε μὴν ἀπαίτησιν τοῦ
ὑποβόλου πότε χώραν ἔχειν ὁπηνίκα προτελευτήσει τῆς γυναικὸς ὁ ἀνήρ. Multùm item distat do-
natio propter nuptias à donatione quæ moribus nostris fit respectu matrimonij, cu-
ius fauor nimius est nec iure Romano receptus, & ab eo quod Douarium vocamus,
quod etiam Romano iure receptum non est. Id apparebit statim si definitio dona-
tionis propter nuptias cum eorum definitionibus conferatur, quæ tales sunt: Donatio D
fauore matrimonij est, quæ alterutri coniugum fit à parente vel extraneo coniugij
non coniugis nomine. Douarium est vsusfructus dimidiæ vel tertiæ partis bonorum
mariti, qui vxori debetur post mortem mariti. Donationes ergo propter nuptias ho-
die sunt penitus ex vsu sublatæ.

De præscriptione c. annorum. CAP. V.

Væ priuatis competunt actiones excluduntur præscriptione annorum
xxx. ex Theodosij illa Constitutione non scriptis modò nostrorum, sed
& exterorum, vt alio notauimus loco, celebratissima. Quæ verò ecclesiis E
vel aliis venerabilibus locis vel ciuitatibus competunt actiones, vel quæ
debentur in redemptionem captiuorum, quorum exactio plerunque ad
episcopos pertinet, non excluduntur nisi c. annorum præscriptione ex l. vlt. C. de sacr.
eccl. Pertinet ea lex ad Orientales ecclesias. Ad Occidētales No. 9. & quidem omnes,
nedum ad Romanam, quod conuersio latina liquidò demonstrat. Græca forma deest
nec inuenitur in basilico. Omnes verò fatentur à No. 111. supradictam l. vlt. corrigi in-
troducta in ecclesiarum ceterorumq; locorum pietati & Deo consecratorum actioni-
bus xl. sublata c. annorum præscriptione. Introducta iam ante illam quidem fuerat F
xl. annorum præscriptio No. 131. hæc tamen c. annorum non fuerat nominatim
sublata. Quæso, cur etiam non fatentur correctam No. 9? Est namque No. 111. poste-
rior, nec est cur plus Occidenti quàm Orienti tribuatur. Et ita quoque sentiunt ex
nostris interpretibus complures, & ex veteribus Iulianus Antecessor Constantinopo-
litanus. Nec igitur placeat Irnerij nec iuris Pontificij conditorum sententia. Extat verò
111. Nouellæ summa quædam Græcè conscripta cum hac valde notanda Græci inter-
pretis obseruatione, quam Theodori esse didici ex libro περὶ χρονικῶν διαστημάτων, vt
quæ debentur in redemptionem captiuorum hodie etiam non oporteat excludi nisi G
c. annorum præscriptione, quòd in ea No. de eis nihil meminerit Iustinianus. Qua
ratione etiam putem aduersus ciuitates in iis quæ eis legata, per fideicommissum re-
licta, donata, vendita sunt, non posse opponi nisi c. annorum præscriptionem ex l. vlt.
C. de sacr. eccles. Ipsa Nouella integra relata est inter edicta Iustiniani sub falso titulo
περὶ

A περὶ λιτιγιώσων. Nouellam Harmenopulus appellat non edictum lib. I. tit. 3. Non video autem cur à Nouellis ea edicta separanda fuerint, cùm tamen edicta περὶ ἀσελγαινόντων & περὶ πίστεως & ὥστε ὑπερτιθεμένους τοὺς ἄρχοντας, &c. inter Nouellas referantur. In legibus antiquis Caroli & Ludouici ita est scriptum: *Ne* X. *anni vel* XX. *vel* XXX. *annorum præscriptio religiosis domibus opponatur, sed sola* XL. *annorum curricula. & non solùm in ceteris rebus, sed etiam in legatis & hereditatibus.*

Emendatio §. quoniam. l. cum tabulis. D. de his quæ vt indig. auf. siue de concubinis. CAP. VI.

B QVi dicuntur filij naturales siue nothi, spurij aut vulgò quæsiti non sunt. Nothi sunt qui ex concubina domi sine nuptiis vxoris loco retenta, quam Græci παλλακὴν vocant, nascuntur. Spurij qui & σκότιοι, & terræ filij patre incerto geniti quasi ἀπάτορες (sic legendum apud Valerium siue Iulium Paridem lib. 10.) ex scortatione, stupro, adulterio, incesto: quæ vitia in concubinam non cadunt. Est enim legibus probata, & vt eleganter Iulianus antecessor ait in No. 18. legitimam vxorem imitatur. Nothi ex constitutionibus ab intestato aliquid iuris in bonis parentum habent non extantibus filiis legitimis, quin & ex testamento extan-
C tibus legitimis vnciæ, non extantibus etiam solidi ex No. περὶ νόθων capacitatem habent. Spurij ex vtraque causa incapaces sunt, ac ne alimentis quidem digni, quæ tamen nothi habent etiam ab intestato extantibus filiis legitimis. Nothos nusquam spurios aut vulgò quæsitos appellari dico. Nec proferat mihi quisquam in hanc rem §. quoniam. l. cum tabulis. D. de iis quæ vt ind. auf. Est enim meo quidem iudicio nondum is §. bene à quoquam aut restitutus aut explicatus. Restituendum verò ipse ac explicandum ita censeo. Concubinatus pugnat cum stupro, stuprum lege Iulia vindicatur. Concubinatus nulla lege vindicatur. Cum ingenua stuprum committitur, nec potest cum ea concubinatus constitui nisi vel testato, vel sine testatione si obscuro lo-
D co nata sit vel vulgò quæstum fecerit. l. in concubinatu. D. de concub. Vulgò, non palam dico. Sunt hæc diuersa. l. probrũ. D. de rit. nupt. Adhæc stupro cognita, non etiam quæ in concubinatu fuit, nihil ex eius cui benigne fecit, testamento capere potest. Cum concubina est connubium, Cum stupro cognita non est connubium. Cocceius Cassianus V. C. Rufinam ingenuam honore pleno dilexit. hic est honor maritalis, quo secernitur vxor à concubina. l. item legato. §. pen. De lega. 3. l. donationes. D. de donatio. Concubina enim matrisfamilias honestatem non habet, nisi patroni concubina sit. l. probrum. D. de rit. nupt. Post Rufinæ mortem filiam eius, id est, priuignam suam
E in concubinatum assumpsit. Non est nouum hoc, vt cum qua non est connubium, sit concubinatus. nam & cum ancilla, cum adulterij damnata, cum quinquagenaria, cum muliere eius prouinciæ in qua quis officium administrat, est concubinatus, non etiam connubium. Ergo iure priuignam Cassianus in concubinatum habuit. Atqui erat ingenua, vt pote Rufinæ ingenuæ filia. Ceterùm eam vulgò quæstum fecisse apparuit. Sic legendum arbitror. Nam & Flor. *quæsitum* legitur non *quæsitam*, sine verbo tamen, *Fecisse*, quod, vt & alia aliis locis, me auctore licebit addere. Iure ergo eam Cassianus in concubinatum habuit. Proinde quod ei sub alumnæ appellatione Cassianus reliquit quasi educasset eam vnà cum matre, iure relictum videri, nec quasi cum ea
F commisso stupro auferendum Seuerus & Antoninus iudicauerunt. Fuit enim cum muliere ingenua quæ vulgò quæstum fecerat, concubinatus, non stuprum. Hæc est huius §. sententia. Hodie si concubinatus non legitimæ coniunctioni, sed scortationi deputatur, quod plerisque placet, & relata hac de re est Constantini Porphyrogennetæ constitutio quædam apud Harmenopulum, quod ius diximus constitutionibus tribui nothis, nullis tribuetur. Ex eo enim necessariò consequitur, filios ex concubinatu susceptos spurios esse, concubinas scorta non concubinas: vt in No. 18. de duabus concubinis eodem tempore domi retentis, & ex eis susceptis filiis Iustinianus
G dixit. Denique nullos esse hodie nothos, nullos filios naturales.

Ad l. cum heredes. C. qui testa. fac. poss. CAP. VII.

NOn esse differentiam inter principem & priuatos quod ad ius capiendi attinet testamento vel codicillis, Imppp. Valens, Valentinianus & Gratianus definierunt

nierunt in l.cum heredes.C.qui test.fac.poss.quod postea Theodosio displicuit,cuius A
constitutio extat in l.2.C.Th.de testa. Ius enim sibi ipse ex codicillis vel epistolis fideicommissariis capiendi ademit,non etiam priuatis. De ea Theodosij constitutione Symmachus V.C.scripsit in quadam ex eis epistola quæ nondum editæ sunt. Tot verò sunt fere non editæ quot editæ,quarum,si quis typographus popoſcerit,facturi copiam sumus libēter,vt istius nunc facimus,cuius verba hæc sunt. CVM ciuiles & bellicas laudes Domini nostri Theodosij filii honore percurrerem,magis eum contigisse in communia,quàm satisfecisse singulis fateor:& leges eius bonis pacis admiscui,quas vt noueram priscis ademisse admirationem, ita seruasse nobis parem gloriam non putabam. Verùm hæc recens cautio de fideicommissis & codicillorum commodis ab B
optimo principe in æternum repudiatis tantùm claritudine egreditur lucem superiorum, quantum augustius est regendis, quàm subditis modum ponere. Atque vtinam priuata auaritia mentem intelligat latoris,& mores de legibus trahat. Neque enim latet quid sponte ceteros velit facere qui suspecta compendia primus exhorruit. Ego certè vereor ne improborum sitis ad se existimet peruenire quæstum caducum, fiatq; innocentium causa deterior, si ad eos tantùm falsi redeat occasio, qui neq; lege neque pudore cohibentur. Ergo quia dominorum conditio restrictio est priuatis cupiditatibus,medicina iuris occurrat. Frigentia diu apud homines criminosos vetera decreta, C
quorum vigor cum latoribus suis occidit. Tantùm denuo legibus seueritatis addendum est,quantum flagitia creuerunt. Alioquin si maioris partis deseritur emendatio, frustra se asperis sanctionibus solus Imperator adstrinxit, qui bonus semper & integer fuit. Imperator autē Iustinianus non hanc Theodosij,sed illam Valentis constitutionem magis probauit.Illam enim retulit in suum Codicem, ex Theodosij eam tantùm partem sumpsit, quæ pertinet ad quæstionem falsi motam super codicillis aut epistolis,ex quibus relicta priuati petunt.l.vlt.C.ad leg.Cor.de fal.Symmacho magis probatur ius vetustissimum, non in principis modò, sed & in priuatorum causa, vt codicillis D
saltem epistolisq; relicta fideicommissa nullo iuris vinculo continerentur. Quod & ipse, quum falsi materiam ingentem submoueat, sequor non inuitus.

Capsarij, Fugitiuarij. CAP. VIII.

CApsarios esse eos qui in balineis mercede vestimenta seruanda suscipiunt Paulus scribit in l.3.§.vlt.D.de off.præf.vig. quod nullum alium auctorem scio qui dilucidius confirmarit, quàm Epiphanium in Panarii libro secundo,dum Adamianorum pessimos ac nefandissimos mores describit, quos inter cetera nudis corporibus refert conuentus habuisse in hypocaustis,& ad fores ad- E
stitisse ipsis quosdam capsariorum instar,qui eorum vestimenta susciperent & custodirent. Verba Epiphanij hæc sunt: πρῶτον γάρ φασι τοὺς τοιούτους, τὰς αὐτῶν ἐκκλησίας ἤτοι φωλεοὺς καὶ σπήλυγγας ἐν ὑποκαύστοις οἰκοδομεῖσθαι. ἐν δὲ τῷ εἰσιέναι, ἱματιοφύλακες εἰσί τινες πρὸς ταῖς θύραις δίκην καμψαρίων, ὑπ' αὐτῶν ἐπιτεταγμένοι. Pars ea balinei, in qua constituebantur capsarij, ἀποδυτήριον dicebatur. Dicuntur alia significatione capsarii, qui pueris euntibus in scholam libros portant. l.13. D.de man.vind. quo pertinet illud Iuuenalis Satyr.10. Quisquis adhuc vno partam colit asse Mineruam, Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ. Fugitiuarij autem in l.si apud te. D.de præscr.ver.& l.1. F
C.Th.si vag.pet.manc. hi videntur esse qui fugitiuos seruos persequuntur. quod hic L.Annei Flori locus indicat lib.3. dum bello seruili vti capta fuerint prætorum castra, fugatiq; ciues narrat, *Ita*, inquit, *qui per fugitiuarios detrahi debuissent,prætorios duces profugos prælio ipsi sequebantur.* Sic ex duobus antiquis nostris exemplaribus legimus, Sic ex suis legit Elias Vinetus vir de bonis literis optimè meritus.

Ad l.si vindicari. C.de pœnis. CAP. VIIII.

QVod constituitur in l.si vindicari. C.de pœnis, pugnare videtur cum eo quod iidem Imperatores antè constituerunt in l.pen. C.de custo.reo. vt G
conuictum velox pœna subduceret. Dantur namque in l.si vindicari, conuicto & damnato à principe iusti dies XXX. cui constitutioni quid causam præbuerit ex Theodorito, Sozomeno, & aliis alij notarunt. Nescio an adhuc quisquam

A quam indicarit id iuris à Sidonio Apollinare s.c. Tiberiano tribui 1.Epist. *Ex vetere,* inquit, s.c. *Tiberiano* XXX. *dierum vitam post sententiam trahit.* At Corn. Tacitum lib. 3. itemq; Suetonium in Tiberio. c.75. non XXX. sed X. tantùm dierum spatium s.c. quod auctore Tiberio factum est, damnatis prorogatum scribere. igitur cum Tacito & Suetonio pugnare Sidonium, nisi quod adiecit dierum Theodosius, id etiam s.c. Tiberiano deputaueris, vt sæpe quod legibus Iuliis additum est posterioribus constitutionibus, nihilominus constat Iustinianum legibus ipsis adscribere multis in locis. Confirmata autem vel restituta fuit ea Theodosij Constitutio No. Nicephori Boto-
B niati, πρὸ τοῦ μὴ ἔσωθεν τῶν λ΄ ἡμερῶν γίνεσθαι σωματικὴν ποινήν, quam habemus, & ab Eustathio breuiter iis verbis expressa, μετὰ λ΄ ἡμέρας ἡ ὀργὴ τοῦ βασιλέως ἀνύεται.

Consortes, Sors, Hereditas. CAP. X.

Onsortes cùm dicimus, communionem significamus. Atque ita consortes eiusdem litis sunt, quorum communis lis est, qui simul litem contestati sunt. Frequenter autem de fratribus hoc dicimus qui pro indiuiso commune patrimonium habent, fratres esse consortes. Sic loquitur Paulus in l. si is qui tres. D. de exc. tut. Sic Velleus Paterculus. *Fuluij,* inquit, *Censoris frater*
C *& quidem consors.* Cicero 4. Ver. *Cùm ex agris tres fratres cõsortes profugissent.* Plinius 8. Epist. *Consors frater in patris potestate emancipatam filiam adoptionis fraude reuocauerat.* Ausonius in monosyllabis. *Tum Iouis & consors germanus Tartareus Dis.* Prosper Aquitanicus in Chronico. *Attila rex Hunnorum Bledam fratrem & consortem suum perimit.* Et hæc inter fratres consortio aut voluntaria est, vt si consensu societatem contraxerint. l. cum duobus. §. idem Papinianus. D. pro socio. aut necessaria; vt si à parentibus indiuisas hereditates acceperint. Non omnes igitur fratres consortes sunt. Hi tantùm consortes sunt, quos vel voluntas congregauit, vel fortuna coniunxit.
D Festus siue Paulus inter consortes ait erctum citum & disertionem fieri. quod fit arbitrio familiæ erciscundæ vel communi diuidundo. Existimo autem apud Paulum esse legendum *disortionem.* Vt enim consortem & consortionem dicimus, ita & disortem & disortionem. Augustinus in Grammatica. *Consors & disors in genitiuo singulari tis habent.* Disors autem dicitur dissimilis sortis. Eadẽ verò ratione reliquos propinquos & extraneos consortes dicemus: quorum est hoc quoq; proprium, vt siue fratres, siue propinqui, siue extranei sint consortes, inuicem habeãt ius προτιμήσεως ex No. Romani Lapaceni, quod non habent qui consortes non sunt, etiam si propinqui sint. Vt Græcis κλῆρος, sic Latinis sors hereditas est. Galli quoq; hereditatem vocant *Escheoite,* quasi
E sorte obtigerit. Appellationis ratio nota est, nec verò eadem cum ea, propter quam hereditatem dicimus. Hereditas enim, vt rectè Cassiodorus scribit in Psalmum 2. & 15. & 77. ab hero dicta est, id est, domino, quòd eam iure legitimo dominus possideat. Quod & nos probauimus iam lib. 2. Institutionum tit. de hered. qualit. & diff. Si quis verò miretur quòd quæ in herede syllaba producitur, ea in hero corripiatur, legat Gellium lib. 12. cap. 3.

consortes litis
fratres consortes
Velleus
Cicero
Plinius
Ausonius
Prosper
Augustinus
Hereditas ab hero
Cassiodorus
Gellius

Loci quidam Cæsaris & Plinij emendati, & quid sint coactilia & impilia apud
F *Vlpianum.* CAP. XI.

Oactilia in l. argumento. D. de auro & arg. leg. indumenta sunt strictiùs compacta ex villis crassioribus, quo ex genere petasi & καυσίαι & galbinæ, vel molliora alia quædam quæ ex lanis xylinis, caprinis, ouillis conficiuntur, cuiusmodi sunt Thoracomachi qui loricas superinducuntur. Plinius lib. 8. cap. 48. Lanæ & per se coactam vestem faciunt. Sic legendum, vt tunicas ex coactis factas apud Cæsarem III. de bello ciuili. Lego ex veteribus coactis, non vt vulgò, subcoactis. Studiosè eum auctorem conferens cùm scriptis codicibus, id etiam reperi lib. 2. de bello Gallico, dum recensentur Galliæ populi qui in Cæsarem arma
G sumpserunt, pro Catuacos, legendum Atuatucos, qui quales sint non ignoratur. Hi sunt qui Aduatici dicuntur, à Dione Ἀτουάτικοι, in libris scriptis modò Atuatuci, modò Atuatici & Atuatuca vrbs. Sic legendum lib. 7. *Impedimenta omnium legionum Atuatucam contulit. Tribus horis Atuaticum peruenire potestis. Ipsi Atuatucam* conten

contendunt. Catuaci verò illi penitus ignorantur. Inueni quoq; lib. 5. illo loco, *Omnes verò se Britanni glasto inficiunt, quod ceruleum efficit colorem*, non *glasto vel vitro*, vt est apud Pomponium Melam scriptum, sed *nitro* esse legendum. Quod confirmat Vitruuius lib. 7. cap. 11. qui ex nitri flore ceruleum fieri ait. Porrò in eadem l. argumento, Vlpianus ait impilia vestis loco esse. Plinius lib. 19. cap. 2. esse laneam naturam, ex qua impilia vestesq; quædam conficiuntur. Sic habent manuscripti. malè impreßi, *mapalia*. Impilia vocat quæ VIII. περὶ φυτῶν Theophrastus, ex quo illa sumpsit πόδια. An igitur fasciæ pedules & impilia idem? Pedules sic dicuntur, vt pedula auctore Festo, quæ Græci πέδιλα vel πόδια. A B

Explicatur §. vsuræ. l. tutor. D. de administ. tut. CAP. XII.

TVtor primo anno intra sex menses pecunias collocare debet. l. si tutor. D. de adm. tut. idoneis scilicet nominibus. Sic legendum in l. 3. C. de vsur. pupil. Sequentibus annis singulis duo ei menses dantur, quorum ratione nullæ ab eo pecuniarum vsuræ exiguntur. Detrahuntur hi duo menses ex singulis annis in ponenda vsurarum ratione, quòd tantum temporis ad exigendas, & rursus collocandas pecunias tutori suppetere necessarium videatur. Dixi, singulis annis: idq; l. tutor. §. vsuræ. D. de adm. tut. adiiciendum censeo ex No. 72. & ex scholio apud Constantinum lib. 5. Epit. apposito ad sententiam. l. si tutor, in hunc modum: τὸ δὲ ἀργημένον περὶ τῶν δύο μηνῶν, νόησον περὶ ἑκάστου τῆς ἐπιτροπῆς / ἡγεμονίας: vbi περὶ ἑκάστου sic accipitur, περὶ ἑκάστου ἐνιαυτοῦ vel χρόνου. Ergo singulis annis eximitur illud duorum mensium spatium, cuius nullæ pupillo præstantur vsuræ, atque ita ei vsuræ non præstantur statim, id est, perpetuò & perseueranter, sine intermißione, sine laxamento. Sic accipi sæpe in aliis auctoribus duo celebres Grammatici notarunt, Nonius & Donatus. Quòd si pecunias tutor in suos vsus conuerterit, statim ab eo exigentur vsuræ, id est, sine illo laxamento duorum mensium. quod Græci his verbis exprimunt, τούτου δὲ οὐκ ἔστιν ἐπὶ τοῦ συγκεχωρημένου. C D

De solemnibus manumißionum ex XII. tabul. & de vicesima manumissorum. CAP. XIII.

EX veteribus auctoribus quos habemus, circumductiones illas & iniuriosa ῥαπίσματα quæ in manumißionibus interueniebant ex XII. tab. quorum Iustinianus meminit in No. 81. & l. vlt. C. de emanc. lib. nemo melius descripsit, quàm Claudianus in libro de IIII. Cõsulatu Honorij his versibus:

Te fastos ineunte quater, solemnia ludit
Omnia libertas, deductum vindice morem
Lex celebrat, famulusq; iugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu,
Tristis conditio pulsata fronte recedit
In ciuem, rubuere genæ, tergoq; remouit
Verbera promißi felix iniuria voti. E

Hæc ita legibus XII. tab. agebantur non in seruorum modò, sed & in filiorum manumißionibus: atque ideo manumittere sic dicimus, quasi palma siue colapho infracto dimittere. Ambrosius 2. Epist. Libertas quam manumissus accipit, & palma lictoris donatus acquirit. Cornutus in Persium. Quotiens, inquit, manumittebant eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant. Vnde manumißio dicta est, eo quòd manus ei immitteretur. Quod ait de circumactione quam Iustinianus circumductionem, alij vertiginem vocant, Arrianus bellè confirmat in Epictetum lib. 2. his verbis: ὅταν στρέψῃ τίς τῶν στρατηγῶν τὸν αὑτοῦ δοῦλον οὐδὲν ἐποίησεν; ἐποίησε τί, ἔστρεψε τὸν αὑτοῦ δοῦλον τῶν στρατηγῶν; καὶ τὴν εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. & id maximè notandum quod ait de danda vicesima manumissi, quæ introducta est lege lata C. Mario & Cn. Manlio Coss. vt T. Liuius scribit. Ad quam pertinet etiam quod ita scribit lib. 3. ὁ δοῦλος εὐθὺς εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλεύθερος. διατί; δοκεῖτε ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον. Significat eum qui appetit libertatem, pecuniam vicesimariis dare cupere. F G

De immodicis & inofficiosis donationibus. CAP. XIIII.

Si

A SI parens vni ex liberis vltra dodrantem, vel secundum No. Iustiniani, vltra bessem aut semissem donauerit, vel etiam si totum suum patrimonium in vnum ex liberis contulerit (quod est in Constitutionibus positis sub tit. de inof. don. patrimonium exhaurire, exinanire, vacuum facere, euiscerare, & in No. 92. exantlare, siue ἐξαντλεῖν) ceteris liberis datur actio, qua donata reuocatur pro quadrantis aut trientis hodie semissis ue ratione. Donationem in assem, in'ue partem virilem reuocari nusquam legitur. Debitam tantùm portionem reuocari aut repleri confirmant admodum multæ cõstitutiones tituli de inoff. donat. & quod Symmachus B in epistolis scribit his verbis, *Actionem ex Placidiani V. C. nomine qui pater puellæ fuit immodicarum donationum causa manasse respondit, supplementum verò Vnciarum ab herede Placidiæ asseruit postulari.* Et quod Iustinianus in No. 92. cuius speciem ita rectè ex magistro Harmenopulus posuit. Pater quatuor habet filios Primum, Secundum, Tertium, Quartum, & LX. libras auri in bonis. Singulis ergo pro debita portione debet quinque. Primo & Secundo donat directo XXX. libras. Testamento autem reliquorum bonorum diuisione facta inter omnes liberos Primo & Secundo XXV. libras attribuit, Tertio & Quarto aspergit quinque. Placet Tertio & Quarto supplendarum C aliarum quinq; librarum aduersus fratres Primum & Secundum actionem dari, atque adeò in ponenda Falcidia non præsentium modò, sed etiam antè donatorum bonorum rationem haberi. Subiicit & eius Nouellæ ex alio auctore vt breuem & elegantem epitomen, ὁ δὲ διὰ τῆς γενομένης εἴς τινα τῶν παίδων ἀμέτρου δωρεᾶς παρὰ τοῦ γονέως αὐτοῦ, μειοῦται ὁ φαλκίδιος τοῖς λοιποῖς ἀδελφοῖς, εἰ μὴ ἄρα ἀχάριστοι εἰσίν. Nec huic sententiæ vllo modo aduersatur l. Titia Seio. §. Imperator. D. de lega. 2. dum extantibus nepotibus duobus, & in vnum ab auia collata donatione immodica, alteri ait donatorum pro dimidia parte reuocationem dari. Dimidiam enim quartæ partis intelligit. idq; ita explicari conuenit ex l. si mater. C. de inof. don. Quod & verissimum & apertissimum est.

D

Ad l. si de vi. D. de iudiciis. CAP. XV.

QVod dicitur, mota controuersia proprietatis & possessionis prius de possessione, quàm de proprietate cognoscendum esse, malè nostri interpretes probari putant eo quod refertur Adrianũ Pium nõ modò rescripsisse, sed etiam decreuisse in l. si de vi. D. de iudic. l. 5. D. ad leg. Iul. de vi pub. *Si de vi,* inquit, *& possessione quæratur.* De vi quæritur duobus modis, ciuiliter & criminaliter. Ciuiliter, per interdictum Vnde vi: Criminaliter legibus Iuliis. l. 1. §. 1. E D. vnde vi. l. 4. C. eod. l. 1. C. quan. ciui. act. Cùm de vi ciuiliter quæritur, & de possessione restituenda quæritur. Est igitur de vi & de possessione tunc vna eademq; quæstio. Cùm de vi criminaliter quæritur, diuersæ sunt quæstiones. Nec enim quidquam possessorium iudicium cum criminali commune habet. l. si quis. C. ad leg. Iul. de vi. Proinde in l. si de vi, fingendum non est de vi ciuiliter quæri, quandoquidem separat in ea Callistratus vim à possessione, & duas quæstiones facit, vnam de vi, alteram de possessione, cui adiungit Martianus in d. l. 5. vel de dominio. Fingendum igitur de vi criminaliter quæri, de proprietate vel de possessione ciuiliter. quod & legum ambarum inscriptiones suadent. Vna est ex Callistrati V. de cognitionibus, Altera ex Martiani IIII. In-F stitutionum, qui libri, vt ex indice Labitti nostri viri optimi & doctissimi constat, omnino ad res criminales spectant. Restat in eis legibus non hoc proponi, prius esse cognoscendum de possessione, quàm de proprietate, sed de ipso vis crimine, quàm vel de proprietate vel de possessione. Maiorem quæstionem minori præferri, quod sæpæ aliàs fit. l. vlt. C. de ord. cog. Ceterùm pugnat valde cum ea sententia l. 1. C. de appel. l. si quis. C. ad l. Iul. de vi. & fateri cogimur ita quondam rescripsisse & decreuisse Pium, idq; tantummodo à Callistrato & Martiano referri. Nihil verò ab ipsis disputari ea de re atque concludi. Posteriores constitutiones esse sequendas, atque his similia quædam annotauimus in l. 5. D. qui testa. fac. poss.

G

De Vicesima hereditatum locus. CAP. XVI.

SCio multa esse in Pandectis vexata ab interpretibus, quæ nisi ex iure antiquo repetita interpretatione nunquam quisquam liquidò explicaturus est, præsertim in libris de legatis, & vnum inter cetera in l. cum filiof. De leg. 1. quod etiam

si indicaui vix vlli occurret, nisi iuris antiqui peritissimo. Sed hoc nolo. Est aliud in l. filiusf. §. Diui. 2. eod. tit. quod explicare decreui. Vt ante Iustiniani Nouellam 119. præceptum testatoris alienationem prohibētis non erat fraudi heredi quominus quartam detraheret ex lege Falcidia, vt non est fraudi creditoribus quominus pignora distrahant, ita fisco non est fraudi quominus detrahat vicesimam ex lege Iulia. Bonorum alienatione vetita excipiuntur pignora, excipitur vicesima. & hoc est quod ait in eo §. nec creditoribus ea præcepta testatorum, nec fisco fraudi esse, ab interpretibus malè perceptum. Excipiebatur & Falcidia, quæ tamen hodie cùm possit prohiberi, & prohibitione illa comprehenditur. De vicesima scripsi in sententiis receptis Pauli. A

De interdictis, edictis, actionibus. CAP. XVII. B

INterdicta etiam decreta vocantur §. sunt autem. Instit. de interd. l. 1. D. de tab. exhib. M. Tullius pro Cecinna. *Nego me ex decreto prætoris restitutum esse.* & paulò pòst. *Non sum ex decreto restitutus.* Actionis quoque verbo interdicta continentur. l. actionis. D. de obl. & act. l. 3. D. de mor. inf. l. ob id. §. vlt. D. ad l. Aq. Idem Tullius in eadem oratione. *Hanc puto me habere actionem vt per interdictum meum ius teneam.* & infrà, *Vtrùm hanc actionem habetis qua nos vsi sumus.* & infrà, *Huiusce generis vna est actio per hoc interdictum quo nos vsi sumus.* & paulò pòst coniunctim, *Huius rei interdictum atque actionem.* Ergo interdictum actio est. Actio formula quædam prætoria. Interdictum quoque formula est siue ὁμιλία, vt Theophilus ait §. 1. & §. pen. de interd. id est, sermo siue effatum quoddam prætoris. Vtrunque in albo proponitur. l. 1. C. de interd. Vt interdictum non tantùm de possessione editur vel quasi possessione, sed & de proprietate interdictum & quasi proprietate. l. 2. §. quædam. D. eod. Sic actio non tantùm de proprietate vel quasi, sed & de possessione potest esse, vt condictio incerti per quam possessio condicitur. l. 2. D. de condict. trit. l. heres. D. ad Treb. Non omnis tamen actio interdictum est. Hinc quæritur quid interdictum distet ab actione, quæ interdictum non est. Ego qua consueui breuitate vtar, summa differētia hæc est, Interdicti & actionis ordinem, solemnitatem, executionem, formulam esse diuersam, effectum eundem. Quod exemplis comprobari facilè potest. Possessionem repetimus per interdictum vnde vi, aut per condictionem incerti. l. 1. §. restituere. D. vti poss. l. vlt. C. de actio. emp. Vtriusque idem est effectus. Tam enim per condictionem, quàm per interdictum possessionem qui agit, adsequitur. Ordo & formula diuersa est. Ad interdictum ibatur vi & deductione quadam moribus facta, aduocatis amicis in rem præsentem, vt constat ex oratione pro Cecinna, quæ obseruatio & diligentia nulla erat in condictione incerti. Interdicti formula hæc erat, VNDE TV ILLVM VI DEIECISTI EO RESTITVAS. Actionis hæc, SI PARET ILLVM ILLI PER VIM POSSESSIONEM ABSTVLISSE NEQVE RESTITVETVR L. TITIVS IVDEX ESTO. Ceterùm vtraque actio penitus est in personam. Quod non ita contingit semper. Nam interdicta omnia vi ipsa personalia sunt, licet quandoq; non in personam, sed in rem scribantur. l. 1. §. pen. D. de interd. Actiones aliæ in rem, aliæ in personam, aliæ vi & scriptura sunt eiusmodi, aliæ vi tantùm non scriptura, vt Quod metus causa, quam tamen si malit actor in personam scribere, non prohibebitur, licet contra illas quæ in personam scribi solent, vtique semper necesse sit ita scribi. Sequuntur alia exempla. De arboribus cædendis est interdictum, est & actio ex XII. eiusdem potestatis, non eiusdem ordinis & formæ. De precario est interdictum, est & condictio incerti. Vtriusq; finis & effectus idem, ratio agendi diuersa. De reuocandis iis quæ in fraudem creditorum gesta sunt, est actio in factum siue Pauliana, quæ proponitur in l. 1. D. quæ in fraud. cred. & interdictum fraudatorium, quod proponitur in l. ait prætor. eod. tit. vbi quod subiicitur de actione in factum causa cognita in ignorantem danda, referri oportet ad actionem Paulianam priore loco propositam. Vtriusque verò idem fere est effectus, executio non est eadem. De tabulis proferendis heredi interdictum datur. datur & actio ad exhibendum. Idem vtraque consequitur, non eodem tamen ordine. De executione interdictorum eleganter Aggenus Vrbicus libro secundo (edito integriorem intelligo) ita scribit. *De loco si possessio petenti firma est etiam interdicere licet, dum cetera ex interdicto diligenter agantur. Magna enim alea est litem ad interdictum deducere, cuius est executio*

perpl

A *perplexissima. Si verò possessio minus firma est mutata formula iure Quiritium peti debet proprietas loci.* Illa verborum differentia, cui causam dat varietas illa formularum, omittenda non est. Interdicere commune esse prætoris & actoris. Agere actoris proprium. Prætorem qui interdictum dat, interdicere. Prætorem qui actionem dat, non agere. Nunc de eo videamus quod interpretes quærunt, qua re distet edictum ab interdicto. Id quæri censeo perquàm inscitè. Cur enim de edicto & actione idem non quærunt? Vt actiones edicto promittuntur, sic & interdicta, nempe his verbis, Interdicam, Decreto comprehendam, Interdictum dabo, Iudicium dabo, & inde Paulus
B IIII. Sent. Edicto, inquit, perpetuo cauetur, vt interdicto reddito agi possit. Is verò in quem ex edicto interdicitur si rem velit defendere, de ea iudex sumitur, cuius arbitratu absolutio vel condemnatio fit. Quòd si rem non defendat, in bona eius itur. Vnus est locus in Pandectis, in quo malim pro, Interdictum, legere, Edictum. Neque enim puto his auctores abuti vocabulis. Locus ille est in l. prætor ait. §. 1. D. de no. op. nunc. in quo interdictũ, quod ex noui operis nunciatione competit, cuius hæc est formula, QVOD ADVERSVS EDICTVM FACTVM SIT, vti cõstat ex l. 5. §. si quis, forte. l. si opus. l. ædibus. l. pen. l. vlt. D. eo. Quòd aduersus interdictum factum sit competere dicitur, cur ex tot locis vnus ille non emendabitur? Similis error aliàs insedit in l. 1.
C §. 1. D. ne vis fiat ei qui in poss. & l. 2. C. quor. bon. & l 1. §. annus. D. vnde vi. Deniq; vt contra actionem facere, sic contra interdictum facere vix credam rectè dici. Extremum illud est vt moneamus ordinem actionum & interdictorum hodie esse sublatum. Erant hæc duo remedia ordinarij iuris. Inde Frontinus, *De possessione*, inquit, *per interdictum, id est, iure ordinario litigatur.* Et Spartianus in Percennio, de imperio cum Seuero Iulianum egisse ex interdicto vti possidetis, vt iure scilicet ordinario ad principatum peruenisse videretur. Tribuuntur interdicta iuri prætorio verè. At Petronius Arbiter in Satyrico, *Dixi*, inquit, *iure ciuili dimicandum, vt si nollet alienam rem*
D *domino reddere, ad interdictum veniret.* Ius ciuile pro prætoris ordinario iure vsurpat: vt M. Tullius pro Cecinna, *Quid denique ad ius ciuile*, inquit, *aut ad actoris notionem & animaduersionem?* Dixi interdictorum hodie nullum ordinem esse. Hoc igitur dixi de possessione & ceteris causis quæ interdictis continentur, hodie per formulam & veteri more non disceptari sed extra ordinem, non directò, sed vtiliter, non recto interdicto, sed quasi interdicto siue exemplo interdicti. l. 2. & 4. C. vnde vi. l. vlt. C. de lib. exh. id est, actione vtili, extraordinaria, in factum. §. vlt. inst. de interd. Inde titulus lib. 43. Pandectarum sic est à Triboniano conceptus, De interdictis siue extraordina-
E riis actionibus, quæ pro iis competunt. Addidit Tribonianus illa, *Siue extraordinariis*, quæ absunt ab indice titulorum præposito Pandectis Florentinis. Et verò earum actionum in Pandectis nusquam fit mentio, id'que solùm in eis proditum est ex causa interdicti de migrando, inquilino extra ordinem subueniri. l. 1. D. de migr. ac de eis malè fuit semper acceptus §. nonnulli. l. prætor ait. D. de no. op. nunc. Nec enim versus ille diuelli debuit ab eo §. qui præcedit, in quo an interdictum, Quod aduersus edictum factum sit, detur aduersus heredem eius qui fecit quæritur, & relata sententia Labeonis, subiicitur (Sic Flor. scriptum ἐλλειπτικῶς) *Nonnulli putant in factum esse dandam quàm interdictum*, quod verum est. Verum est igitur heredem eius qui contra nun-
F ciationem fecit, in factum potius teneri, quàm interdicto illo restitutorio, quod ex noui operis nunciatione reddi solet. Neque enim heres qui nihil fecit, opus restituere & in pœnam defuncti succedere debet. l. pen. D. eod. tit. Ergo propriè interdicto restitutorio non tenetur, sed in factum actione ob rationem calculi & indemnitatis, vt scilicet eius quod ad eum peruenit ratio subducatur. & ita in heredem eius qui dolum malum aut vim adhibuit, in factum potius, quàm de dolo actionem vel interdictum vnde vi dari constat. At de illis extraordinariis actionibus quæ instar interdictorum dantur, agunt Imperatores in l. vlt. C. de interd. dum ruptis veteribus ambagibus, id est, misso
G veteri ordine, actionem vtilem quæ pro interdicto competit, vt puta actionem vnde vi, statim esse proponendam aiunt, & ideo in l. pen. eod. cùm dixissent de possessione agi competentibus actionibus, id mox ita explicant, vt non interdictis agatur sublato iam iudiciorum ordine, sed actionibus institutis ad exemplum & similitudinem interdictorum. Hæc habui de interdictis, in quibus ad cognoscenda interdictorum iura viam sibi quisque munire facilè potest.

De vi vlciscenda & defendenda. CAP. XVIII. A

VT contra vim vi experiri, & arma armis propulsare liceat iure omni comparatum est, naturali, gentium, & ciuili. Noti sunt auctorum cùm nostrorum, tum exterorum loci. Id verò fieri debet non supra modum, sed cum modo æquo & pari, vel vt est scriptum in l. 1. C. vnde vi, cum moderatione inculpatæ tutelæ, id est, cum defensione æquabili & remota ab omni culpa. Est igitur modus aliquis propulsandæ vis, qui tunc maximè seruatur, cùm eam defendendo propulsamus, id est, quatenus nostri nostrorum'ue tuitio exigit, non vlciscendo. Vim manu & viribus defendere licet. vlcisci non licet nisi legitimis actionibus. l. scientiam. §. qui B cùm aliter. D. ad leg. Aquil. Ideoq; possessionem mihi per vim ereptam confestim vi repetere possum non ex interuallo. Confestim, id est, inlico, in ipsa concertatione atq; congressu. l. 3. §. eum igitur. D. vnde vi. Quæ enim ex interuallo vis infertur, cogitatè infertur, nec tam ad defensionem, quàm ad vltionem spectat, & ob id in lege quoque Atheniensium de vi & contumelia propulsanda apud Demosthenem additur articulus, εὐθὺς. Theodorus Hermopolites ad l. 12. D. quod met. cau. τὸ παραχρῆμα ἐντὸς δύο νόει ὡρῶν. Quod sumpsit ex contextu lib. 60. Βασιλικῶν tit. 17. cap. 9. in quo ita est: εὐθὺς ἢ μὴν τοι μετὰ διωρίαν. Idem & ad l. scientiam. D. ad leg. Aquil. Græci ex eodem loco C notarunt.

Ad l. 2. C. de interdictis. CAP. XVIIII.

CVm l. 2. C. de interd. coniungenda est l. 1. C. vbi de hered. agit. vtriusque eadem est inscriptio & subscriptio. Est namque in l. 1. vt veteres libri docent, pro *Messalæ*, legendum *Messiæ*. Sensus quoque vtriusque congruit & cohæret satis. Si sit controuersia de hereditate inter institutos & legitimos vel substitutos, instituti rectè desiderãt se interim mitti in possessionẽ rerum hereditariarum ex edicto D. Adriani. Id verò desiderant à præside eius prouinciæ in qua sunt res hereditariæ. Tum de hereditate litigant apud eundẽ, si & in ea prouincia is D cum quo agitur, degat. Alioquin domicilium sequuntur rei. Nam præses de hereditate atque adeò de proprietatę, de iure, non potest cognoscere in eum, qui eiusdem prouinciæ non est. Hæc l. 1. Additur in l. 2. ne ex interdicto quidem, id est, de possessione præsidi in eum cognitionem dari, qui eiusdem prouinciæ non est. Grauior est proprietatis quàm possessionis quæstio. & possessio quæ addicitur, plerunque momentaria. Proprietatis ius perpetuariũ. Vt tamen de proprietate, ita de possessione non cognoscet præses in eum qui eiusdem prouinciæ non est. In d. l. 2. *ex interdicto*, sic interpretor, De possessione. Plerumq; enim interdicta sunt de possessione vel quasi. Pauca E quædam de proprietate & iure: vt interdictum De itinere actuq; reficiendo, in quo vt in actione confessoria docere de iure actor debet, & De aqua castellaria, in quo etiam ius aquæ adsignatum esse probari necesse est, & De arboribus cædendis, quod non datur nisi proprietatis aut fructus domino, certè non est de possessione, & De mortuo inferendo in locum purum. Nec mirum si sint quædam interdicta rei familiaris causa prodita de proprietate. Nam & diuini iuris sunt quædam de quasi proprietate, veluti De mortuo inferendo in sepulchrum quod quasi meum est, & ea etiam quæ ad suum ius tuendum pertinent, veluti de liberis aut libertis exhibendis, qui quodammodo mei F sunt. l. 2. §. quædam. D. de interd. Et hæc quidem totam litem finiunt, nec vllam alteri præstruunt viam. Huius generis interdicto finitur totum. Sic legendum in l. 1. §. vlt. D. de aqua quot. & æst. Illa quæ sunt de possessione vel quasi possessione præparatoria sunt, vbi desierũt, incipit secunda actio. l. vlt. C. quo. bon. quæ & principalis actio dicitur in l. nulli. C. de iudic. l. si quis. C. ad leg. Iul. de vi. l. 1. C. Th. vnde vi, & apud Cassiodorum IIII. Variar. *Si partibus vestris in causa momentaria vel principali iustitiam adesse cognoscitis.* Sic legendum.

Indicatur Triboniani facinus quoddam in tit. Vnde vi. CAP. XX.

INterdictum De vi armata annuum non fuisse, sicut interdictum quotidia- G num vnde vi, M. Tullius his verbis significat xv. Epist. ad Cassium. *Postulabimus ex qua hæresi vi hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare.* In hoc interdicto non solet addi, In hoc anno. Quare si iam biennium aut
trien

A triennium est cùm virtuti nuntium remisisti, delinitus illecebris voluptatis, in integro res nobis erit. At Tribonianus qui & cetera quibus inter se ea interdicta dubitabant omisit aut confudit, in l. 3. D. vnde vi. cuius prior pars est de interdicto De vi armata, posterior de interdicto fructuario, ad finem prioris cùm ita duntaxat scripsisset Vlpianus, *Et post annum redditur,* adiecit ille, quantum auguror coniectura, *In id quod peruenit ad eum qui prohibuit.* ineleganter. Debuit enim dicere si idem illius interdicti & quotidiani voluit esse ius, *In id quod peruenit ad eum qui armis deiecit.* Verbum enim *Prohibuit*, vnum tantùm casum complectitur, Si venientem in possessionem armis
B prohibuit. d.l. 3. §.si autem. Tum verò non scripsisset Vlpianus interdictum de vi armata post annum reddi in id quod peruenit, quin prius annotasset id intra annum dari, sicut de interdicto vnde vi scripsit in l. 1. post cuius tractationem, sumpto interdicto De vi armata, id tantùm ad differentiam superioris interdicti adscripsit, *Hoc post annum reddi*, vt de interdicto precario scriptum est in l. quæsitum. §. pen. D. de preca. Est & tertium interdictum restitutorium de clandestina possessione. l. 7. §. Iulianus. D. com. diuid. De quo non agitur lib. 43. Digestorum, quod exemplo interdicti vnde vi, in possessorem perpetuum, in eum qui clam, etiam si sine dolo & culpa desiit possidere, annuum esse reor. Tribus modis mala fide aliquid possidetur, vi, clam, precario, eorumq;
C nomine tria interdicta sunt, De vi, De precario, De clandestina possessione.

Indicatur lex quædam XII. *tab. De duplis fructibus.* CAP. XXI.

PRædo ex eo die quo rem alienam inuasit, fructus præstat non tantùm quos vel inhoneste percepit, sed & quos vetus possessor honeste percipere potuit. l. 1. §. ex die. D. vnde vi. Is verò qui rem alienã simpliciter tenet nec conuentus reddit, & generaliter in ceteris causis possessor rei alienæ, ex eo tantùm die fructus præstat, quo res in iudicium deducta est. Qua de re scripsimus Obser.
D IIII. cap. XI. vterque autem olim duplos fructus præstabat, vt constat ex l. 1. C. Th. de fruct. & lit. exp. & Ambrosij Epistola 24. Quod ex vetustiore iure manare, quàm Codice Theodosiano ex eo intelligitur, quod de iis fructibus duplis Paulus scribat lib. 5. sent. tit. 9. & quod Petro Pitheo viro eruditissimo acceptum fero, ij sint qui ab Vlpiano maiores fructus dicuntur in l. 6. §. vlt. D. mand. Ac sanè id ex XII. tab. originem duxisse puto. Hæc enim verba XII. tab. leguntur in Festo: SI VINDICIAM FALSAM TVLIT ... SI VELIT IS, ARBITROS TRES DATO. EORVM ARBITRII FRVCTVS DVPLIONE DAMNVM DECIDITO. Quæ sic restituenda videntur. SI VINDICIAM FALSAM TVLIT, REI SIVE LITIS, ARBITROS TRES
E DATO. EORVM ARBITRII FRVCTVS DVPLIONE DAMNVM DECIDITO. Ex his verbis liquidò constat, etiam illo spatio minimè impleto, de duplis fructibus actionem esse ex XII. tab. in eum qui rem alienam sibi falsò adseruit & vindicauit. Illud quoque ex eis discimus, quod in legitimis actionibus scribi solebat, QVAM REM SIVE LITEM, auctore Varrone, id sumptum fuisse ex XII. tab. Quod verò de tribus arbitris dandis scribitur, valde congruit cum eo quod M. Tullius in hunc modum scribit 1. de legib. *Nec Mamilia lege singuli, sed ex* XII. *tres arbitri fineis regemus.* Sic legendum, vulgò malè alij, *Sed nos*, Alij, *Sed ex his.* Sicut & lib. 2. alij, vt in ve-
F teribus his sacratisq; legibus, *Alij*, vt in veteribus ex his: cùm sit legendum, *Vt in veteribus* XII. *sacratisq; legibus.* Ergo & in actione finium regundorum, quæ vindicationi cohæret. l. 3. C. fin. reg. tres arbitri sumuntur ex XII. tabulis.

De interdicto Vti possidetis. CAP. XXII.

INterdicti vti possidetis hæc ex Aelio Gallo verba prodidit Festus, *Vti nunc possidetis eum fundum quo de agitur, quod nec vi nec clam nec precario alter ab altero possidetis, ita possideatis: aduersus ea vim fieri veto. Nunc*, inquit, id est, tempore editi interdicti. & sic in l. 3. §. Labeo. D. vti possid. hæc hu-
G ius interdicti formula proponitur, *Sicuti nunc possidetis eas ædes ex quibus proiectum est*, & in l. 1. D. de interd. hoc interdictum in præsens tempus referri dicitur. In idem tempus hodie refertur interdictum vtrubi, quod est de rebus mobilibus. Id & vtribi dixeris rectè, vt Næuius in Tarentilla, & vtrobi, vt Cato pro Lusitanis apud Charisium.

Sunt verò in vtroque indiscretæ partes actoris & rei, cùm tamen in aliis soleat prætor singulari, non duplici sermone vti, ex quo fit vt sint illa simplicia, hæc duplicia. Vincit autem vtroque alteruter, aut neuter. Ac siquidem alterum possedisse iusta ex causa, alterum non possedisse liqueat, possessor vincet. Si vtrumque, veluti iustè vnum, iniustè alterum, secundum Trebatij sententiam, qui hoc modo duos insolidum possessores constituebat, quod & similiter in precarij rogatore & rogato domino Sabinus admittebat. l. 3. §. ex contrario. D. de adq. poss. cuius opinionis vestigium quod restat dissimulare non possumus in l. & habet. §. eum qui. D. de preca. Est enim ex libris Pomponij ad Sabinum. Igitur licet, si verum presius intueamur, duos placeat magis pro solido eandem rem possidere non posse, si tamen ex illorum sententia duos in solidum proponamus possidere (erit hæc suppositio potius quàm propositio) vt si ponam me animo possidere iusta ex causa, te vi aut clam, si à me possides, ego te vincam, quia possessionem tuam aduersum me nemo tuebitur, meam tuebitur iudex quilibet, qui vel ob id semper pro possessore habeor, quòd de reciperanda possessione mihi interdictum competat. l. si quis vi. D. de acq. poss. Similiter si à me precario possides, ego vincam te. l. qui precario. D. de precario. l. 1. §. vlt. D. vti possid. Quòd si ab alio ita possides, vtrumque prætor tuebitur: proinde neuter vincet, neuter vincetur. Vitiosam ergo possessionem aduersus extraneum prætor tuetur. l. vlt. D. de acq. poss. & in summa hoc interdicto prætor possessorem vel possessores tuetur, dummodo alter ab altero nec vi, nec clam, nec precario possideat. Is verò qui non possidet, nihil hoc interdicto prorsus adsequitur: vt creditor in possessionem missus. l. 3. §. creditores. D. vti poss. l. 9. D. de rei vind. Quamobrem non probo quod scriptum est in d. l. 3. §. item videamus si proiectio, tam ei qui ex suis ædibus proiecit in vicini solum, quàm vicino inutile interdictum esse. Cùm enim hæc subiiciatur ratio, *quia vterque possidet*, necesse est vt antè fuerit scriptum, vtrique vtile interdictum esse, id est, efficax, vt d. l. 3. §. si vicinus. Et verò confirmatione ea quæ sequitur ex Labeone, qui tamen non eiusdem est familiæ cuius fuit Cassius, ex quo illud refertur, id ita planè enucleatur. Labeo enim facta ex meis ædibus in tuas proiectione, vtrique interdictum dat. Sunt eo loci hæc verba pro interdicti formula accipienda, *Si eum locum possideamus qui proiecto tegitur, sicuti nunc possidetis eas ædes ex quibus proiectum est:* vt in l. 3. §. si quis ex mandato. D. de itin. actuq; pri. *Vt ille visus est qui mandato meo emit:* quod pauci animaduertunt.

A B C D

Interdicturos vtrubi, agere ad exhibendum. CAP. XXIII.

PLerumque vindicaturi ad exhibendum agunt. l. 1. D. ad exhib. Nonnunquam interdicturi. l. 3. §. sed & si quis interdicturus. §. si meum. D. eod. At quo interdicto? Si dixeris, Precario, vt interpres, somnianti similis videbere. Quid extra interpretem alij dixerint nescio, nec sum admodum solicitus. Quid sit dicendum scio. Formula ad exhibendum agit qui rem suam esse, vsumfructum suum esse, ius pignoris suum esse affirmat. Similiter & qui possessionem suam esse affirmat. l. 3. § Pomponius. D. eod. Hoc verò nec actione affirmatur, nec alio interdicto, quàm vti possidetis vel vtrubi. Festus: *In legitimis*, inquit, *actionibus nemo ex iis qui* (deest verbum, possident) *possessionem suam vocare audet, sed ad interdictum venit, vt Prætor iis verbis vtatur, vti nunc possidetis*. quæ verba retulimus cap. 16. ex quibus colligitur eum qui agit vti possidetis possessionem suam vocare, & consequenter eum qui agit vtrubi, quod est eiusdem naturæ & potestatis. Atque ideo possessione euicta, verum est de euictione actionem competere, quæ non competit nisi vindicationis specie euictum sit. l. 38. §. si quis fortè. D. de verb. obl. Ad exhibendum igitur is tantùm ob possessionis causam agit qui eam suam esse contendit, vt est scriptum in d. §. Pomponius, id est, qui acturus est vtrubi. Nam præparare actio ad exhibendum, quæ est de rebus mobilibus, interdictum vti possidetis, quod est de immobilibus, non potest. Denique aut propter in rem actionem illa actio datur, aut propter interdictum vtrubi.

E F G

De interdicto Saluiano. CAP. XXIIII.

ADuersus extraneum Saluianum interdictum non dari Imp. Gordianus rescripsit in l. 1. C. de preca. Contrà Iulianus in principio l. 1. & in eiusdem legis §. 1. D. de

Sal.

A Sal.interd.aduersus extraneum Saluianum dari rescripsit. Gordianus de interdicto loquitur quod omnimodo est in personam. Iulianus de vtili, cuius verba in rem scribantur: *Vtile*, inquit, *interdictum reddi oportet*, verbis scilicet in rem scriptis. Est alia quædam in eo tractatu longè obscurior quæstio, an inter ipsos quibus eadem res obligata est, reddito Saluiano aut Seruiano iudicio, possessor vincat: quam nemo quod sciam dilucidè adhuc exposuit. Ego verò animaduerti l.vlt. D.de Sal.interd. coniungendam esse cum extremo l.si debitor. D.de pign. Vt enim hæc est ex LXXIII. Vlpiani ad edictum, sic & illa, non si sequamur Florentinam scripturam quæ hac in parte B vitiosa est, sed si sequamur alios libros scriptos quos habeo, & ipsum ordinem edictorum. Quæstionem verò ita dirimendam. Aut duobus eadem res insolidum obligata est, aut pro partibus. Si insolidum, aduersus extraneos singuli Saluianum & Seruianam habent, inter quos possessor vincit. Ita de Saluiano Iulianus scripsit in l.1. D.de Saluia. interd. Sed de Seruiana quoque idem eum scripsisse reor, quandoquidem de Seruiana idem eisdem omnino verbis Vlpianus scripsit in l.si debitor. D.de pignor. idq;, vt opinor, ex eo Iuliani libro. Sed Tribonianus posito titulo de Saluiano interdicto, Saluiani nomen retinuit, Seruianæ circumscripsit, non tamen ita accuratè, vt non resideat adhuc Seruianæ actionis mentio. Quod enim Iulianus, *Vtilis actio & aduersus extra-* C *neos & inter ipsos dari debebit*, non vtile interdictum significat, sed Seruianam, quæ & vtilis Seruiana dicitur, id est, generalem formulam hypothecariam, vt in d.l.si debitor. Igitur si duobus res sit obligata pro partibus, actione Seruiana inter ipsos reddita, dimidia pars possessionis auocabitur, sed non (vt hanc persecutus speciem Vlpianus scripsit in d.l.vlt.) interdicto Saluiano, quoniam in interdicto Saluiano de solida possessione agitur non quæsito partium iure, cuius cùm sit par causa, vincere possessor debet. In Seruiana de iure quæritur. Ius autem pignoris singulis pro parte competit. Hoc igitur iure probato, possessionis pars dimidia auocabitur. Sic fit vt qui vincit in D Saluiano, non vincat in Seruiana. His cupio adiungi quæ de Saluiano interdicto scripsimus lib. 5. Sent. Pauli tit.de interdictis, vt sit hic tractatus vsquequaque perfectus, in quo exequendo dici non potest quanta sit Doctorum ἀμηχανία.

Index & quod dicitur, per indicem. CAP. XXV.

QVod summatim & παχυμερῶς exponitur, id prouerbiali sermone quasi per indicem exponi dicitur: quo vsus est Asconius in III. contra Verrem. *Antequam*, inquit, *causa ageretur quasi per indicem rem exponebant*: & Iustinianus in l.1. §.nostram. C.de vet.iur.enucl. & §.vlt. De publ.iud. *Vt* E *vobis*, inquit, *possibile sit quasi per indicem ea tetigisse*, quod ita græcè Theophilus interpretatus est, διὰ συντόμου παραδόσεως. rectè. Eodem mihi videtur Gregorius Nazianzenus vti, & pro indicem στηλογραφίαν dicere in priore stelitеutice. Verba eius hæc sunt. οὐ γὰρ ἡμῖν γε σχολὴ, μακρότερα τῆς παρούσης ὑποθέσεως ῥαψῳδεῖν, αὐτοὶ δὲ ὀλίγα ἐκ πολλῶν διελθόντες, στηλογραφίαν ὥσπερ τινὰ τοῖς μεθ᾽ ἡμᾶς καταλείψομεν. Index igitur est ex latiori scriptura breuis subnotatio quædam, nec idem quod exemplum. l.2. D.de fid. instr. Exemplum enim ex integro describitur totum. Puto etiam indicem siue libellum, periculum appellari. nam quod in Apophth. Plutarchus στήλην, Aemilius Probus in Epa- F minonda periculum vocat: vt in tit. Codicis De sententiis ex periculo recitandis. Cicero 1.de legib. *Qui in isto periculo non vt à poëta veritatem exigunt.* & in frumentaria, *Pericula magistratuum.* & in antiquiss. libro notarum quem habemus, eæ ita iunguntur D.P. De periculo. D.L. De libello.

Explicatur l. Marcellus. D. de don. inter vir. & vxo. & l.1. C. de ædif. priuat. CAP. XXVI.

DElеantur omnia quæ Accursius scribit ad l.Marcellus. D.de don.inter vir. & vxo. & eius species repetatur ex l.senatus. §.Marcellus. D.de leg.1. vbi G fusius & dilucidius exposita est. Cùm verò ea sit à Marcello tractata libro VII. Digestorum, in quo is plurima scripsit de donationibus inter virum & vxorem, vt constat ex l.5. §.vlt. l.7. §.j. l.49. D.eod.tit. eamq; Marcelli sententiam Tribonianus sub eum titulum posuerit, si quæratur quid ad eum titulum pertineat, dicam

cam maritum qui quid suo sumptu in re mulieris ædificat, donare videri, quandoquidem ædificium cedit solo. Sed cùm placeat donata posse reuocari, an & id ædificium reuocare & tollere, ex eo've quid detrahere poßit quæritur. Mouet dubitationem s.c. quod factum est D. Adriani temporibus Acilio Auiola, & Corelio Pansa Coss. At Marcellus negat locum esse s.c. Ea namque non promercij, sed vsus sui causa maritus detrahit, sine tamen mulieris damno, id est, illæsa re mulieris, vt & in specie l. Iulianus. D. de rei vind. quæ illi l. Marcellus, vel inscriptionum argumento adiungenda est. De illo autem s.c. qui accipiunt l. 2. C. de ædif. priu. non animaduertunt id non bene cohærere cum verbis quæ præcedũt. *Edicto*, inquit, *Diui Vespasiani & Senatusconsulto.* B Ergo non Aciliano s.c. sed s.c. subsecuto edictum Vespasiani. Edicta namq; Senatusconsultis confirmari solebãt. l. I. D. in qui. cau. pig. vel hyp. tac. cont. adhibita l. si ventri. §. I. D. de bon. auct. iud. poss. quod & tradidi Obs. I. cap. 18. Malo errorem esse in nomine Imperatoris dicere. Est enim in propriis nominibus memoriæ lapsus frequentißimus. Nam & quod in ea l. 2. exceptum fuisse dicitur, id s.c. illo quod auctore Adriano factum est, proculdubio exceptum fuit. l. cetera. §. item quæri. D. de leg. I. Quod item additur, ædes integras dirui non posse materiæ in alias ædes proprias transferendæ causa, id Spartianus Adriano tribuit. Verùm vtrisque saluis, ab ædibus in alias ædes, etiam si in alia ciuitate sint, iure materiam transferri placet. d. l. cetera. §. sed & si quis. C Idem verò error fuisse videtur in nomine Vespasiani l. Diuus. D. de iure pat. cùm sit verisimile Adrianum libertatis auctorem fuisse tam manus iniectione non seruata, quàm seruata.

Explicatur l. 3. §. si vicinus. D. vti poßid. CAP. XXVII.

VLpiani in l. 3. §. si vicinus. D. vti posid. verba hæc sunt: *Si vicinus meus in parte mea tectoria habeat & in parte sua, Vti poßidetis interdictum mihi efficax est vt ea tollere compellatur.* Quo loco de cõmuni pariete agit quem D vicinus ex vtraque parte opere tectorio exornarit. Ait enim, *In parte mea, & in parte sua*, id est, vt Harmenopulus loquitur, εἰς τὰ ἑαυτοῦ μέρη τοῦ ἐπικοίνου τοίχου lib. 2. tit. περὶ χτισηκείων. Quia verò dum non ex sua tantùm, sed etiam ex mea parte cum exornat, vsurpare sibi totius parietis possessionem videtur, ideo placuit mihi in hoc dari interdictũ Vti posidetis, vt ea ornamenta tollat. Quæ sententia his verbis exprimitur LVIII. βασιλικῶν tit. 17. Εἰ ὁ γείτων μου ἐν τῷ τοίχῳ μου κονιάματα ἤτοι ζωγραφίας ἔχει, καλῶς κινῶ ἵνα ταῦτα ἀφέλῃ. Daretur & communis parietis nomine interdictum Vti posidetis, si quis eum me ex mea parte exornare vel reficere prohiberet. l. si ædes. E D. com. diuid.

Emendatur §. si in sortem. l. solutum. D. de pign. act. CAP. XXVII.

SOrtis & vsurarum ratio inter cetera vel in eo diuersa est, quòd propter sortem chirographariam pignus retineri potest per exceptionem doli, vt est constitutum in tit. etiam ob chirog. pec. pig. Propter vsuras chirographarias non item. l. 4. C. de vsur. Tunc verò vsuræ sunt chirographariæ, cùm pignus contractum est in sortem duntaxat. Nam hæc taxatio si defuerit, & in vsuras tacitè pignus contractum videri Harmenopulus existimat, qui eleganter ad senten- F tiam l. si necessarias. §. vlt. D. de pig. actio. hæc adiicit: τὸ γὰρ ἐνέχυρον τὸ ὑπὸ τὸ κεφάλαιον ὑποτεθὲν, σιωπηρῶς καὶ ὑπὸ τοῖς τόκοις ὑπόκειται. At quod diximus ob sortem chirographariam pignus teneri posse, pugnat cum eo apertißimè l. si necessarias. §. si in sortem. D. de pig. actio. *Si in sortem*, inquit, *duntaxat vel in vsuras obstrictum est pignus, eo soluto propter quod obligatum est, locum habet pigneratitia.* Certum hoc est, si in sortem duntaxat. d. l. 4. At si in vsuras duntaxat, incertum aut protinus falsum. Ita censeo. Ideoq; sic lego, *Si in sortem duntaxat nec in vsuras.* Nam & confestim è diuerso ponitur, *Si tamen pignus & in eas obligatum fuerit:* & idem omnino est eius §. tractatus, G qui suprà dictæ legis IIII.

Harmenopuli locus de directa vindicatione & de l. res quæ. D. de iur. dot. & prædiatoribus. CAP. XXVIIII.

Harm

A HArmenopulus lib.4.Epitomarum tit. περὶ προτιμήσεως προικὸς, rei ex pecunia dotali emptæ directam vindicationem vxori dat. At enim vtilis est: quia & rem eam non dotalem esse, sed videri traditur in l.res quæ. D.de iure dot.& generaliter mihi quidem liquet, rei ex pecunia nostra comparatæ, si emptor soluendo non sit, non nisi vtilem vindicationem dari. l.vxor marito. D.de don.inter vir.& vxo. sicut pecuniæ nostræ, quam quis suo nomine crediderit, si is soluendo non sit, & pecunia bona fide consumpta sit,non nisi vtilis nobis condictio datur, arg.l.4.C.si cer.pet.l.si me & Titium.D.eod. Verùm triplex est vindicatio, proprietatis, seruitutis, pignoris. l.3. §.est autem.§.Pomp.D.ad exhib. Proprietatis vindicatio etiam si ea vtiliter experiamur, respectu ceterarum directa est, ideoq; eam Harmenopulus conferens cum hypothecaria,quæ vxori in ceteris mariti bonis competit, non malè directam appellauit.Hæc enim propriè vindicatio est,ceteræ quasi vindicationes. Id verò totum quod eo loco Harmenopulus tradit de l.res quæ, sumptũ est ex βασιλικῶν libris,ex quibus apud eundem harum notarum loco ✱ ϛ'. reponendum Στέφανος. Is fuit iuris interpres quidam,cuius in componendo dissidio d.l.res quæ,& l.ex pecunia.C.eod.tit.opinio reprobatur & meritò. Ex tribus enim quæ in eis libris referuntur, postrema verior est,vt non nisi marito non existente soluendo, res ex pecunia
C dotali comparata pro dotali habeatur,quæ fuit Thalelæi.Est verò ea l.res quæ,sumpta ex Gaij titulo de prædiatoribus. Ideo & quæri circa eam potest qui prædiatores dicantur.quod Boëtius in Topicis Ciceronis iis verbis exposuit. *Vindex est qui alterius causam suscipit vindicandam, veluti quos nunc Prædiatores vocamus.* Sic legendum ex vet.libris, non procuratores.

De prætorio pignore. CAP. XXX.

D PRætorium pignus est, quod missio in possessionem constituit. l.missio. D.pro emp. & C.tit.de præt.pig. l.3. §.1. D.de reb.eorum &c. l.qui legati. C.vt in poss.leg. Cur dicitur prætorium? An quia iubente prætore constituitur? Minimè.alioquin & quod ab executoribus rei iudicatæ iubente prætore capitur, prætorium dicemus. At prætorium dicitur, quia iure prætorio, id est,ex edicto constituitur. l.3. C.vt in poss.lega. Cicero VI. ad Atticum: *Sine edicto*, inquit, *transigi commodè non potest.* Missio fit ex edicto. De capiendo pignore nihil edicto comprehensum est. Fit namq; extra ordinem pignoris capio.l.si pignora. D.de euict.
E Missus pignus prætorium occupat. l.2. & l.cum Remp. C.qui pot.in pig.hab. Illud quod ex causa iudicati constituitur, ex officio capitur & distrahitur, non etiam occupatur ab eo secundum quem lis data est. l.2. C.si in cau.iud. pig.cap.sit. In prætorio non obseruatur priuilegium temporis inter eos qui eiusdem tituli sunt. Permittitur enim missio in rem non in personam. l.cum vnus. D.de reb.auct.iud.poss. & ob id Græci eam τὴν καθόλου νομὴν τῶν δανειστῶν appellant. In illo autem quod exequendæ rei iudicatæ causa capitur, vt in conuentionali, priuilegium & ordo temporis spectatur. constituitur enim in personam.l.si & iure.D.qui pot.in pig.hab. *In cuius*, inquit, *persona pignus constitutum est.* Distrahendo pignori capto ex causa iudicati præstituti sunt
F duo menses,vt ostendimus Obs.III. cap.39. Itaque in ea l.à Diuo Pio.§. in venditione. D.de re iudic. mox, id est, deinde, non ex continenti. Constituendo prætorio pignori, id est, posidendis bonis fuit constitutum certum tempus, vt post dies XXX. quàm esset vadimonium desertum, quod subindicat oratio pro Quinctio. itemq; magistro faciendo, & proscribendis bonis, rursusq; legi bonorum venditorum dicendæ, vt Theophilus scribit in tit.de suc.quæ fie.per bon.ven.de quia M.Tullius sensit in eadem oratione,dum ait, magistros qua lege & conditione pereat debitor,pronunciare: post hæc aliquanto tempore intermisso emptori bona addicebantur. Sed ea tempora arbitratu suo prætorem definiisse reor, quod & interpretes nostri notarunt ad l.pen.
G & l.vlt. §.fin autem. C.de bo.auct.iud.poss. Nam & in causa damni infecti,si post missionem longo tempore nõ caueatur,secundum decretum interponitur.l.3.§.vlt.D.de acq.poss. cuius temporis nulla est alia definitio quàm hæc,Cùm prætori causa iusta videbitur.l.prætor.§.1.l.si finita.§.non autem.D.de dam.inf.

Explicatur l.debitores. C.de pigno.& hypoth. CAP. XXXI.

ERrant qui ex l.debitores. C.de pign. colligunt prius debitori denunciandum esse, quàm cum eo personali vel hypothecaria agatur: aut nisi errant, pugnabit ea lex cum §.appellamus.Inst.de actio. vbi nullam hoc tempore debitori denunciationem fieri, qua scilicet status, id est, certus condicatur dies, ni soluerit, Imp. Iustinianus ait. Malim ipse sic eam legem accipere, vt si de pignóre non distrahendo conuenerit, vel si pignus simpliciter acceptum fuerit, nulla lege vendendi aut non vendendi interposita, quandoquidem & id tunc agi intelligitur ne vendi possit. l. Aristo. D.quæ res pig.obl.non poss. non aliter liceat creditori pignus distrahere, quàm si præsenti debitori denunciauerit vt pignus reluat, secundum ea quæ traduntur à Paulo II.Sent. & Vlpiano in l.4.D.de pign.actio. quam denunciationem solemniter fieri oportet & testatò. l.4. C.de distr.pign. quando licet, ἐι εὐχέρειαν ἔχει, vt Græci vertunt, id est, si debitoris & testium suppetat copia. Et si autem lex, debitores, dicat, denunciationi non obtemperante debitore, creditori persequenti hypothecam, præsidem suæ auctoritatis auxilium impertiri, non est tamen existimandum ideo denunciationem exigi, vt tantummodo agatur hypothecaria, sed vt ablata hypotheca ius suum creditor solemniter exequatur eamq; distrahat. & ita quoque in l.debitoribus. C.de admi.tuto. *Debitoribus*, inquit, *parere solutioni denuncia. qui si satis non fecerint, in venditione pignorum vti communi iure potes.*

Ad l.2.C.de luitione pig. species ponitur certa. CAP. XXXII.

NOn proposuisset absolutè ex Gordiani rescripto hanc sententiam Tribonianus, *Intelligere debes vincula pignoris durare, personali actione summota,* in l.2. C.de luitio. pign. quæ aduersatur certissimo iuris principio, quo quidem præcipitur, vt sublata actione personali, tollatur hypothecaria, nisi speciem ad quam ea pertinet, quæstio legis quæ præcedit, suggereret satis. Est autem huiusmodi. Debitori sub pignore duo heredes extiterunt, singuli actione personali tenentur pro hereditariis portionibus ex XII. tab. hypothecaria insolidum, & ideo si vnus soluerit pro sua parte, tollitur quidem omni iure actio personalis, hypothecaria non item. Illa ergo non tenetur, hac tenetur. Non sumantur alia exempla, vel ex l.cùm quis.§.vlt.D.de solut. vel ex eis quas interpretes attulerunt, in quibus vel omni vel naturali saltem iure, quòd consistat in personam obligatio, & pignus perdurat. Vix præter id quod retulimus aliud inuenietur, quo omni iure summota personali, maneat hypothecaria, quod fit propter indiuisam pignoris causam. l.rem. D.de euict.

Liquidò iurare. Operam dare. Dicis causa. Cor. Nepotis loci quidam restituti. CAP. XXXIII.

LIquidò iurare Vlpiano in l.alias. D.de iureiur. idem est quod σαφῶς Demostheni II. in Aphobum: ἢν μηδεὶς ὑμῶν νομιζέτο καθ' ἡμῶν ποτ' ἂν ὀμνύναι ταῦτα ἐθέλειν, εἰ μὴ σαφῶς. Apud Pet.Diaconum has notas Q. D. R. P. L. IV. ita fortè quis interptetabitur, QVA DE RE PETO LIQVIDÒ IVRES. Scribendum, Q. D. R. P. L. V. vt in superioribus, Q. D. R. P. G. V. QVA DE RE PETO LAVDABILITATEM VESTRAM, QVA DE RE PETO GRAVITATEM VESTRAM, quod & liber Magnonis de notis mihi confirmauit nondum quod sciam editus, qui dicatus est Carolo regi hoc disticho. *Hæc iuris σημεῖα libens rex accipe Carle, Offert deuotus quæ tibi Magno tuus.* At alterum quod huius capitis titulus promittit est huiusmodi, quòd iudices dicantur operam dare in l.si longius. D.de iudic. l.pen. D.de vac.mun. non esse nouum. Nam & sic M.Tullius IIII. Ver. *M.Petilium*, inquit, *equitem R. quem habet in consilio, iubet operam dare, quòd rei priuatæ iudex esset.* Dicis causa quid esset, primi Taurellus, Augustinus, Victorius docuerunt. Id nondum fortasse quisquam apud Cor. Nepotem in Attici vita, sic esse legendum, *Ita vt Brutus & Cassius prouiuciarum quæ iis dicis causa datæ erant à Consulibus.* quod est Græcè προφάσεως ἕνεκα. vulgò malè; *Necis causa.* Apud eundem, *Cùm enim vsuram facere publicè necesse esset,* pro *vsuram* legendum *versuram.* & alio loco. *Neque peti more maiorum, neque capi possent conseruatis legibus in tam effusis ambitus largitionibus, neque Reip. sine periculo corruptis ciuitatis moribus.* pro *Reip.* legendum, *geri.*

A *geri.* Hæc enim ſunt conſequentia, peti, capi, geri. & alio loco. *Scipionis Cornelij & Fabij Maximi Fabiorum.* legito *de Fabiorum,* vt ſi prà, *de Marcellorum.* Sed, vt ad illa verba Dicis cauſa, redeamus, fuere etiam vſitata in iudiciorum formulis, vt eſt proditum à M.Tullio in oratione pro Muræna, hoc modo, SED AN NE TV DICIS CAVSA VINDICAVERIS.

De formulis exceptionum. CAP. XXXIIII.

EXceptionum, replicationum, duplicationum formulis ſeruiunt hi articuli,
B Si non, Si nihil. exempla adiungerem niſi eſſent infinita & omnibus nota. Et interdum ſine negatione, vt in l.2. D.de adult.coerc. & l.2. §.1. D.de dol.excep.& §.vlt.Inſt.de replic.Interdum ita concipiuntur, At ſi non.l.9. §.vlt. l.ſi quis rem. D.de exc.rei iud. & apud Theophilum ſæpe ἀλλ' εἰ μὴ, vel, Ac ſi non, vt in l.2. eod.tit. & l.qui cum herede. D.de obl.& actio. Interdum ita, Aut ſi,nulla addita negatione. l.cùm par. D.de diu.reg.iu. l.itaque. D.de procur. l.vlt. §.item ſi mulier. D.ad Velleia. l.conſilio. §.1.& 2. D.de cur.fur. & exemplo exceptionum in l.ait prætor. §.præterea generaliter. D.quæ in fraud.cred. vel etiam addita, ve-
C luti, Aut niſi in l.1.§.Labeo D.de flumin.& exemplo exceptionum in l.continuus. §.illud. D.de ver.oblig. Aut *ſi non multum referre videatur.* Nec enim aſſentior accipientibus *Aut* pro *Haut,* hîc in l.1.D.de ſolut.Accurſio ita accipienti, *Aut:* in qua potius tranſpoſita negatione ita legendum eſſe, *Id eſt non in id debitum quod eſt in controuerſia,* Græci oſtendunt, qui ita vertunt: ἵνα μὴ εἰς ἀμφίβολον ἢ ἄρα τὸ δι' ἐγγύης αὐτῷ χρεωστούμενον ἢ τὸ ὑπὸ ἡμέραν πρὸ τῆς ἡμέρας. Apud M.Tullium ſæpiſſimè, & in d.l.1.§.Labeo.ita enuntiantur, *Extra quam ſi,* quod idem poteſt. Interdum ſicut actionibus, *Quod,* ſeruit, vt quibuſdam locis prolatis oſtendimus in 5. ſent. Pauli tit. 1. quibus addatur l.3.
D C.de tranſact. l.prætor.§.ſi dicatur.D.de iniur.ita & exceptionibus,quo pacto & affirmatè proponuntur. l.fundum. l.fundi. l.ſi poſt. l.filius. D.de excep. l.ſi mater. §.item Iulianus.D.de exc.rei iud.l.ſed & ſi lege.§.item ſi res.D.de peti.her.l.purè.§.ſi donaui. D.de do.excep.

Explicantur loci quidam in tit.de duobus reis conſtituendis. CAP. XXXV.

IVlianus libro XXII. Digeſtorum tractauit de operis officialibus, eaſq; contulit cum aliis. Cùm ergo ſcripſiſſet, officiales operas non poſſe promitti niſi patrono,ac ne adiecto quidem ſolui,ſubiecit: *Nemo eſt qui neſciat*
E *alienas operas promitti poſſe.* l.nemo. D.de duob.reis. *Alienas* pro *alias* accipio,vt in l.3. D.de rei vind.ſicut *alias* pro *alienas* in l.famoſi. D.ad leg.Iul.maieſt. Falſum enim eſt non ſuas operas promitti poſſe. At aliæ quàm officiales, puta fabriles vel pictoriæ vel aliæ promitti cuilibet, & fideiuſſor accedere in id quod intereſt, & eodem nomine duo ſtipulandi vel promittendi rei conſtitui poſſunt. In eodem titulo l.eandem. malè duorum reorum teſtamento factorum, exemplum proponitur tale, *Titius & Mæuius Sempronio* x. *dato.* legendum, *Titius aut Mæuius* ex l.ſi ex toto. §.1. D.de lega.1. l.16. D.de lega.2. l.ille. D.de lega.3. quod & verbum, *Dato,* vti Flor.
F ſcriptum eſt, indicat. Item quia ſi ita dixerit, Titius & Mæuius Sempronio x. danto, conſtat ſingulos partes debere, nec eſſe duos reos. ac ſimiliter multùm intereſt vtrùm ita ſtipuler, Mihi & Titio ſpondes, an Mihi aut Titio ſpondes? In Codicis Iuſtiniani eodem titulo,quæ primo loco lex poſita eſt,delenda videtur. Nec Acc. nec interpretes eam agnouerunt. abeſt à Veteribus. Vnum tamen offendi in quo eſſet tertio loco poſita, mutila tamen, & cum hac adnotatione, eam vacare, id eſt, ſpuriam & litura dignam eſſe,& iis verbis: *Si duo plures'ue rei cuiuſdam traditionem communem inſolidum acceperint, cuicunque, &c.* ex quibus colligitur duos eiuſdem rei vindicationem ha-
G bere inſolidum. quod eſt falſum. Vulgata autem ſcriptura hoc ſignificat, Re tradita ſi conuenerint duo ſibi viciſſim aliquid inſolidum dari vel fieri,ſingulos agere inſolidum. quo nihil erat notius. Iniecta ſunt quoque obſcura mihiq; ſuſpecta admodùm verba hæc: *Quandiu res in eadem cauſa permanſerit, ſi caſus obtulerit.* Itaque damnandam delendamq; eam legem eſſe cenſeo.

De acceptilationibus. CAP. XXXVI. A

VT stipulationis Aquilianæ verbo, & acceptilationem quæ illam sequitur subintelligimus. l. 3. C. de transact. l. 5. l. pacto. D. eo. ita acceptilationis verbo plerunque & eam quæ præcessit stipulationem Aquilianam adsignificamus, & hoc sensu acceptilatio ita definitur à Modestino, Liberatio per mutuam interrogationem qua vtriusque contingit ab eodem nexu absolutio. Ea acceptilatio definitur quæ fit præposita stipulatione Aquiliana, & quæ non ad verborum obligationem, sed ad contractum refertur. Contractus est vltro citroq; obligatio. Acceptilatio est vltro citroq; liberatio. συνάλλαγμα illud, hoc vero διάλλαγμα siue distractus, B quo nomine etiam solutio continetur. §. item is cui. Inst. de obl. quæ qua. ex con. Ex contractu mutua obligatio nascitur. §. 1. Inst. de auct. tut. Ex acceptilatione mutua liberatio. l. vlt. D. de accept. Quæ verò fit non interposita stipulatione Aquiliana, solam verborum obligationem tollit, id est, stipulationem, dictionem dotis, iusiurandum liberti, non contractum iurisgentium. Verborum obligatio iuris ciuilis est. verborum namque solemnium obligatio est. Ergo & acceptilatio iuris ciuilis est, quæ fit etiam verbis solemnibus. l. 1. C. de accept. siue τυπικοῖς ῥήμασι, vt Theophilus ait in tit. quib. mod. tol. obl. Vt verborum obligatio, ita acceptilatio non fit inter absentes. Per procuratorem nobis non acquiritur verborum obligatio. Per procuratorem accepto non C liberamur, nisi si is nouandi causa nostram obligationẽ suscipiat, ac deinde acceptum roget. Sed neque id quod nobis debetur absque nouatione acceptum facere potest. l. & per iusiurandum. §. tutor. D. de accept. quam in rem, id est, vt nouare possit, speciale vel generale mandatum exigimus. l. 3. D. eod. l. 4. C. de nouat. Porrò vt per seruum nobis verborum obligatio acquiritur, ita per seruum accepto liberamur. l. species. D. de accept. qui tamen quod nobis debetur acceptum non faciet, ne fiat conditio nostra deterior, nec iussu quidem nostro. l. pen. D. eod. nam edictum Quod iussu, ad contractus pertinet non ad liberationes. l. si dubitet. §. vlt. D. de fideiuss. Diximus D acceptilationem esse iuris ciuilis. Hodie alio iure vtimur. quod quemadmodum fiat exposuimus in tit. de transf. & de ver. obl. Græci Iurisconsulti non tantùm factæ solutionis professionem, sed & acceptilationem, ἀποχὴν vocant. Latini differentiam statuunt inter acceptilationem & apocham, eodem modo quo inter pignus & hypothecam, & medici quidam inter ἄνθρακα & carbunculum. Sed de his hactenus. Pessimè alij omnes hæc omnia.

Indicantur duæ leges malè collocatæ in tit. Pand. De except. CAP. XXXVII. E

PRæiudicij nomine actio & exceptio præiudicialis significatur. qua ambiguitate deceptus Tribonianus hanc sententiam posuit sub tit. De exceptionibus, malè, *Generaliter in præiudiciis actoris partes sustinet qui habet intentionem secundum id quod intendit.* Pertinet namque ea non ad exceptiones, sed ad actiones præiudiciales, & coniungenda est cum l. vlt. D. si ing. esse dic. itaque fingendum, vnus in iure contendit se esse ingenuum, alter eius se esse patronum. par omnium videtur causa. Quamobrem sicut in actionibus duplicibus, sic in præiudiciis quæritur quis actoris partes sustineat. Et respondetur eum esse actorem secundum cuius intentionem data & concepta est actio, vt si ita detur actio, SI PARET LVCIVM ESSE PATRONVM, Lucius actoris partes sustinebit. Quòd si F ita, SI PARET GAIVM INGENVVM ESSE, Gaius actor intelligetur. Græci ita vertunt lib. 51. βασιλικῶν tit. 1. ἐν τοῖς νομίμοις παραγγέλμασιν ὁ τὴν ἐπίτασιν ποιούμενος ἐνάγοντος ἔχει τάξιν. Malè etiam à Triboniano l. fundum, sub eodem titulo, adiuncta fuit ex Pauli lib. 70. ad edictum l. sed si ante. qua re factum est vt ab omnibus ea Pauli sententia de exceptione præiudiciali acciperetur. & verò id coniunctio illa exigit necessariò. Pertinere tamen eam ad exceptionem rei iudicatæ, & inscriptio indicat, & ratio ipsa qua nititur: *Quia* inquit, *& diuersa corpora sunt, & causæ restitutionum dispares.* Hac ratione vtimur exceptionem rei iudicatæ, non exceptionem præiudicialem negantes. l. cùm quæritur. l. & eandem. D. de exc. rei iud. Denique si accipiatur ea Pauli sententia de exceptione præiudiciali, pugnabit ex diametro cum l. fundum, in cuius G specie cùm esset controuersia de fundo, lis nondum, prius actum est de via, & tamen

præiud

A præiudicium nocere reſpondetur. pugnabit cum principio iuris, vt ne iudicium de re minori, ſperati futuri'ue maioris iudicij præiudicium ſit.

Explicatio §.pro operis. l.4. D.de nautico fœnore. CAP. XXXVIII.

QVod ſcripſi quodam loco videri Tribonianum ex conſtitutione Iuſtiniani ad Papinianum addidiſſe verbum, *Centeſimæ*, in l.4. D.de naut. fœn. nunc mihi non placet. afferam vera, ni fallor, & nondum prodita. In diem præfinitum periculo creditor nauticæ pecuniæ immenſam vſuram paciſcebatur vel ſtipulabatur, poſt eum diem non niſi centeſimam in menſes
B ſingulos ſtipulabatur, quæ legitima erat vſura: vel ſi leuiorem, quod huic ſtipulationi vſurariæ deerat, pœnali ſupplebatur. d.l.4.§.vlt. Pœnalem voco ſtipulationem operarum collatam in dies ſingulos, id eſt, pro operis & ſumptibus ſerui aut liberti ſimul cum debitore nauigantis, & pecuniam nauticam ſua die cum vſuris repetentis, quem Græci κερμακόλαβον vocant. l.traiectitiæ. D.de obl. & actio. l.pen. & vlt. D.de nau.fœ. l.debitor.D.de neg.geſt.l.3.§.ſi ſeruus. D.de peculio.l.2.§.vlt. D.de eo quod cer.loco. Sic pœna ab vſura diſtingui, eamq; pœnam non niſi poſt diem periculi committi &
C præſtari conſtituendum eſt, & ſiue poſt eam diem vſuram tantùm ſiue pœnam ſiue vtrumque creditor ſtipulatus fuerit, vtriuſque rationem ita iniri oportere, vt vtrumque nec centeſimam excedat nec duplum. & hoc eſt quod Papinianus ait in d.l.4. *pro operis ſerui traiectitiæ pecuniæ gratia ſecuti, quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt*, eam ſcilicet pœnam quæ poſt diem periculi ob ſerui operas debetur, *nec ſupra centeſimam nec ſupra duplum deberi:* nimirum quia poſt diem periculi præſtatur. Quandiu verò periculum eſt creditoris, infinitæ vſuræ, id eſt, etiam ſupra centeſimam vel ſupra duplum ex pacto debentur. tanti eſt ſuſceptio periculi. Quod ergo Papinianus ait, *Centeſimæ*, non eſt ex iure nouo, vel ſpecie quadã ei propoſita, ſed generale merumq;
D ius vetus. Ne autem vſuræ communes exigantur ſupra duplum, non Romanorum tantùm, ſed & Aegyptiorum vetus lex eſt, quam Diodorus Siculus ſcribit lib.2. his verbis: τοὺς μετὰ συγγραφῆς δανείζοντας ἐκώλυε διὰ τοῦ τόκου τὸ κεφάλαιον πλεῖον ποιεῖν ἢ διπλάσιον. Et ad id duplum reſpexiſſe opinor Suetonium, dum Auguſtum ſcribit pecuniæ vſum gratuitum indulſiſſe iis, qui cauere potuiſſent in duplum. At in l.cùm quidam. §.vlt. D.de vſuris, hæc verba, *Vſque ad tertiam centeſimæ*, affirmamus Triboniani eſſe, quibus ſignificantur trientes vſuræ, græcorum more, ἄχρι τρίτης ἑκατοστῆς. & verò ſunt eius §. verba ex reſcripto quodam D.Pij, quod aliis verbis relatum eſt in l.ſi lega-
E tum.D.de oper.pub. Tribonianus vt erat in eo opere non tam diligens & accuratus, quàm ſe impudenter profitetur eſſe, ſæpiſsime quod vno in loco mutabat, non mutabat in alio. In l.cùm probatio.D.de probat. quæ eſt ex ſententiis Pauli, ſcripſit *Quæſtioni* pro *Reſponſioni*. quod omiſit in l.quæro. §.vlt. D.de ædil.edi. & ex ea re conflatum eſt ἐναντίωμα inexplicabile.

De iuris & facti ignorantia. XXXVIIII.

NOcere & non prodeſſe diuerſa ſunt, ſicut nolle & non velle. Nocere eſt damno adficere, Non prodeſſe eſt neque lucro afficere neque damno
F eximere. Nolle eſt palàm refragari & contradicere, Non velle eſt tacere & pati, vel ſecundum Ariſtotelem, nolle dicitur is quem pœnitet eius quod per errorem fecit, quem & nos venia dignum iudicamus. l.ſi adulterium. §.inceſtum. D.ad leg.Iul.de adult.l.aliam.C.de his quæ vt ind.auf. Non velle is, qui non corrigit factum. Eſt item aliud velle, aliud non nolle, vt indicat l.1.§.ſcientiam. D.de trib.act. cui malè quidam adiungunt l.3. D.de diu.reg.iu. cùm in ea ſit legendum ex l.4.D.de acq. her. & βασιλικῶν libris: *Eius eſt non velle qui poteſt & velle.* Item aliud eſt fateri, aliud non negare. l.qui tacet. D.de diu.reg.iu. At ſicut nolle ſæpe ſignificat non velle. l.in eo iure. §.inuito. D.de rit.nupt. l.inuitum. D.de ſeru.vrb. l.filiuſf.§.inuitus. D.de proc. ita
G & nocere interdum ſignificat non prodeſſe. Et ſanè quod dicitur, Ignorantiam iuris nocere, ita accipiendum eſt, Non prodeſſe. l.regula in pri. D.de iur.& fac.ign. Error facti lucro adficit & damno liberat. Error iuris neque lucro adficit neque damno liberat. Ceterùm neque hic, neque ille error damno adficit, & hoc eſt quod dicitur, Iuris

ignorantiam in damnis non nocere. l. 7. & 8. D. eod. tit. nempe damni per eam nihil A
adferri. Vt ecce, Quòd quis ius ignorauerit non habetur pro confesso, sed quòd ius ignorauerit, non ideo habetur pro non confesso. l. 2. D. de confes. Quòd quis ius ignorauerit, non ideo non habet condictionem indebiti, sed quòd ius ignorauerit, non ideo danda ei est condictio quæ ipso iure non competit. Ne igitur dixeris ignorantiam iuris nocere, id est, damnum adferre, sed nocere, id est, non prodesse. Sic in l. 3. D. ad Maced. l. si fideiussor. §. 1. D. mand. l. sicut in fi. C. de præscr. xxx. an. non hoc facit ignorantia iuris vt denegetur actio, sed non obstat quominus denegetur. Sic & in aliis speciebus non subiicit error iuris pœnæ quequam, sed neq; subducit. Et ab ea regula excipiemus quidem milites & minores, quibus iuris ignorantia prodest, non tantùm vt ne B
damnum faciant, sed & vt lucrentur & adquirant: non tamen feminas vel rusticos. Nam iis certis tantùm casibus subuenitur. l. 5. §. prohibendi. D. de his quæ vt ind. vbi, *Prohibendi*, sic accipiendum est, à petitione hereditatis: & de persona in muliere, de conditione in milite aut rustico, de ætate in minore exemplum ponendum. l. si quis in graui. §. si quis ignorans. D. de s. c. Sillan. l. si quis id quod. §. doli. D. de iurisd. om. iud. l. Diuus. §. pen. D. ad leg. Cor. de fal. & de feminis exemplum est elegans apud Harmenopulum lib. 1. tit. 13. in fine. Regulariter ergo nec sexui nec rusticitati iuris ignorantia C
prodest. Gregorius Nazianzenus εἰς τὸν ἅγιον ἀθανάσιον. ῥωμαίων μὲν νόμον μηδενὶ ἀγνοεῖν ἐξεῖναι μηδ᾽ ἂν σφόδρα ἤ τις ἀγροικίας καὶ ἀμαθείας, μηδὲ εἶναι νόμον τὸν βοηθοῦντα τοῖς πραξ τομένοις δι᾽ ἄγνοιαν. Et hoc est quod ait l. regula. §. sed iuris. superiorem regulam ita accipiēdam esse, si sit Iurisconsulti copia, vel si quis ipse satis iurisprudentia sua instructus sit, quasi si diceret, parcendum esse rusticitati & imperitiæ, sed hoc fieri perrarò, id est, certis tantùm casibus. Non exigimus quidē vt omnes Iurisconsultorum artificia didicerint, sicut vt omnes patresfamilias Magonis vel Cassij Dionisij libros, sed communem eorum quę legibus continentur, intelligentiā in omnibus exigimus. Hæc oportet scire, inquit Aristoteles, καὶ μὴ χαλεπὰ εἶναι, nec quòd ea sciat quisquam, ideo Iurisconsultus D
est. Sunt enim certæ leges & constitutiones in promptu publicè propositæ, vt cuiuis eas cognoscere & describere liceat. l. 2. D. de iu. & fac. ign. Contrà facta omnia incerta & recondita sunt, eorum ignorātia sicut iuris, supina non est semper. Verùm tum etiam non exigimus vt sint omnes veluti Corycæi quidam, vt omnia odorentur, perscrutentur, inuestigent. Possent his addi alia quędam, sed hæc si tenueris, illa sponte sequentur.

Pandectarum & Codicis loci quidam restituti auxilio βασιλικῶν. CAP. XL.

IN l. Iulianus. §. idem Iulianus. D. de act. emp. iamdiu animaduerti pro *legata*, legendum esse, *vectigalia*. Verissimum id esse græca metaphrasis docebit E
quam subiiciam, ὅτι ἐὰν ὁ πράτης εἰδὼς διαφόροις ὑποκεῖσθαι τέλεσι τὸν ἀγρὸν, ἐν τῇ ὠνῇ μόνον τὸ ἐν ἐκφωνήσῃ, καὶ ἐπαγάγῃ, εἴ τι ἄλλο ἐπικείμενον τῷ ἀγρῷ δημόσιον ἢ ἐμφύτευμα ἢ τέλεσμα ἢ ὑπὲρ ὁδοστρωσίας, τοῦτο διδόναι τὸν ἀγοραστὴν, ἐνέχεται τῇ ἀγωγῇ διὰ τὸν δόλον. In l. si duobus. D. de diu. temp. præscr. pro, *Ea possessio*, legendum, *mea possessio*, repetita m, litera ex fine præcedentis verbi, & ita 51. βασιλικῶν. tit. 3. ἡ νομή μου, & paulo post, *& meam omnem*. In l. funeris. D. de relig. & sumpt. fun. legendum, *Et si qua vectigalia sunt vel sarcophagi, & vestiaria*. Sic lib. 59. βασιλικῶν. καὶ τὸ τέλος καὶ ἡ σορὸς καὶ ἡ στολή. Et l. 14. eod. tit. vesti iungitur marmor, id est, sarcophagus. In l. liberos. C. de lib. cau. legendum, *vel actus cuiuscunque administratione*. Sic Græci 48. βασιλικῶν. ἢ τῆς F
πράξεως ἥν τινα ἐδιοίκησεν λογισμῷ & Theodorus ad eum locum, ἤτοι συνάπτων, vel ratione actus. In l. si tibi. eod. tit. legendum, *De filijs*, ex eodem libro, & ob id Thalelæus notauit filiorum appellatione contineri filias, quod cum prius dixisset, *scriptæ*, subiunxit, *filijs*. In l. cùm procurator. D. de no. op. nunc. veteres interpretes coniunctim ita legunt rectissimè: *Cum procurator opus nouum nunciat & satisdat rem ratam dominum habiturum, & remißio in domini personam confertur, si dominus, &c.* quod confirmat scriptura βασιλικῶν. lib. 58. tit. 10. ἐὰν ὁ ἐντολεὺς δικαίως τὴν ἱκανοδοσίαν ἀπὸ παραγγελίας λάβῃ ἀσφάλειαν καὶ ὁ δεσπότης μετενεχθείσης εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ τῆς συγχωρήσεως G
παραγγελίας. In l. 3. C. de noxal. act. sic Græci legunt LX. tit. 5. *Et non eo consentiente quod intuendis commißum probaueris*. quod est rectius. Grauior in consentientē quàm in ignorantem est actio. Sed consensisse eum actor probare debet. quod nisi fecerit, noxalis actio competit. καὶ μὴ ἀποδείξῃς τοῦτον εἰδότα ὅσαπερ λέγεις ἡμαρτῆσθαι.

FINIS.

colorchecker CLASSIC
calibrite
mm